G
a : 37.

G. a. 37

~~G G a 26~~

HH·1.2.

THESAVRVS
TERRAE SANCTAE,

QVEM SERAPHICA MINORVM RELIGIO
de Obſeruantia inter Infideles, per trecentos
& amplius annos religiosè cuſtodit,
fideliterque adminiſtrat.

EMINENTISSIMIS,
AC REVERENDISSIMIS

DD. CARDINALIBVS

S. Congregationis de Propaganda Fide dicatus.

AVTHORE

*R. ADM. P. F. DIDACO DE CEA AGVDENSI
Hiſpano, eiuſdem Ordinis Lectore Iubilato, Almæ Angelorum Prouinciæ, & Ordinis Patre, ac in Romana
Curia Commiſſario Generali.*

ROMAE, Typis S. Congreg. de Fide Propaganda;
MDCXXXIX.

SVPERIORVM LICENTIA.

EMINENTISSIMIS, ET REVERENDISSIMIS
DD. CARDINALIBVS
S. CONGREG. DE PROPAG. FIDE.

Frater Didacus de Cea æternam fælicitatem.

FAVSTISSIMO nunquam interituræ celebritatis præſagio, PRINCIPES EMINENTISSIMI, Theſaurum Terrę ſanctę in publicum profero, non nouum ingenij mei partum, quamquam profectò infirmum, & informem, quemque inter frequentiſſimas mei muneris occupationes nec ſatis fingere licuit, nec expolire. Quapropter veriùs abieciſſe videor, quàm peperiſſe. Idcirco non EE. VV. manibus tractandum: ſed pedibus ſubſternendum obſequioſus deuoueo. Nec verò Mercatoris Euangelici conſilium libuit amplecti, qui theſaurum inuentum deprędari metuens abſcondit lætabundus: Quia ſub tantorum Principum patrocinio, nec Prædones timeo, nec blaterones. Non Prædones, quia nihil magis in votis mihi eſt, quàm vt theſaurus noſter diripiatur. Purpuratus ille Pater, & Eccleſiæ Doctor clariſſimus Euſtochium admonebat, vt animę theſaurum portaret occultum, quia ſui publicatione periclitabatur. Ita planè eſt: At theſaurus iſte, quem non gemmis opulentum, non auro diuitem, non peregrina ſupellectile onuſtum: Sed ſacris humanæ Redemptionis myſterijs refertiſſimum produco, ſola occultatione periclitatur: nuſquam ſecurior, quàm dum oculis cer-

nitur,manibus euoluitur,& meditatione curioſiùs pertracta-
tur. Et qui Prædonum aſſultus non reformido; nec etiam obloquentium vellicationes pertimeſco. Quis enim licèt procaciſſimus auſit impetere? Quod veſtrum, PRINCIPES EMINENTISSIMI, Patrocinium protegit, fouet gratia, beneuolentia proſequitur, & æſtimandum potiùs, quàm cauillationibus feriendum ſuo reddit imperio, protectioneq. tutatur. Laudauit olim Rupertus Machabęorum conſilium, qui, vt Dei fauorẽ, & gratiã, qùam ambitioſiùs precabãtur, demereri poſſent, Nazaræos in Dei conſpectu conſtituerũt: Et qui tales ſibi Patronos delegerant, non poterant obſecrationum ſuarum affectibus defraudari. Iam Theſauro meo totius Orbis gratiam, plauſus, fauoremque mihi polliceor: Qui Patronos cooptaui, Nazaræis longè pręſtantiores. Quid de Nazaræis Patheticus Vates? *Candidiores*, ait, *Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, Saphiro pulchriores*. Pro ſuperi: quàm viuis, vt aiunt, coloribus expreſſit Sacrum Purpuratorum Patrum, & EMINENTISSIMORVM PRINCIPVM Senatum de Propaganda Fide. Niuis candor, lactis nitor, eboris rubor, Saphiri pulchritudo, puritatis candorem, doctrinæ ſtudium, Fidei propagandę zelum, cæleſtium amorem repræſentant, quibus Purpuratus iſte Sacerq. Senatus effloreſcit. Plurimi ergo theſauri mei ſupellectilem æſtimandam augur minimè vanus præſagio: non ſolùm quia ipſius diuitię Orientis opibus ſunt pretioſores: ſed quia ſub tali patrocinio, quod fortunæ mihi ſecundantis impulſu ambitioſiùs conquiſiui, theſauri pretium, Operis exigui tenuitas, Authoris nomen quoduis monumentum, & regalem Pyramidum ſublimitatem, æſtimatione, magnitudine, celebritate ſuperabit.

FACVLTAS ORDINIS.

FRater Didacus de Cea Ordinis Minorum,Lector iubilatus,Almæ Angelorum Prouinciæ, & Ordinis Pater, necnon Collegij S. Iſidori in Vrbe Superior, ac in Romana Curia pro vniuerſa Vltramontana familia Commiſſarius Generalis. Cum *Theſaurum Terræ Sanctæ* a nobis elucubratum viris ſcientia, eruditioneque præcellentibus cenſendum commiſerimus, & approbandum: Facultatem impertimur vt typis mandetur, obtenta prius a Reuerendiſſimo Sacri Palatij Magiſtro licentia, vt imprimatur. Datum Romæ in Conuentu Aracælitano, die 10. Aprilis Anno 1639.

Fr. Didacus de Cea Commiſs. Gen. Curiæ,

De mandato ſuæ Reuerendæ admodum Paternitatis.

Fr. Franc. de Aguilar Curiæ Secretarius.

Cenſura Operis.

Per R. A. P. Fr. Sanctorum de Melfi Ordinis Minorum ſtrictioriſque Obſeruantiæ, Sac. Theologiæ Lectorem & Concionatorem Generalem Romanæ Prouinciæ Cuſtodem, Reformationis Patrem, ac in S. Pœnitentiaria Lateranenſi S.D.N.PP. Præſidem.

THeſaurum, in Orbis meditullio, humanæ redemptionis oeconomia conſummatum, temporis diuturnitate ſquallidum, difficultatum dumetis obſeſſum, draconum infidelibus rictibus impeditum: Seraphicæ autem Religionis impigra ſedulitate & cuſtoditum, & peruium: Quem diuinorum, humanorumque Annalium euolutione Reu. Ad. P. Fr. Didacus de Cea Ordinis noſtri Lector iubilatus, Almæ Angelorum Prouinciæ, & Ordinis Pater, ac in Romana Curia Commiſſarius Generalis labore, æquè ac pietate defodit, & omnibus conſpiciendum exponit (dubio procul quod deprædari deſideret, qui *Theſaurum Terræ Sanctæ* publicè portat in via) Ego, cui à S. R. Ad. Paternitate pro cenſura Religionis commiſſus fuit, non ſolum approbo, & cudi poſſe cenſeo, ſed vt quam citius fiat exopto. Chriſti enim Domini Myſterijs, & Seraphici

Parentis

Parentis gloriæ verè ſeruus, verè filius collaborat. Ita cenſeo, ex Collegio Pœnitentiariorum die 15. Aprilis 1639.

Fr. Sanctorus de Melfi, qui ſupra.

Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Palatij Apoſt.
Io. Bapt. Alterius Epiſc. Camer.

Cenſura Operis.

Reu. Adm. P. Fr. Ioannis Gonzales de Leon Mag. & Reg. in Collegio S. Thomæ Aquinatis apud S. Mariam ſuper Mineruam.

EX ordine Reuerendiſsimi Patris Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri Fr. Nicolai Riccardij maxima cum voluptate perlegi opuſculum, cuius titulus eſt, *Theſaurus Terræ Sanctæ, &c.* in duos libros diſtinctum, elaboratum ab A. R. P. Fr. Didaco de Cea, Agudenſi Hiſpano, Ordinis Minor. Lectore Iubilato, Almæ Angelorum Prouinciæ, & Ord. Patre; ac in Rom. Curia Commiſſ. Genli Author idem ipſe eſt in paruis, qui & in magnis; *Theſaurum Terræ Sanctæ* eruditionis Theſauro illuſtrat: pijſſima noſtræ redemptionis loca graphicè depingit, ad Seraphici Patris amorem vehementer accendit, dum in illo imaginem Chriſti crucifixi ad viuum exaratam oſtendit. Ius cuſtodiendi Theſaurum, ſanctamque incolendi terram apud Seraphicam familiam iam diu extitiſſe euidenter demonſtrat, efficaciter conuincit: Fidem Chriſti auget; Mores Religioſos componit. Lucem videat, vt omnibus lucem, & ardens deſiderium Theſaurum pretioſiſſimum inueniendi afferat. Decima ſeptima Aprilis. Anno 1639. Romæ in Collegio S. Thomæ Aquinatis apud S. Mariam ſuper Mineruam.

Fr. Ioannes Gonzales de Leon Mag. & Reg.

Imprimatur.

Fr. Nicolaus Riccardius Sac. Palatij Apoſt. Mag. Ord. Præd.

LE-

LECTORI OPTIMO.

NEGOTIATOR *ille Euangelicus*, Optime Lector, *pretioſam margaritam, & theſaurum in agro abſconditum reperiens, omnia bona ſua præ gaudio vendidit, vt Margaritæ Dominus, & theſauri fieret poſſeſſor. Sua negotiari ſedula inquiſitio Theſaurum contulit: At tibi non quærenti, & fors minimè cogitanti inter tot muneris noſtri negotia Theſaurum Terræ ſanctæ cæleſtibus diuitijs opulentiſſimum offero, quem ſedulò quæſitum, fæliciter inuentum, & à Minoribus de Obſeruantia iamdiu poſſeſſum Stilo noſtro, quo non otioſus feror, illuſtraui: Non Scythicas hìc gemmas, aut indicos inuenies amethiſtos, vel rubentis maris grana candentia, quæ electiſſimo & operoſiſſimo deſcrobes auro, ſed Redemptionis noſtræ, Chriſti illic naſcentis, viuentis, ac morientis myſteria meditatione recolenda. Vrbis Hieroſolymitanæ vaſtationem Patheticus Vates lamentatus, dicebat:* Diſperſi ſunt lapides Sanctuarij in capite omnium platearum. *Pro quo legunt Hebræi, effuſæ ſunt margaritæ ſanctæ, hoc eſt, guttæ ſanguinis, quæ è Ioſiæ Regis, illic vulnerati, & occiſi corpore defluentes vrbis illius vias reſperſerunt. Longè pretioſores Theſaurus noſter,* amice Lector, *tibi margaritas oſtentat, guttas ſanguinis non Ioſiæ, ſed Ieſu, qui ibi ſudore fluens ſanguineo, & multimodè à tortoribus cæſus terram illam reddidit purpurantem. Has quia manu non licèt, mente collige, corde amplectere, optimum eſto aurum, vt has margaritas in te poſſis includere. Etenim, vt disertè monuit D. Ambroſius, margaritæ non niſi auro inſeruntur: Et quando corpore nequis tangere, tange mente. Ille alius Imperator exutis veſtibus inter auri numiſmata in theſauro ſuo coaceruata delicio-*

ſius

ſius volutabatur. Hominis auari, & Gentilis ſtudium, Chriſtiane Lector *fœliciùs æmulare, teque terrenis affectibus exutum, non inter nummos, ſed inter Redemptionis monumenta identidem meditando reuerſa. Hoc mihi gratiſſimum erit theſauri pretium, hęc merces, & vberrima laboris compenſatio: Cui animum adieci, vt aliquorum conatus eluderem, qui ad obtinendam ſanctorum locorum poſſeſſionem aſpirarunt. Cumq. Eminentiſſimis & Reuerendiſſimis Dominis Cardinalibus Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, producta pluſquàm trecentum annorum experientia comprobauerim ſacerrimum Terræ ſanctæ theſaurum nuſquam meliùs habiturum, quàm dum Fratrum Minorum de Obſeruantia adminiſtrationi cuſtodiæq. traderetur: Cauſam penès Eminentiſſimos Iudices euici & antiquam poſſeſſionem quaſi paterno Iure quæſitam nouis decretis firmam ſtabilemq. reddiderunt. Hic laboris mei ſcopus, hæc ſtudij cauſa, hic theſauri componendi finis: in quo plurima inuenies parum culta, quęque vltimam iudicij limam expectabant, feſtinandum tamen fuit, & partus ante maturitatem effundendus. Lege, faue, ignoſce, vale.*

IN-

INDEX

CAPITVLORVM, ET PARAGRAPHORVM, quæ in toto Opere continentur.

EX LIBRO PRIMO.

CAPVT I.

Breuis totius Palæſtinæ deſcriptio contexitur, & an filij Iſrael totam promiſſionis terram poſſederint obiter ventilatur. pag. 2.

CAPVT II.

Sancta Dei Ciuitas Hieruſalem deſcribitur, & qualis a prima ſui fundatione ad Chriſti tempora, poſtmodumq. ſub impiorum dominio extiterit, declaratur. pag. 10.

CAPVT III.

Mons Sion ſanctitate memorandus, & regia Dauidis cithara cantatiſſimus ſpatium præbuit, in quo primus Seraphicæ Religionis Conuentus inter infideles extructus recenſetur. pag. 15.

CAPVT IV.

Mærenti Eccleſiæ, & propter locorum Terræ Sanctæ iacturam illachrymanti, Seraphica Minorum Religio

de Obſeruantia lachrymas abſterſit, dum talium locorum reparatrix fieri promeruit. pag. 27.

CAPVT V.

Hieroſolymitanis rebus vltima pene ruina ſepultis Sanctus Franciſcus poſſeſſor nouus, & Terræ Sanctæ apud Saracenos myſticus reparator ſuſcitatur, labentiſque Eccleſiæ Seraphicus Atlas, Deo prouidente ſubſtituitur. pag. 36.

CAPVT VI.

Sancti Franciſci natiuitatem, Ordinis ipſius inſtitutionem, & apud Saracenos prædicationem Sacri Vates multis retro ſæculis prænunciarunt. pag. 51.

§. I. Ioannes Apoc. 4. ſub Angeli figura Franciſcum in Orbem venturum præſignauit. pag. 52.

§. II. Aliud de S. Franciſco Vaticinium nouitate, & admiratione commendatum proponitur. pag. 54.

§. III. Reliqua propheticæ pars contexitur, & de eodem B. P. Franciſco luculenter explicatur. pag. 65.

§. IV. Tribus item vaticinijs Franciſcus in mundum venturus Saraceniſque prædicaturus præſignatur. pag. 72.

CAPVT VII.

Sanctus Franciſcus naſcens, viuens, morienſque maiorem præ cæteris Sanctis Chriſti ſimilitudinem expreſſit: Vnde maius ſibi ius comparauit, vt loca ſancta inhabitaret,

taret, quæ hominum Redemptor natiuitate, vita, morte conſecrauit. pag. 77.

§. I. Sancti Franciſci natiuitas Chriſti natiuitatem retulit. pag. 78.

§. II. Sanctus Franciſcus viuens expreſſa Chriſti viuentis ſimilitudo comparuit. pag. 86.

§. III. Franciſcus duodecim perfectionibus internã Chriſti ſimilitudinem retulit, quibus tota ipſius vita quaſi ſtellis diſtinguitnr, & coronatur. pag. 93.

§. IV. In Sancti Franciſci Magiſterio, ſchola, diſcipulatu, quædam in his omnibus Chriſti Præceptoris imago cernebatur. pag. 122.

§. V. S. Franciſcus ad Chriſti æmulationem admirandum in mari ſe præbuit: ipſiuſque transfiguratio Saluatoris transfigurationem in plurimis repræſentauit. pag. 126.

§. VI. S. Franciſcus aquam immutans in vinum, & plurimos modico pane ſaturans Chriſto ſimilem ſe præſtitit. pag. 136.

§. VII. Dum Franciſcus miracula ederet, quædam in ijs patrandis Chriſti effigies relucebat. pag. 141.

§. VIII. Humani cordis abſcondita perſpiciendi facultas Beato Franciſco ad Chriſti imitationem conceſſa memoratur. pag. 147.

§. IX. Chriſto Domino Orbis Creatori omnia famulabantur elementa: & Franciſco ipſius imaginem referenti eundem exhibebant famulatum pag. 152.

§. X. Communis hominum applauſus, & honor Franciſcum ſequebatur, vt olim Chriſtum, cuius in Franciſco ſimilitudinem reuerebantur. pag. 156.

§.XI. Sacra B. Franciſco ſtigmata imprimuntur, vt ſicut internam Chriſti ſimilitudinem iam habebat, ſic eandem in corpore ſignatus exterius repreſentaret. pag. 160.
§. XII. Chriſtus Dominus, & non alius B. Franciſco pretioſa ſtigmatum ſigna proprijs manibus excuſſit, ſicut iam Zachariæ Vaticinio fuerat prænunciatum. pag. 165.
§. XIII. Chriſti imago per ſtigmatum impreſſionem in Franciſco efloreſcens perpetua eſt, ac indelibilis: Vnde reſurrecturo, & inter cælites conſtituto ſplendidior remanebit. pag. 173.
§. XIV. Similitudo per ſtigmatum impreſſionem Franciſco data, tam in vita, quam in morte prodigijs claruit. pag. 176.
§.XV. Chriſtus reſurgens apertas in corpore plagas, & penetrantes retinuit; ſicque in B. Franciſco reſurrecturo ſtatuit, vt ſtigmata eodem modo peſeuerent, & tam in cælo, quàm in finibus ad plagarum retentionem intentis, Chriſto ſimilis videatur. pag. 181.
§. XVI. Alij fines recenſentur quorum aſpectu Chriſtus plagas ſuas retinuit; & in Franciſco ſtigmatà velut in imagine ſua conſeruabit. pag. 186.
§.XVII. Chriſti cum diſcipulis vltimo cænantis imaginem imitatus eſt Franciſcus, & in alijs morituri præludijs ei ſimilis fieri ſtuduit. pag. 193.
§ XVIII. S.Franciſcus moriens Chriſto morienti ſimilis apparuit. pag. 196.
§. XIX. Chriſti ſimilitudo quæ in B. Franciſco naſcente, viuente, morienteque enituit, maius ipſi ius contulit, vt

præ

præ alijs Sanctorum locorum theſauri ſpiritualis poſſeſſor exiſteret.

CAPVT VIII.

Plures proponuntur fines, propter quos Sedes Apoſtolica, & Reges Catholici Minoritas Obſeruãtes Sanctorum locorum apud Hieroſolymam Cuſtodes ſolos, adminiſtratoreſque delegerunt. pag. 206.

§. I. Primi finis ab Eccleſia intenti conuenientia, neceſſitaſque aperitur. pag. 207.

§. II. Finis ſecundus expenditur, cui ſtrictiſſima Minorum paupertas plurimum ſuffragatur. pag: 212.

§. III. Tertius Eccleſiæ finis declaratur. pag. 215.

§. IV. Expenditur finis quartus ab Eccleſia propoſitus. pag. 221.

§. V. Quintus Eccleſiæ finis exponitur. pag. 225.

§. VI. Finis ſextus proponitur, videlicet, Eccleſiæ, Sediſque Apoſtolicæ proprietas, & dominium nunquam amouendum. pag. 229.

CAPVT IX.

Fallax Græcorum aſtutia dolo, & pretio quædam ex ſanctis locis à Minoribus terno iam æuo poſſeſſa per aliquod tempus obtinuit. pag. 232.

Ex

EX LIBRO SECVNDO.

CAPVT I.

GVardiani Montis Sion officium, dignitas, priuilegia, & quanta ſit ditionis amplitudo inculcatur. pag. 242.

§. I. Guardianus Hieroſolymæ charitatem erga omnes præſertim peregrinos illuc vndique concurrentes exerceat. pag. 243.

§. II. Solymæ Guardianus cunctis in Terra ſancta degentibus forma factus præluceat vitæ exemplo. pag. 249.

§. III. Ad prudentiæ lumen actus omnes in cuſtodiendo Terræ ſanctæ theſauro tractandaque animarum ſalute Guardianus componat. pag. 254.

§. IV. Ad laborum tolerantiam, & ipſum quoque martyrium ſuſtinendum Montis Sion Guardianus fortitudine ſe communiat, & patientia obduret. pag. 260.

§. V. Priuilegia referuntur, quibus Montis Sion Guardianus Summorum Pontificum conceſſione perfruitur. pag. 265.

§. VI. Solymæ Guardianus Pontificalibus paramentis indutis ſacros Maioris hebdomadæ ritus, ac cerimonias inſpectante omnium fere gentium multitudine peragit. pag. 273.

CAPVT II.

De Commiſſariis Terræ ſanctæ, qui ad colligendas eleemoſynas, & illuc deferendas eliguntur. pag. 286.

§. I. Acceptiſſima Deo eſt eleemoſynarum largitio, quæ à fide-

ſidelibus pro ſacrorum locorum adminiſtratione tribuuntur. pag. 289.

CAPVT III.

Regia quædam via ſternitur, vt per eam incedentes Terræ ſanctæ Commiſſarij pecuniarias pro ſanctis locis eleemoſynas quærere: illucque tranſportare queant, & Regulæ tranſgreſſores non inueniantur. pag. 294.

§. I. Poſſunt Minores de Obſeruantia ad ſanctorum locorum conſeruationem pecuniarum eleemoſynas, ſeu nummos colligere, quin regulæ puritatem aliquatenus lædant. pag. 295.

§. II. Minoribus fas eſt conquiſitas pro terra ſancta eleemoſynas illuc perſonaliter transferre, vel transferentes comitari, quouſque Guardiano Hieroſolymitano conſignentur. pag. 304.

CAPVT IV.

Min ores Hieroſolymæ degentes annua legata ſibi perpetuo reddenda pro ſanctorum locorum adminiſtratione capere poſſunt, citra ſtrictiſſimæ ſuæ paupertatis offenſam. pag. 307,

§. I. exponitur modus quo minoreslegata perpetua obtinendi capaces habeantur. pag. 308.

§. II. Regulæ puritati non obſtat quod Minores de Obſeruantia, ſub prædictis modis legata ſibi gratuitò relicta, ſiue temporaria ſint, ſiue perpetua nanciſcantur. pag. 311.

§.III.Quid

§. III. Quid Fratres Minores agere debeant antequam legata perpetua ſibi gratuito relicta acceptent. pag. 317.

§. VI. Fratrum Minorum Regulæ contrarium non eſt, vt annui redditus legata, ſub Miſſarum, & officiorum onere relicta comparare poſſint. pag. 323.

§. V. Loca Terræ ſanctæ, & aliæ Eccleſiæ, in quibus Fratres Minores tanquam Miniſtri exiſtunt, legata accipere & hæredes inſtitui poſſunt.

§. VI. Productis exemplaribus, & Summorum Pontificum conſtitutionibus traditæ de legatis perpetuis reſolutiones ſtabiliuntur. pag. 345.

LIBER PRIMVS.

SERAPHICVS P. S. FRANCISCVS, & Religio per ipſum fundata, ius obtinent ex ordinatione diuina, vt theſaurum ſanctorum locorum Hieroſolymæ cuſtodiant, & adminiſtrent; ac inter Saracenos Mahometi ſectatores inhabitent, ipſos ad Chriſtianam fidem pertracturi.

COELESTIS Sponſus vineæ ſuæ cuſtodem deputauit Spõſam, vtpotè quę amoris facibus agitata nuſquam dormiret; ſed pernox, & vigil excubaret. Amor enim oculatam reddidit, & animoſam, vigilantem, & fortem; vt vigilãs furunculorum aſſultus proſpiceret, & fortis propulſaret. Chriſti vinea eſt Hieroſolyma, *quæ facta eſt dilecto in cornu filio olei*. Ibi torcular crucis, ibi Redemptionis theſaurus, ibi ſalutis humanæ monumenta ſeruantur: ibi non iam paruulæ ſtabulant vulpeculæ, quas Sponſa capi adhortabatur: ſed lupi rapaces, ferociſſimi Leones, & Pardi, hoc eſt, Saraceni Mahumeti ſectatores accubant. Quapropter Dei ordinatione Seraphicus adhibendus erat cuſtos, Franciſcum dico, ſeraphico amore inflammatum, qui impauidus, & vigil, non poma aurea ab inſomni olim dracone malè cuſtodita, ſed ſacra loca, Redemptionis theſaurum fideliter cuſtodiret, prudenterq. adminiſtraret. Franciſcus

Cãt.1.n.5.

Iſa. cap.5. num.1.

Cant.2. nu.15.

Cant. 1. num. 5. hic ille eſt, qui non immeritò dicere poteſt. *Poſuerunt me cuſtodem in vineis, & vineis Engadi*. Verè enim cuſtos poſitus eſt, qui cuſtodiam nõ arripuit, ſed Dei ordinatione ſuſcepit. Non ſemetipſum introduxit, vt fieret cuſtos, ſed repetitis à cœlo monitis ad cuſtodiendam vineam euocatur. Nouerat

Rom. 10. num. 15. Iſa. 6. n. 8. enim D. Pauli ſentẽtiã dicẽtis. *Quomodo prędicabũt, niſi mittantur?* Et Iſaias quamuis prędicãdi cupidus, diuinã expetebat iuſſionem, ideoq. dicebat: *Ecce ego mitte me*. Palæſtinam penetrauit Franciſcus, Damiatę ſe tenuit, loca ſancta inuiſit, (haud dubiũ, quòd ordinãte Deo id fecerit) Saracenis Mahumeti ſectatoribus prędicauit, eorum Principem Sultanum ad Chriſtianam fidem pertraxit: vnde ius ipſi quęſitũ, vt theſauri in Terra ſãcta abſcõditi cuſtos fieret, quod in filios trãſfudit, cùm cancellatis manibus ter benedixit moriturus: Et

Geneſ. 48. num. 22. inter benedicendum, ac moriendum dicere poterat: *Do vobis partem vnam, quam tuli de manu Saraceni in gladio, & arcu meo* (hoc eſt in prædicatione, & deprecatione mea) his enim armis terram illam Franciſcus expugnauit: orando, & prædicando cepit: iiſdem Seraphici milites expugnarunt, & iam diù occupatam ſuſtentant. Vnde ius quæſiiſſe videntur, vt in parte illa inhabitent: & quod Seraphicus eorum pater inceperat, ipſi proſequantur, atque ad felicem exitum perducant. Vt autem hoc apertiùs demonſtretur, & ſeruato rerum ordine procedamus, quo tractatus iſte vtilior lectoribus, & delectabilior euadat, prius totius Terræ ſanctæ, & vrbis Hieruſalem deſcriptionem appingemus.

CAPVT I.

Breuis totius Palæſtinæ deſcriptio contexitur, & an filij Iſrael totam promiſſionis terram poſſederint obiter ventilatur.

COſmographi magnam Syriam, quæ à fluuio Tigri ad Aegyptum vſque protenditur, in quinque partes diuiſerunt; quarum vna dicitur Palęſtina, & promiſſionis Terra

eſt,

eſt, in quam Deus filios Iſrael ſe introducturum promiſerat, & duce magno Ioſue in illius partem introduxit, ac in duodecim portiones, pro filiorum Iſrael numero, poſſidendam partitus eſt. Tribui Iudæ, & Beniamin, ea terræ pars contigit, quæ Regnum Iudæ nuncupatur. Reliquæ decem tribus Samariæ Regnum adeptæ ſunt, cuius caput, & ſedes olim Samaria, nunc dicta Sebaſte, exiſtebat. Porrò Palæſtina toto ſuo ambitu Terram ſanctam, ſiue Iudeæ, & Samariæ Regnum cum toto Philiſthinorum dominio comprehẽdit, ac in tres partes diſtribuitur. Prima, cuius Metropolis eſt ciuitas ſancta Ieruſalem, omnes eiuſdem montes, & colles amplectitur, atque ad mare mortuum vſque ad deſertum Cadesbarne ſe extendit. Secunda, quæ pro Metropoli maritimam habet Cæſaream, totam Philiſthinorum regionem continet, à petraque inciſa, ſeu, vt dicunt, peregrinorum caſtro incipiens, vſque ad Baaſan Philiſthim vrbem contra meridiem protenditur. Tertia, Bethſa iuxta Iordanem Gelboe monti impoſitam pro Metropoli vendicat: Hæc Sicopolis antiquitus dicebatur. Hic iacet Galilæa, ſeu magnus ager Eſdrelon, qui etiam campus Mageddo, Ioſiæ Regis interitu, & Hieremiæ lacrymis memorandus nuncupatur. His terminis Terræ ſanctæ magnitudo circunſcribitur, quam iuxtà quatuor cœli plagas, in totidem partes ipſis correſpondentes Geographi diſtribuunt: quamquam tota eius occidua pars mare Mediterraneum reſpiciat.

Ioſue c. 15. vſq ad 20.

4. Reg. 23. nu 29.

Illa autem, quam filij Iſrael ex Aegypto egreſſi occuparunt, ſiue ſecundùm longitudinem ab Auſtro ad Aquilonem porrecta, ſiue ſecundùm latitudinem ab ortu ad occaſum extenſa conſideretur, centum viginti leucas longitudine complet, & viginti ſex duntaxat latitudine exæquat. Tantundem namque ſpatij à *Dan* vſque *Berſabee* interiacet, teſte Brocardo: quamquam alij, in quibus Hieronymus in epiſtola 129. ad Dardanum, Abulenſis in cap. 13. Num. quæſt. 36. anguſtioribus terminis concludant. Porrò Iſraelitarum ditio vltra hos non extendebatur, iuxtà illud lib. 1. Reg. c. 3. num 20. *Et cognouit vniuerſus Iſrael à Dan vſque Berſabee,*

Brocardus S. Hieron. ep 129. ad Dardan. Abulen. in c. 13. num. quæſt. 36.

quod fidelis Samuel Propheta eſſet Domini. Item Iudic. 20. n. 1. dicitur. *Egreſſi ſunt omnes filij Iſrael, & pariter congregati, quaſi vir vnus à Dan vſque Berſabee.* Et ſecundo Reg. c. 3. nu. 10. *Eleuetur thronus Dauid ſuper Iſrael, & ſuper Iudam, à Dan vſque Berſabee.* Deinde 3. Reg. 4. nu. 25. *Habitabatq; Iuda, & Iſrael abſque timore vllo vnuſquiſque ſub vite ſua, & ſub ficu ſua, à Dan vſque Berſabee, cunctis diebus Salomonis.* Quæ omnia tantundem valent, ac ſi diceretur, à principio vſque ad finem illius terrę, quæ duabus vrbibus tanquam terminis claudebatur. Et ſeptuaginta interpretum verſio apud Sixtianam ſatis exprimit, vbi additur. *Creditus eſt Samuel Propheta Domini in omni Iſrael, ab extremis terræ, vſque ad extrema.*

Hinc iam ſuboritur difficultas: An, ſcilicet, filij Iſrael totam promiſſionis terram poſſeſſione obtinuerint? Et planè cum D. Hieronymo epiſtola 129. ad Dardanum dicendum eſt, Iſraelitas totam promiſſionis Terram non adeptos, quia eius fines latiſſimi deſcribuntur in lib. Numer. cap. 34. à n. 3. vbi Deus terram ſpatioſam Hebræis ſe daturum promiſit. Quam verò nũc deſcripſimus anguſtiſſima eſt. Sed cur Deus
D. Hieron. epiſt. 129. ſuam promiſſionem non adimpleuit? Reſpondet D. Hyeronymus epiſtola citata, promiſſam fuiſſe à Deo Iſraelitis terram ampliſſimam ſub conditione ſi illi diuinis præceptis obtemperaſſent: ſed quia ſpreto Dei cultu Idolis ſeruierũt, promiſsione fraudati ſunt. *Et ego* (inquit) *fatebor hæc tibi repromiſſa, non tradita: ſi obſeruaſſes mandata Dei, & in præceptis illius ambulaſſes, ſi non pro omnipotente Deo coluiſſes Beelphegor, & Baal, Beelzebub, & Chamos, quos quia prætuliſti Deo, omnia, quæ tibi promiſſa fuerant, perdidiſti. Et mihi in Euangelio promittuntur Regna cœlorum, quæ inſtrumentum vetus omnino non nominat; ſed ſi non fecero quæ præcepta ſunt, nequaquam erit culpa in promittente, ſed in me, qui promiſſum accipere non merui.* Verè quidem.

Etenim peccata Dei beneficijs impedimenta opponere, ipſiuſq. promiſsionibus obſtare conſueuerunt. Et ideo ponderatione dignum cenſuit Theodoretus, quod cùm alioquin

Daniel

Daniel tempus Babylonicæ captiuitatis adimpletum eſſe cognouiſſet, & quandiu populum iuxtà Hieremiæ prophetiam ibi detinendum eſſe, ſtatimq. eripiendum certò ſciret: Nihilominus orationibus, & ieiunijs ad Deum ſe contulit inſtanter deprecatus, vt populum à captiuitate redimeret. *Quoniam* (Theodoreti verba ſunt) *etiam ſi Deus millies aliquid nobis promiſerit, ſi nos promiſſis eius indignos exhibeamus, effectum beneficentiæ eius procul dubio impediemus: Timens ergo Propheta, nè peccata Iudæorum diuinis promiſſis obſtarent, preces ad Dominum multiplicauit.* In cap. 9. Daniel.

Hinc etiam Dauid, cui ſatis exploratum erat, quòd ob homicidij, & adulterij crimen, Deus factam promiſſionem, quòd de ipſius Dauidis progenie Meſſias eſſet naſciturus adimplere non teneretur, acerbiſſimo tactus dolore, hunc in modum Deo loquebatur, Pſal. 50. *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam.* In quem locum eſt illud à D. Ambroſio cap.3.in epiſt.ad Rom. ſolerter adnotatum. *Dauid, quia peccauerat in cauſa Vriæ, ſciens quia promiſſio peccatoribus dari non poſſit, exorat, vt iuſtificatio verborum Dei vincat iudicium, quo iudicantur ij, qui peccant, & pœnitentem reformet ſanctificans, vt det ei, quod iuſtis ſe daturum promiſit.* Pſalm 50. Pſal.50.

Et ideo Iudæi ob legis tranſgreſſionem, ſicut lib. Iudic. c.2. eis obijcitur, non ſpatioſam terram acceperunt, ſed nimis anguſtam, hoſtibuſque validiſſimis occupatam, quorum aſsiduo pauore concuſsi, & bello preſsi in Dei præceptorum cuſtodia permanerent, ipſiuſque auxilium implorarent. *Hæ ſunt* (inquit tex. Iudic. 3.) *gentes quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Iſraelem:* quinimò à modica terræ portione, quam Deus, nè irritum faceret pactum ſuum, immerentibus impertiuit, expulſi toto orbe peregrinantur. *Eduxi vos de Aegypto, & introduxi in Terram, pro qua iuraui patribus veſtris: & pollicitus ſum, vt non facerem irritum pactum meum vobiſcum in ſempiternum.* Iud.3.n.1. Iud.2.n.1.

Opponi tamen poterit: Nonnè ſatius eſſet Iudæos à poſſeſſione Terræ prorſus excludere, quàm modicam ipſius portio-

portionem concedere, à qua poſtmodum infelicius expellē-
Tertull. di fuerant? Nam vt diſertè dixit Tertullianus lib. de Pœnitentia. *Miſerius eſt amiſiſſe, quàm non omninò accepiſſe*.
Rupert. Ita planè ſentiendum videbatur. At Iudæi (ait Rupertus lib. 1. in Leuitic. capit. 37.) paruuli erant, & carnales, ad querimonias propenſi, rerumque terrenarum cupidiſſimi. Quid igitur Dominus? Ne pactum ſuum irritum appareat, terram tradidit; vt tamen peccatum ipſorum puniat, querelam auferat puerilem, cupiditatemque exaturet, non totam; Imo, quam donat ab vbertate, & fœcunditate commendat, *Quia* (inquit) *quibus loquitur pueri ſunt, paruuli ſunt, amatores paruorum, cupidi rerum exilium, auidi bonorum terreſtrium, vtpotè necdum cognitores bonorum cæleſtium*.

Quod ſi Terra promiſſionis myſticè & ſpiritualiter accipienda ſit, vt D. Hieronymus citata epiſtola ad Dardanum aliqualiter contendit, eo ductus argumento, quod nunquam ea lacte, & melle manauerit, ſicuti promiſſum fuerat; Vnde etiam Dauid illius Terræ poſſeſſor bona Domini in
Pſal. 26. terra viuentium aſpicere inhiabat. *Credo* (ait) *videre bona*
Pſal. 59. *Domini in Terra viuentium*, & Pſalm. 59. *In Idumæam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ ſeruient. Quomodo igitur* (arguit diſertè S. Hieronymus) *ſe credebat accipere, quod iam victoria poſſidebat? Ergo Terra Iudææ, quæ illius ditionis erat, non eſt Terra viuetium.* Niſi fortè bona illa, quæ Dauid ſuſpirabat, Dominicæ paſſionis ſacramenta intelligenda ſint, quæ Terram illam, promiſsionis Terram nobis reddiderunt. *Quæ nunc*, ait, *nobis Chriſti paſſione, & reſurrectione Terra repromiſſionis effecta eſt*.

Matth. 27. Vnde meritò, & non iniuria illi, qui dicebant: *Nolu-*
Matth. 21. *mus hunc regnare ſuper nos*. Item. *Hic eſt hæres, venite*
Ioan. 19. *occidamus eum*. Rursùs. *Non habemus Regem niſi Cæſarem: Et ſanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros*: à terra excluduntur, in qua pretioſiſsimus noſtræ redemptionis theſaurus, Chriſti ſanguine, & paſsione acquiſitus ſeruabatur: vt poſtea Fratribus Minoribus de Obſeruantia Chriſti vitæ

æmulatoribus, ipſiuſque paupertatis hęredibus traderetur. Nam ſi, vt D.Paulus cenſuit, Terræ promiſsionis veri habebantur hæredes, qui tanquam hoſpites,& peregrini nullam hìc habebant manſionem: Planè Minoribus hoc competit, quorum proprium eſt elogium altiſsima paupertas, qua Regni cœleſtis hæredes inſtituuntur, & non habentes locum, nec domum, nec propriam rem, Terram promiſsionis, ſeu vt verius dicam, theſaurum ibi conditum, in quo Redemptoris peracta ſunt myſteria, poſſeſsione obtinent: ipſiſque illic degentibus terra illa longè feliciùs non melle manat & lacte, nec oleum riuis fluit, ſed deuotionem ſuauitatem ſpiritus, & incredibilem animi teneritudinem ſpirat: Quaſi benedictionem illam potiantur, quam olim Moyſes filijs Aſer impertiuit, dicens. *Benedictus in filijs Aſer, ſit placens fratribus ſuis, tingat in oleo pedem ſuum.* Deuteronomij 32. Minores enim meliùs, quàm Aſeritæ, non ſolùm fratribus ſuis, hoc eſt Chriſtianis, ſed Turcis,& Barbaris ob vitæ integritatem placent, & pedes ſuos, hoc eſt affectus, in oleo illo effuſo, de quo dicebat Sponſa. *Oleum effuſum nomen tuum.* religioſiſsimè intingant. Quin etiam, vt de eodem Aſer prædixit Iacob: *Præbebit delicias Regibus* Geneſ.49. Minoritæ Regibus, ac Principibus Chriſtianis veras præbent delicias: quia loca illa conſeruant, in quibus Chriſti paſsionis monumenta perennant, quæ Dominus Ieſus ſuas delicias reputabat, iuxtà illud Dauidicum. *Et nox illuminatio mea in delicijs meis.*

Deuter.32 *Cant.1.2.* *Geneſ.49.* *Pſal.138. verſ.11.*

Illud autem hoc loco admirationem excitat, quòd cùm ob Iſraelitarum peccata Deus totam promiſsionis Terram ipſis non conceſſerit: illam tamen portionem, ad quam eos introduxit, aëris benignitate, & clementia ſalubrem, ac rerum omnium abundantia commendabilem eſſe voluit. Hoc enim ſignificant verba illa: *Terram fluentem lacte, & melle;* quibus millies in ſcriptura terræ vbertas commendatur. Præcipuum tamen fertilitatis argumentum deſumitur ex cap.8. Deuter. vbi ita habetur. *Dominus Deus tuus introducet te in terram bonam, terram riuorum, aquarumq. & fon-* *Deuter.8.*

& fontium, in cuius campis, & montibus erumpunt fluuiorum abyſſi, & terram frumenti, hordei, ac vinearum, in qua ficus, & malogranata, & olivueta naſcuntnr, terram olei, ac mellis, vbi abſque vlla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrueris, cuius lapides ferrum ſunt, & de montibus eius æris metalla fodiuntur. Nihil planè ad perfectam vbertatis commendationem deſideratur: cœli temperies, benignus ſyderum afflatus, ſoli fœlicitas, iugi aquarum peremnitate irrigui, & aquæ ſaluberrimæ fluminibus frequenter diſſecti. vbi terra modò vallibus depreſſa, modò collibus ſupina, rursùs pratis ſpatioſa, & montibus erecta immenſam frugum, ac fructuum multitudinem ſapore, pulchritudine, colore, figura, ſalubritate commendabilem profert: vbi ad cœli inuidiam prata floribus, multi colore varietate diſtinctis ſtellantur: vbi innumerabilis pecorum & armentorum multitudo paſcitur: vbi optimum balſamum, oleum, & vinum enaſcitur, calidæ, & ſalubres aquæ ebulliunt, ferri, æris, argenti, auriq. ingens copia è fodinis extrahitnr. Tandem præter lacus, quos magnos habet, & plurimos, vbi magna viget piſcium abundantia: qua mari alluitur plurimos efficit portus nauium ſtationibus commercio, & piſcatione accomodatos. Quam rerum omnium affluẽtiam paucisſimis verbis expoſuit Dominus apud

Ezech.20. Ezech. cap.20. *Ego Dominus Deus veſter: in die illa leuaui manum meam pro eis, vt educerem eos de terra Aegypti, in terram, quam prouideram eis fluentem lacte, & melle, quæ eſt egregia inter omnes terras.* Septuaginta legunt: *quæ eſt fauus inter omnes terras*, quaſi tantùm terras alias excederet, quantum fauus melle redundans ipſas anteibat.

Hæc Terræ promiſsionis vbertas qualis erat cùm Deus Iſraelitis eam ſe daturum promiſit, & qualem ipſi illuc ingredientes experti ſunt. Nec ſolùm ea tempeſtate viguit fertilitas: ſed Iudæis inde exulantibus permanſit, vt teſtes

Brocard. oculati referunt, in quibus Brocardus, qui omnem illam regionem perluſtrauit, & cap.1.2 part. *de Fertilitate Terra ſanctæ*, Scribit omnigenam ibi vidiſſe fructuum abundantiam;

tiam; ſpeciatim verò laudat vinearum vbertatem, quæ præter racemorum magnitudinem illius æmulam, quem olim exploratores in pertica pendentem in caſtra detulerunt, vt Numer. 13. ſcribitur, ter in anno vuas producunt. Eadem enim vitis ter putata germinaſcit, ac racemos protrudit tēpore ſuo maturos, ex quibus vinum fit delicatum, ſuauiſſimique ſaporis. Laudabiliores præ cæteris habentur vineæ Bethlehem, vbi natus eſt ille Cypri botrus, qui in torculari crucis expreſſus vinum effudit præſtantiſſimum, quo fideles animæ ſalubriter inebriantur. Hic etiam mel de petra ſugitur, & oleum de ſaxo duriſſimo. Sentiunt qui illic inhabitant, & pedes ſuos, hoc eſt affectus, in oleo tingunt, & melle, quo veſcebatur Sponſus ſuauiſſimè reficiuntur: dum ſacrata paſſionis myſteria noſtræ redemptionis monumentà recolunt, pièque meditantur; Minoritis, quibus funes ceciderunt in præclaris, hoc datum eſt. Hi Apoſtolicæ vitæ æmulatores, & Chriſti paupertatis hæredes, pretioſam inhabitant Solymam virtutum omnium officinam. Vbi Chriſti ſanguis melius clamans, quàm Abel, non de occiſoribus vindictam, ſed veniam poſtulat. Vbi inter Saracenorum putorem, & ſpurcitiam, fragantiſſimos Chriſtianæ pudicitiæ, & charitatis odores ſpirant, & loca illa iam olim ſancta; quia Chriſti pedibus ſanctificata, aliqualem etiam ſpirant ſanctitatem, quam à S. Franciſci nudis pedibus illac deambulantis hauſerunt. Num. 13.

Iubebatur olim Moyſes ſoluere calceamenta, vt Exod. 3. dicitur. *Solue calceamentà de pedibus tuis: locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Et haud dubium, vt habetur in Catena Lipomani, quod vt nudis pedibus terram ſanctificaret? Quidni de Seraphico parente meo Franciſco opinabor, quòd terram illam Chriſti præſentia olim ſanctificatam ſuo aſpectu, & incolatu, quomodolibet ſanctam etiam reddiderit? vtpotè qui Saluatoris noſtri imago, ipſius virtutem, & ſanctitatem ſpirabat. Et quidquid in terram ad Franciſci introitum refundebatur, totum id à Chriſti imagine, & ſimilitudine erat mutuatum. Exod. 3.

Quanquam verò humani generis Aſſertor pro vniuerſis Adami filijs ſanguinem ſuum effuderit, & reliqua noſtræ redemptionis ſacramenta peregerit: Ea tamen loca, vbi noſtram operatus eſt ſalutē, peculiariter Minoritis S. Franciſci alumnis deſtinauit; vt quos Eccleſia dilectiſsimi Sponſi ſui Domini Ieſu paupertatis hæredes, & vitæ ipſius æmulatores habebat, eoſdem cerneret locorum poſſeſſores, in quibus naſcenti gauiſa eſt Sponſo, prædicātem audiuit, miracula patrantem obſtupuit, & non ſine magno doloris ſenſu morientem inſpexit. Et verò Seraphicus Pater, quem, vt mox dicemus, diuina prouidentia ſanctorum locorum, imò Chriſtianæ Religionis ea tempeſtate labantis reparatorem deſignauit, poſtquam ea loca adijt, ibique legem Euangelicam Saracenis, ac alijs infidelibus prædicauit, filios ſuos cancellatis manibus benedicens, vitæ ſuæ ſanctitate, & locorum ſanctorum poſſeſsione locupletauit, quam prophetico forſan ſpiritu afflatus ab ipſis viderat obtinendam.

CAPVT II.

Sancta Dei Ciuitas Hieruſalem deſcribitur, & qualis à prima ſui fundatione ad Chriſti tempora, poſtmodumq. ſub impiorum dominio extiterit, declaratur.

NOn pauci in deſcribenda Solymæ amplitudine calamos detriuerunt: plurimi topographicam ipſius imaginem excudentes ſtylum defatigarunt. Nobis ſtylo parcendum erit; quia non topographiæ, ſed hiſtoriæ indulgemus: quinimo hiſtoricam deſcriptionem mox ſubiciendam, non noſtro calamo elaboratam, ſed à probatiſsimis quibuſque exceptam exhibemus, nonnullis ob breuitatem, cui ſtudemus, detractis, quæ tamen rei veritatem non imminuunt. Igitur Arandam, Brocardum, & Adrichomium, cuius deſcriptio breuior nobis viſa eſt & probatior, ſecuti,

Hieruſalem Ciuitas Dei electa, ſancta, & glorioſa, fundata in montibus ſanctis, loci eminentia, cœli, ſoliquẽ felicitate cunctas mundi vrbes ſuperans, in totius orbis, & Iudææ medio veluti centrum, & vmbilicus terræ ſita eſt; & tanquam regia inter omnes accolas, velut caput in corpore eminet, ſplendidiſque ædificijs ſicut Sol præ cæteris lucet. Tantaque gloria illuſtratur, vt ſingulari quodam priuilegio vnicus olim fuerit electus à Deo locus, & non ſolùm fidelis, cuiuſque anima, verùm etiam electæ militantis Chriſti in terris Eccleſiæ: Denique & beatæ illius in Cœlo triumphantis extiterit figura. Vrbs perfecti decoris, gaudium, & exultatio vniuerſæ Terræ. Hæc circa annum à mundo creato bis milleſimum, & vigeſimum tertium, tempore Abraham, à Melchiſedech Rege condita, hebraicè Salem, græcè verò Solyma vocata eſt; atque ab eo quinquaginta annis poſſeſſa videtur. Quam deinde Iebuſæi, ſeu à Iebuſæo filio Canaham prognati occupauerunt, à quibus Iebus, & Iebuſæum aliquando dicta eſt: quo tempore eius Regem Ioſue occidit: Tenuerunt autem eam Iebuſæi annos octingentos, & viginti quatuor. Tantùmque vrbis fidebant firmitati, vt Dauide Rege ipſam oppugnaturo per contemptum cæcos, claudos, ac mutilos in mænibus collocarint, dictitantes hos ad arcendum hoſtem ſufficere.

At Dauid cùm diuina ope adiutus ciuitate potitus eſſet, expulſis Iebuſæis, eam per circuitum reædificans arce muniens & inhabitans, totius Iudææ Prouinciæ Metropolim, ac Regni caput fecit; Atque deinceps Hieruſalem, quaſi Iebuſalem, B, elemẽto Euphoniç gratia in, R, mutato, grçcè autem in flexo vocabulo Hieroſolyma appellata eſt. Sunt tamen qui ſcribunt à templo, quod Salomon in ea magnificentiſsimum conſtruxit Hieroſolymam, quaſi Hieron Salomonis nuncupatam. Nam Græci *Ιερον* templum vocant. Succedẽte tempore Salomon, alijque Reges Iuda magnam ei acceſsionem adiunxerunt, illamque validiſsimis portis, turribus, muris, & foſsis, item templo, palatijs, preclariſsimiſque ædificijs ita munierunt, atque exornauerunt; vt to-

Matth. 5. num. 5. Pſalm. 73. Ez. ch. 5. num. 38. D. Hieron. Ioſeph. de bello Iud. lib. 5. c. 2. Deuteron. 16. nu. 17. Pſalm 47. Treron 2. Geneſ 14. Ioſeph. Antiq. lib. 7. c. 3. & de bell. Iud. lib 7. c. 18 Geneſ. 10. Ioſue 10. 15. 18. Reg. 2 15. 1. Paral. 2 D. Hieron. de loc. Heb Euſeb. de preparat. Euág. lib. 9 3. Reg. 3. Ioſeph. Lib. 8. Antiq. c. 2. & 5.

tius orbis inter vrbes miraculum eſſet: ideoque ſilentio magis, quàm infimo ſermone honoranda ſit.

Hoc ornatu, ac ſplendore annis quadringentis,& ſeptuaginta ſeptem, velut terrenus paradiſus floruit, habens circuitum quinquaginta ſtadiorum, & per gyrum vrbis foſſam in lapide exciſam,ſexaginta pedum profunditate,latitudine verò ducentorum,& quinquaginta, in qua commorabantur hominum circa centum & quinquaginta millia. Verùm cùm Principum, populique impietas,non modò templum Idolorum abominationibus profanaſſet, ſed etiam ſanguine innoxio crudeliter effuſo, ad os vſque impleuiſſet, Diuina vltione, vnà cum templo Principibus,& populo per Nabuchodonoſor Babyloniæ Regem (Dei autem flagellum) ita funditus euerſa ac ſeptuaginta annis deſolata fuit, vt Sion quaſi ager araretur, & Hieruſalem quaſi aceruus lapidum eſſet, & mons templi quaſi excelſa ſyluarum. Vtque interea (teſte Hieronymo) nec auis volauerit, nec beſtia pertranſierit per eam.

Strabo Geograp. l. 16. Micheas 3. Ierem. 25. 4 Reg. 6. 2. Paralip. 28. Ierem. 25. Hieron. to. 3. de trad. Hebr.

Poſt hæc templo dumtaxat ægrè extructo, portis, turribus, & mænibus carens, à Iudæis de Babylonica captiuitate reuerſis annos ſexaginta tres inhabitata eſt. Cæterum à Nehemia intra dies quinquaginta duos, ambitus triginta trium ſtadiorum portis, turribus, validoque muro cincta, & poſtea à Machabæis, Herode, & alijs, per quam magnificè publicis,ac priuatis ædificijs ornata,priſtino nomine,ac ſtatu,annis quingentis & viginti quatuor glorioſa,& populoſa claruit. Vicos,propter domorum frequentiam, ac denſitatem habens multos, & anguſtos,quo tempore ibi, ſeu in theatro,Ieſus Chriſtus ſalutem noſtram operatus eſt; atque inde velut à centro Apoſtoli Euangelicam prædicationem in vniuerſum terrarum orbem diuulgauerunt.

1. Eſdræ 1. Nehem. 1. 1. Machab. 12 Ioſeph. de bel. Iud. lib 6. c. 13. Pſalm 37. Iſa 2. Machab 4. Actor. 1. Matth. 16. Pſalm. 18.

Sed Titus Cæſar Romanus,in occiſionis Chriſti vindictā, anno poſt Chriſtum paſſum trigeſimo octauo,eam muro triginta nouem ſtadiorum triduo circumdedit, ac Iudæos ex omni tribu feſtum Paſchæ ibi celebrantes, Vrbe velut in carcere concluſit; Vnde vrbs illa toti mundo admirabilis,

Ioſeph. de bel. Iud. lib 6. cap. 13. Euſeb. in Chronic. et Hiſtor. Eccleſ. lib. 4. cap. 6.

facta

facta eſt ſpelunca latronum, & ſepulchrum mortuorum. Nam inteſtinis cædibus, fame, peſte, & gladio vndecies centena Iudæorum millia in ea perierunt, ipſamque vrbem totam ita funditus Titus eruit, vt qui ad eam acceſſiſſent, habitatam aliquando eſſe vix crederent. Tres autem turres Herodianas, nempè Hipicum, Mariamme, & Phaſelum, quæ tam magnitudine, quàm pulchritudine præter alias eminebant, ciuitatiſque eam muri partem, quæ eas ab occidenti cingebat, inconcuſſam reliquit: Tum vt eſſet caſtrum Romanis militibus, illic cuſtodiæ cauſa relinquendis: tum vt poſteris indicarent, qualem vrbem, quamuis munitiſſimam Romanorum virtus obtinuiſſet.

Niceph. lib hiſt. Eccleſ lib. 3. c. 24

Brocar. in deſcript. Terræ ſanctæ.

Sed poſt annos ſexaginta quinque, Iudæis rurſum rebellantibus, Aelius Adrianus Imperator multa eorum millia deleuit, ac turres illas cum relicto muro penitus deſtruxit, iuſſitque ciuitatem aſpergi ſale: quo facto iuxtà Saluatoris oraculum, non eſt relictus vrbis lapis ſuper lapidem, ciuitatemque pomerijs eius plurimum contractis denuo extruens vniuerſum montem Sion vnà cum palatio Salomonis, Regia, & domo ſaltus Libani. Item portam anguli, & Caſtrum Aſſyriorum, totumque eum borealem angulum ad portam ſterquilinij, & portam Ephraim vſque vrbis ambitu excluſit. Montem autem Caluariæ, & ſepulchrum Domini, quæ priùs extra mænia fuerant, vrbis muro ſeptētrionali incluſit; & in fronte eius portæ, qua Bethlehem ibatur, ſuem in marmore ſculpſit, Iudæis eidem ſubiectis hoc modo ſignificans, eos Romanæ ſubiacere poteſtati: quibus & edicto interdixit, nè amplius vrbem illam introirent; aut ex loco quopiam excelſiore eminùs aſpicerent, eamque deinceps à ſuo prænomine, Aeliam Capitoliam nuncupari voluit.

Niceph. 3 hiſt. Eccleſ. cap 24.

Brocar. in deſcript. Terræ ſanctæ.

Vuillelm. Tyr. in hiſt bell. ſac. l. 4 c. 17.

Poſt hæc verò à Chriſtianis inhabitata, & Patriarchali ſede inſignita, ſucceſſu temporis recepto nomine Hieruſalem, annis quingentis in Chriſtiana Religione floruit. Porrò anno à Chriſto nato, ſexcenteſimo trigeſimo ſexto, à Saracenis in Aegypto regnanibus capta, & annis quadringentis ſexaginta tribus poſſeſſa fuit.

Onuphr. in Chronic.

Deinde

Vvillelm. Tyr. Hiſtor belli ſacri lib. 8.

Iacob. de Vitri. c. 20

Scaliger in epiſtol. ad Io. Lotharing. Card.

Deinde anno Chriſti milleſimo nonageſimo nono à Chriſtianis duce Godefrido de Bullion, qui & primus vrbis murum tranſcendit, Idibus Iulij magna fortitudine, ac ſumma vi expugnata eſt, feria ſexta, hora nona, eadem ſcilicet die, & hora, qua Chriſtus mortuus eſt: Tantaque per ciuitatis plateas, vicos, & angiportus, ac ipſo in templo, tum ciuium, tum eorum qui ex vicinis oppidis, & ſuburbanis in eam confluxerant, facta eſt ſtrages, tantaque ſanguinis effuſio; vt nemini niſi per interemptorum funera tranſitus pateret, ac talos tenus in occiſorum ſanguine graderentur. Vtque ipſi victores à planta pedis vſque ad verticem cruore maderent. Qui vrbe potiti, armis, ac ſordibus depoſitis, loca venerabilia Chriſti præſentia, Paſſione, Reſurrectione, & Aſcenſione ſanctificata, à fidelibus, qui in Hieruſalem habitabant ſibi oſtenſa, nudis veſtigijs mira deuotione diebus ſeptem circumierunt, & deoſculati ſunt.

Baſ. Hierol contin bel. ſac. lib. 6. cap. 7. Maſeus in Chronic. Onuphr. in Chron.

Octaua autem die vnanimiter Ducem Godefridum elegerunt, ac Regem Hieruſalem creauerunt. At vir Deo plenus humilitatis cauſa, corona aurea Regum more in ſancta ciuitate noluit inſigniri, ea contentus, & illi reuerentiam exhibens, quam humani generis Imperator in eodem loco vſque ad Crucis patibulum pro noſtra ſalute ſpineam deportauit. Hieruſalem itaque à Chriſtianis recuperata ab eiſdem per octoginta octo annos retenta fuit. Poſtea, nimirum, anno milleſimo centeſimo octogeſimo ſeptimo, ſecũda Octobris die, feria ſexta diſsidentibus (proh dolor) inter ſe Chriſtianorũ Principibus, à Salahadino Aegypti Soldano per deditionem recepta; & ſub eo pacto, vt liceret Chriſtianis tantùm efferre, quantùm quiſque ſuis humeris poſset: qui eam tenuit annis trecentis, & triginta. Anno autem Domini milleſimo quingenteſimo & decimoſeptimo à Selimo Turcarum Imperatore inuaſa, eodem murorum ambitu etiam nunc poſsidetur, qui eam Cazumobarech, ſiue Codsbarich, hoc eſt, vrbem ſacram nominant.

Michæas 4 num. 11.

Hæc Solymæ quondam facies hiſtoricè delineata; quam ſi (vt alij cupiebant dicentes: *Aſpiciat in Sion oculus noſter*)

quiſquam

quiſquam intueretur, in medio Hieruſalem planè diceret: Hieruſalem vbi es? A prima eius fundatione vſque ad pręſentem Chriſti annum milleſimum ſexcentiſimum trigeſimum nonum fluxerunt anni ter mille quingenti, & ſeptuaginta ſex. Perijt mundi oculus, Regnorum corona, ciuitatum gemma, Prouinciarum decus, Palæſtinæ gloria: vniuerſæ terræ gaudium, & exultatio cum vrbe extincta eſt.

In ipſa tamen penitus defauillata, ſuiſque inſepulta cineribus, Chriſti ibi viuentis, ac morientis monumenta perennant, ad extremum vſque finem permanſura. Hanc trecentis abhinc & amplius annis, regnante Turcarum Imperatore, Fratres Minores de obſeruantia Chriſti paupertatis hæredes; vitæque Euangelicæ imitatores obtinuerunt, dilutoq. Chriſtianę gentis opprobrio, interrupta annorum ſerie conſeruant, & obſequioſa admodum cuſtodia venerantur. In quo veros Seraphici parentis ſui æmulatores ſe præbent, & ſpirituales terræ ſanctæ poſſeſſores apparent: quippequi terram illam, cuius videndę ſtudio Moyſes flagrabat, quamplurimi Patriarchæ à longè aſpiciebant, & ſalutabant; nec tamen ea frui datum eſt: Minoritæ quaſi à parente ſuo hæreditatis vice obtentam poſſident, multiſque ibi extructis conuentibus magno cum fidei, & Religionis augmento demorantur; de quibus cap. ſequenti mentio facienda erit.

CAPVT III.

Mons Sion ſanctitate memorandus, & regia Dauidis cithara cantatiſſimus, ſpatium præbuit, in quo primus Seraphicæ Religionis Conuentus, inter infideles extructus recenſetur.

Tractu ſemicirculari ab auſtro porrectus mons Sion, diuinæ dilectionis prærogatiua illuſtris, iuxtà illud Dauidicum. *Montem Sion, quem dilexit*, vrbi Hieruſalem præeminet, quam fortitudine protegit, & pulchritudine Pſalm. 77. num. 68.

ſic

ſic exornat, vt laudatiſsimæ ciuitatis decor, Pſalmographi teſtimonio, ex Sion mutuatus videatur: *Ex Sion ſpecies decoris eius.* Hunc ex hoſte receptum, Dauid ſui nominis vrbem appellauit; ibi arcem munitiſſimam extruxit: ibi pro ſua & Regum Iuda habitatione pälatiũ ædificauit, regia magnificentia digniſsimum: iuxrà quod regius erat carcer, vbi pręcipiente Sedecia Rege, detentus fuit Heremias, eoquod vrbem ab hoſtibus deripiendam prænunciauerat.

Pſalm. 49. num. 2.
2. Reg. 5.
1. Paralip. 11. 3. Reg. 8.
2. Paral. 5.

Propè montis vmbilicum erat cęnaculum magnitudine, & ornatu ſpectandum, in quo Chriſtus peracta legali cæna, ablutiſque Apoſtolorum pedibus ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit. Hìc in ipſo Reſurrectionis die Apoſtolis ſpectandum ſe præbuit, palpandum permiſit, & coram illis comedens Spiritum ſanctum, & poteſtatem remittendi peccata, & retinendi inſufflando conceſsit. Hìc etiam octauo poſtquam ſurrexerat die, Thomæ Apoſtolo, de Reſurrectione incredulo, alijs diſcipulis inſpectantibus, apparuit, manuum, ac pedum, & lateris plagas oſtendit, atque vt palparet, digitoſq. immitteret exhortatus fuit.

In hoc etiam loco Matthias Apoſtolicam dignitatem, Apoſtolorum ſuffragijs, poſthabito Ioſeph iuſti cognomine inſigni, conſecutus eſt. Hìc Spiritus ſanctus igneis linguis deſcendens, Apoſtolorum capita, impoſito quaſi diademate coronauit, & linguarum omnium donum impertiuit: Et quidquid ad Eccleſię regimen conducebat largiſſimè communicauit. Hìc in prima concione ad populum habita Petrus Apoſtolorum Princeps, tria Iudęorum millia ad Chriſti fidem pertraxit, quod forſan Dauid cupiebat cùm cecinit: *Quis dabit ex Sion ſalutare Iſraël?* Pſalm. 52. n. 7. Quin etiam Iſaias c. 2. hanc Petri concionem (ni fallor) præuidens, auditores conuocabat, hunc in modum exhortatus. *Venite, aſcendamus ad montem Domini & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem.* Ex quo montem Sion ſanctiorem dixerim, quàm Sina; in hoc enim lex data fuit, poſtmodum abroganda. De Sion

Pſal. 52. n. 7. & 13.
num. 7.
Iſaias.

verò

verò lex gratiæ prodijt ad mundi finem permanſura. Nam Apoſtoli B. Stephano, & ſex alijs ad Diaconatum aſſumptis, hoc in loco primum habuerunt Concilium, & condito Catholicæ fidei ſymbolo, inde per totum Orbem prædicaturi exierunt. Venerandus planè ſanctitate locus, *in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo*. Nec qualicunque modo, ſed tanquam in domo propria, ad diuturnam ſtationem electa, hìc inhabitabat. Vnde eſt illa Iſaiæ conteſtatio. *Dixit Dominus, cuius ignis eſt Sion, & caminus eius in Hieruſalem*. Qua loquendi formula ſtabilis Dei in Sion habitatio exprimitur. Et ſanè in Prophetarum oraculis, & Dauidis Pſalmodia millies Sion Dei habitatio ſpeciatim electa nuncupatur. Quapropter in ipſam perbelle quadrabat illud emiſtichium.

Pſalm. 72. verſ. 17.

Iſai 31. num. 9.

Non erat in toto ſanctior orbe locus.

Agnouit hanc loci ſanctitatem Helena Magni Conſtantini mater, & templum in eo magnificentiſsimum extruxit, & ampliſſimis porticibus adornauit, intra quarum ambitum concluſit cænaculum. In hoc tēplo D. Hieronymi ætate colūna illa viſebatur, ad quā milites in domo Pilati Chriſtum reuinxerunt, & vltra quinque mille flagris cæciderunt. Columnæ huius pars vna in Monte Caluariæ monſtratur, alia Conſtatinopolim, deinde Romam perducta, in S. Praxedis templo cuſtoditur.

In hoc etiam loco domus erat, in qua Deipara poſt filij mortem cum dilectiſsimo Ioanne ſibi loco filij relicto habitauit: indeque, vt vetus habet traditio, è vita diſceſsit: & poſtea in Eccleſiam eidem B. Virgini dicatā immutata fuit, quam in Hieroſolymitano excidio à Romanis deſtructam, Chriſtiani pòſtea magnificentius erexerunt. Nunc ſolus, vbi quondam fuit, locus apparet, lapidibus circundatus, ne animalium aſſultu polluatur.

Hic etiam Helena domum Cayphæ communem Pontificum habitationem, vbi habitum eſt de Morte Chriſti conſilium, celebrata Iudæ venditio, & tres Petri negationes acciderunt, in S. Petri honorem, in Eccleſiam conuertit, quæ

poſtea de S. Saluatoris titulo dicebatur. Alterius Pontificis Annæ domus, in qua Malchi cognatus Chriſtum alapa impudenter percuſsit, templum factum eſt Sanctis Angelis dicatum: congruum enim erat, vt extructis impietatis loco Eccleſijs, non ſolùm iniquitas, ſed iniquitatis memòria deleretur.

Propè hæc loca ſepulchrum Dauidis extat plurimorum Regum Iuda monumentis circumſeptum. Hoc Saraceni tam impensè colunt, & circumædificatam ibi Eccleſiam ita vigilanter cuſtodiunt, vt neminem Chriſtianorum illuc intrare patiantur.

Iuxtà cænaculũ, & vrbis muros extant S. Stephani Prothomartyris, Nicodemi, Gamalielis præceptoris S. Pauli Apoſtoli, & Abibonis filij Gamalielis ſepulchra. Omnes hi trecentis circiter annis propè Hieroſolymam ſepulti iacuerunt: Donec Honorio imperante eorum corpora fragantiſsimum odorem ſpirantia, immiſſo cælitus oraculo, reperta ſunt, ſicut in Hiſtoriarum monumentis enarratur.

Adricom. Chriſtian. Poſtremò viſitur hoc in loco tabernaculũ Sion, vbi Rex Dauid Arcam Dei collocauit, & ibi per quadraginta annos permanſit, quouſque ædificato per Salomonem templo illuc translata ſcribitur. Locus iſte Dauidis pœnitentia celeberrimus extitit. Nam poſt adulteriũ hùc ſe recepit peccati maculam lachrymis abluturus. Hic Pſalmos pœnitentiales compoſuit: propter quod ab Indianis Orientalibus religiosè colitur: & ideo clauſtrum illi circumdederunt, in quo ritu ſuo Chriſtum venerantur.

Omnia hæc loca complectitur Mons Sion; qua longiori, qua breuiori inter ſe ſpatio ſeiuncta. Nonnulla de nouo extructa, alia in meliorem formam, deleta infamia, pietatiſque & Religionis impoſito nomine, fœliciùs reformata. Quouſque promerentibus id Chriſtianorum peccatis, bellorum incurſu, temporis edacitate, Turcarum impietate partim corruerunt, partim ruitura videbantur. Vt autem labentibus ſanctitatis antiquæ, & Religionis nouæ monumentis auxiliatricem manum admoueret Omnipotens, ar-

cem Sion nouis militibus occupare decreuit. Hos autem, ſiue S.Franciſci meritis, & ipſius cum Chriſto ſimilitudine, ſiue ob peculiares fines reparationi futuræ magis accomodatos, de quibus Cap.8. huius Libri diſtinctiùs tractabimus, ſiue quia Seraphicus Pater loca illa perambulans, dum ibi ſe tenuit, & Sultanum ad Chriſti ouile pertraxit, poſſeſsionem adijſſe videtur, & quaſi ius in prouinciam ita arduam quæſijſſe, ex Seraphica Religione potiſsimũ eligendos procurauit

Vnde, ſicut in Annalibus refertur, Fr. Gerardus Othon, Minoritarum Generalis Miniſter, quoſdam vitæ probitate, & præſtanti prudentia Religioſos in Armeniam remiſit, quibus Fratrem Rogerium Guarinum Aquitarum Prouinciæ alumnum præfecit. Hic humilitate, modeſtia, paupertate, habituque pœnitentis ſuffragante, ab Aegypti Sultano obtinuit, vt noſtrates apud Hieroſolymam nonnulla, in quibus morarentur, loca occuparent. Tantùm in Barbari illius, & Turcarum gratiam ſe inſinuauit. Statim Anno 1333. in monte Sion, ſub ſancti Saluatoris inuocatione primus erectus fuit noſtri Ordinis Conuentus. In quo Fratres religioſæ vitæ auſteritate, & Apoſtolica paupertate magnam ſui apud omnes admirationem excitarunt. Mahumetani viros amore proſequebantur: Chriſtiani verò incredibili voluptate delibuti, quòd Fratrum Minorum labore, induſtria, virtute, cœlo auſpice, ſanctorum locorum apud Hieroſolymam poſſeſſionem Chriſti Eccleſia recuperauerit, illud Iſaię ex cap.61. dicere potuiſſent: *Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini: Miniſtri Dei noſtri dicetur vobis: Fortitudinem gentium comedetis, & in gloria eorum ſuperbietis. Pro confuſione veſtra duplici, & rubore laudabunt partem ſuam: propter hoc in terra ſua duplicia poſſidebunt, lætitia ſempiterna erit eis.* Quæ verba Rupertus lib.2. de Trinitate, & operibus eius cap.25. de viris Apoſtolicæ vitę imitatoribus intelligit. Vnde ſic exclamans eos alloquitur: *O ſortes iuſtitiæ: O plantatio Domini Apoſtolici viri, alieni filij, inquam, peregrinorum.* Et ſtatim in enarrandis eorum excellentijs pulcherrimè

Annal. Minor tom.3. an. 1333. nu.19. & an. 1336. num.20.

Iſa.

cherrimè digreditur: ex quibus aliqua ſaltuatim decerpam; quæ Seraphici parentis alumnis illic degentibus mirificè conueniunt. *Hi enim verè Sacerdotes Domini, verbo Dei vacant, & ſancto otio feriantur*. prædicationi, & orationi
Rupertus. inſtant: *Spiritualia miniſtrant, vt ipſis temporalia miniſtrentur*. Verè enim filij alieni ſunt, & in hoc mundo peregrini, in quo nihil poſſident. Fortitudinem gentium comedunt, & in gloria eorum ſuperbiunt, quia Mahumetanorum elationem, ac ſuperbiam comminuendo, & religioſa pariter humilitate Sultani feritatem demulcendo, *ſuperbia ſancta, & nobili gloriantur*, quòd loca Terræ ſanctæ poſſideant: de quorum poſſeſſione à Chriſtianis ablata, veluti maximo gloriæ elogio, barbari extollebantur. Hi ſunt qui confuſione, ſua duplici, & rubore faciunt, vt laudent alij partem ſuam: Hoc eſt, *Pauperes cenſu, pauperes ſpiritu, duplici confuſione ſua, duplici rubore paupertatis, & mortis affecti*, Hieroſolymitana loca obtinuerunt: Quæ populus Chriſtianus partem ſuam nunc habet, & laudat. Atque adeò cùm *in paupertate viuentes, & in anguſtia*, per martyrium ſcilicet, *morientes*, duplicem confuſionem, & ruborem humiliter ſuſtinuerunt, theſauri Terræ ſanctæ cuſtodes effici, immo, & poſſeſſores eſſe meruerunt: Eccleſia, & Chriſtiani Principes, ac Dynaſtæ partem hanc laudant, & theſauri huius acquiſitionem negotiatione auri, & argenti meliorem iudicantes, pro eiuſdem cultu, & conſeruatione multa aureorum millia expendere non dubitant.

His ergo paupertatis Apoſtolicę cultoribus, primus in monte Sion Conuentus erigitur; Hìc in Dauidis arce, è qua totam vrbem olim expugnaturus Iebuſæorum claudos, & cæcos abſtulit, Fratres Minores de Obſeruantia primam fauſtiſſimo auſpicio habitationem præfixerunt: vt hinc totã vrbem armis cæleſtibus expugnarent. Conuentum enim illum Turri Dauidicę in Canticis laudatiſſimæ ſimilem reputo: è qua mille pendent clypei omnis armatura fortium. Et ſanè Minoritæ, qui hìc excubabant, paupertatis eximiæ prærogatiua ex fortiſſimis Eccleſiæ militibus, ſpiritus fortitudine,

titudine, & gratiæ dulcedine Sultanum (Genebrardo teſte in Cronographia anno 1336.) ita emollierunt, ad ſuique amorem pertraxerunt; vt poſt modicum temporis interuallum Chriſti ſepulchrum ab ipſis cuſtodiendum commendauerit. Noſtrates verò cuſtodiæ munus ita prudenter, religiosè, fideliterque obierunt; vt Turcarum animos ſibi cōciliauerint, atque ob vitæ caſtimoniam, & puritatem ad ſui admirationem impulerint. Quod D. Petrus Epiſt. 1. c. 4. in viris Apoſtolicis maximi fecit, dicens: *In quo admirantur, non currentibus vobis in eandem luxuriæ confuſionem, blaſphemantes.* Genebrar.

Ea tempeſtate Robertus, & Sancia vxor, Siciliæ Reges, cùm iam antea à Sultano Aegypti, non ſine magnis ſumptibus, ac ſub certis tributorum pactionibus obtinuiſſent, vt Fratribus Minoribus liceret intra ſancti ſepulchri templum immorari, ac in monte Sion vbi Monaſterium pro Fratrum hābitatione conſtruxerant, liberiùs ſe tenere: Præterea à Clemente VI. poſtularunt, vt poſſeſsionem, & cuſtodiam duorum locorum, quam Sultanus Minoribus conceſserat, & ipſi Regum authoritate, & ſumptibus in meliorem, & firmiorem ordinem redegerant, Pontificio diplomate confirmaret. Annuit iuſtis Regum ſupplicationibus Clemens; & quaſi negotium è cçlo geſtum cecidiſſe ſibi videretur, gratulabundus, quòd ablatum eſſet Eccleſiæ opprobrium, dum loca illa Redemptoris noſtri operatione ſanctificata de Barbarorum poſſeſsione Minores de Obſeruantia vendicarent, Bullam expediuit, in qua magno verborum pondere vſus poſſeſsionem confirmauit, tenore ſequenti. Annal. to. 3. an. 1342

CLE-

CLEMENS EPISCOPVS ſeruus ſeruorum Dei.

Dilectis filijs Generali,& Terræ laboris Ordinis Fratrum Minorum Miniſtris ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Ex Archiuio Hieroſolymitano

GRatias agimus gratiarũ omnium largitori, eique dignas laudes exoluimus, quòd ipſe chariſſimorum in Chriſto filiorum noſtrorum Roberti Regis,& Sanciæ Reginæ Siciliæ Illuſtrium erga Redemptoris Domini noſtri Ieſu Chriſti obſequia, zelum deuotionis, & fidei feruenter accendit. Quòd ipſi quoad Dei laudem, & gloriam ac Sacratiſſimi Sepulchri Dominici, & aliorum locorum vltramarinorum reuerentiam,& honorem redundant, non ceſſant indeſeſſis ſtudijs operari. Nuperſiquidem eorundem Regis, & Reginæ grata inſinuatio noſtro Apoſtolatui patefecit, quod ipſe non ſine magnis ſumptibus, & laboribus grauibus à Soldano Babyloniæ, qui ſepulchrum Domini, & alia ſacra loca vltramarina proprio ipſius Redemptoris ſanguine dedicata, non ſine cunctorum Chriſtianorum graui opprobrio detinet occupata, obtinuerunt, quòd Fratres veſtri Ordinis intra Eccleſiam dicti Sepulchri poſſint continue commorari, & ibidem Miſſarum ſolemnia, & alia diuina officia ſolemniter celebrare: iam certi Fratres dicti Ordinis ſunt ibidem, & quod nihilominùs idem Soldanus Cænaculum Domini, & capellam, in qua Apoſtolis Spiritus ſanctus apparuit, & aliam Capellam, in qua Chriſtus Beato Thoma præſente poſt Reſurrectionem ſuam Apoſtolis ſe oſtendit, Regi, & Reginæ conceſſit eidem: Quòdque ipſa Regina locum ædificauit in monte Sion, infra quem Cænaculum, & dictæ Capellæ ſita fore noſcuntur: pro dictis fratribus iam eſt diu, vbi duodecim Fratres dicti Ordinis ſumptibus proprijs continuè tenere intendit ad diuinum obſequiũ in ſepulchro, & alijs prædictis locis ſacratiſſimis impendendum, ac tres perſonas ſæculares etiam, quæ ipſis Fratribus ſeruiant, & neceſſaria adminiſtrent.

miniſtrent. Quare præfata Regina nobis humiliter ſupplicauit, vt ad hoc, quod eiuſdem Regis, & ſua in hac parte deuotio impleatur, eiſdem locis ſacratiſſimis de deuotis Fratribus, & ſeruitoribus idoneis, vſque ad dictum numerum prouideri mandaremus. Nos itaque dictorum Regis, & Reginæ pium, & laudabile propoſitum, ac intentionem deuotam dignis in Domino laudibus commendantes, ac volentes eorum votis, & deſiderijs annuere fauorabiliter, in hac parte vobis, & cuilibet veſtrum vocandi nunc, & in poſterum ad veſtram præſentiam auctoritate Apoſtolica ad requiſitionem dictorum Regis, & Reginæ, vel alicuius eorum, aut ſucceſſorum ſuorum de conſilio ſeniorum dicti Ordinis, Fratres idoneos, & deuotos de toto Ordine, vſque ad præfatum numerum, de quibus, conſiderata qualitate negotij videritis expedire; & eos ad ſeruiendum in diuinis, tam in Eccleſia dicti Sepulchri Dominici, quàm in ſacro Cænaculo, & Capellis prædictis, habita prius informatione de conditione Fratrum ipſorum, quos vocaueritis, à Miniſtris Prouincialibus dicti Ordinis; Vnde Fratres ipſi pro tempore aſſumentur deputandi, eoſque ad partes alias etiam deſtinandi, ac etiam alios ipſis, cum aliqui ex eis defuerint totiens, quotiens expedierit, ſubrogandi, ac eis dandi licentiam ibidem commorandi. Contradictores quoque per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendi. Non obſtantibus quibuſcunque prohibitionibus Apoſtolicis, ſeu ſtatutis eiuſdem Ordinis contrarijs, iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis; ſeu ſi aliquibus communiter, vel diuiſim à Sede Apoſtolica ſit indultum, quòd interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem, plenam, & liberam, tenore præſentium concedimus poteſtatem. Volentes vt ipſi Fratres taliter deputandi ſint, poſtquam fuerint vltra mare ſub obedientia, & regimine Guardiani, & Fratrum dicti Ordinis montis Sion, prout ad ſuum ſpectat officium, & Miniſtri Prouinciæ Terræ ſanctæ. Datum Auinione 11. Kalend. Decembris, Anno primo. Pontificatus, &c.

Huius

Huius autem poſſeſsionis per ipſos obtinendæ plurima obſeruationeque dignisſima anteceſſerunt præſagia. Nam quo tempore Turcarum inuaſione Chriſtiani à Terra ſancta expulſi perhibentur, in lucem editus eſt S. Franciſcus, eiuſdem Terræ futurus reparator, vt inferiùs comprobabimus. Et ſanè Minoritarum virtute, ac induſtria Chriſtianus orbis loca ſancta fœlicisſimè recepit. Quod, ni fallor, præ oſtendit Sultani conuerſio (de qua etiam infra) quem B. Franciſcus fide, ac moribus Chriſtianis imbuerat. Vnde tam egregio promeruit facto, vt voluentibus annis Minores tanti Parentis filij ſanctorum locorum poſſeſſores exiſterent: Et oppugnatam non ſemel poſſeſsionem conſeruarent: Pro cuius ſtabilitate plures ſententię à Iudicibus Apoſtolica auctoritate deputatis pronunciatæ referuntur. Quarum, & præcipuè Summorum Pontificum præſidio, aditam per tot annos poſſeſsionem conſeruant.

Hac verò tempeſtate nonnulli aliarum Religionum alumni, meliorum chariſmatum boni forſan æmulatores effecti, ad theſauri huius ſanctisſimi cuſtodiam aſpirarunt: Meque adhuc Romæ talia ſcribente, magno conatu ſibi tradendam contenderunt. Quod cum Sanctisſimo D.N. Vrbano VIII. & ſacræ eius Congregationi de Propaganda Fide innotuiſſet: Quo promouendæ per totum Orbem rei Chriſtianæ ſtudio pollet: Et potisſimum ſacra Redemptionis noſtræ monumenta inter Saracenos integra, & impoluta ſeruare; quinimo maiori cultu, venerationeque haberi ſtudioſisſimè procurat: Minores ad hunc effectum aptiores ſemper iudicauit: quippe qui diuturna tot annorum experientia comprobarunt, ſacrorum locorum cuſtodiam nuſquam melius conſtitutam, quàm cum Minorum fidelitati, curæ, ſollicitudinique traderetur. Nedum quod fines alij (vt poſtea dicemus) præſtantisſimi ſe offerunt, quorum aſpectu Eminentisſimi Cardinales ſacræ Congregationis pręſides, antiquam ſanctorum locorum poſſeſsionem, à Fratribus Minoribus obtentam conſeruari; atque ab ipſis retineri neceſſarium fore cenſuerunt. Tum quia vt vigilantisſimi cu-

ſtodes

ſtodes ad auertenda Eccleſię detrimenta plures oculos,quã olim Argus,intendentes, prævident ſacerrimi theſauri poſſeſſionem in aliorum poteſtate periclitari. Et ideo ne Minoribus irrogetur iniuria, & Eccleſiæ nocumentum euitetur, impoſito Religioſis alijs id aſpirantibus, & Prælatis eorum Generalibus ſilentio, inanes omnium conatus interciderunt.

Quia verò nihil tutum, vbi ſæuus ſemper hoſtis, & inuidioſus exagitat. Turcarum Imperator inuidorum ſuggeſtione impulſus, qui in Minorum Conuentu, vel S. Saluatoris Eccleſia, Dauidis ſepulchrum, & in eo theſaurum eſſe opulentiſſimum dictitabant, proindeque locum ita memorandum Mahumetanis potius ad cultum, quàm Chriſtianis fore deſtinandum, fratres inde expulit: poſtquam ab Anno 1333 ibi ſe tenuerant, vſque ad Annum 1550. vt habet Gonzaga, ſiue 1561. vt ſcribit Chriſtianus Adrichomius, ſiuè quod proprius vero eſt, vt in Bulla Pij IV. enarratur. 1559. qui triginta circiter tres ſupraducentos numerantur. Egreſſi Fratres, in vetuſtum domicilium Vrbis mænibus circumſeptum (S. Saluatoris Monaſterium dicunt) de primi loci iactura mærentes ſe receperunt: Et hìc hactenùs commorantur. *Gonzag. Adrichom. Annal. Minor. to. 3. an. 1342.*

Tertium Conuentum in ciuitate Bethlehem obtinuit ab eodem Sultano memoratus Frater Guarinus, quem ab ipſo inceptum Regina Sancia reſarciuit, Fratrumque habitationi accomodauit, vt in monumentis apud Hieroſolymam ſeruatis reperitur: ex quibus conſtat Fratres per hæc tempora in Conuentu Bthlehemitico commoratos: vnde etiam Marcus Vlyſiponenſis lib. 8. c. 25. & Marianus lib. 4. c. 1. mutuati videntur, quòd de prædicto Conuentu Bethlehemitico tradiderunt. *Marc. Vlyſip. Marianus.*

Quartus Conuentus in Nazareth ciuitate Galilææ fuit ædificatus; ad cuius ſubſtructionem plurimum iuuit Fratris Thomę Nouarienſis Hieroſolymorum Guardiani ſagacitas, qui anno 1629. ab Amir elfachardin Tyri, & Sydonis Principe obtinuit, vt in eodem loco, in quo Beata Virgo Dei

D Verbum

Verbum Angelò nunciante concepit, Eccleſiam conſtrueret, iuxtà quam Fratrum domicilium erexit.

Poſtea verò Anno 1621. idem Frater Nouarienſis aſſentiente Gubernatore, & Senatu ſupremo Hieroſolymitano, die 29. Aprilis, in loco, in quo olim domus erat Zachariæ, Eccleſiam, & Fratrum habitaculum conſtruxit, propè quod fons ſcaturit, è quo B. Virgo apud Eliſabetham manens aquam haurire conſueuerat.

Baruthi etiam, in vrbe Syriæ Damaſci nobiliſſima, concedente Martino V. litteris expeditis 16. Kalend. Martij Pontif. anno 4. Minores aliud condiderunt Monaſterium, vel antiquum ibi olim ædificatum, nouis ſubſtructionibus refecerunt.

In valle Ioſaphat pulcherrimæ ſubſtructionis Eccleſia, & B. Virginis ſepulchro veneranda conſpicitur. Hanc etiam Minores poſſident: & Ioanna Regina Neapolis, Roberti, & Sanciæ Regum Neptis obtinuit à Sultano Babyloniæ, vt Fratribus liceret iuxtà illam Conuentum extruere. Quam conceſſionem ſubſequuta eſt Innocentij. V I. facultas data 11. Kalend. Iunij Anno 10. ſui Pontificatus, & Vrbani V. ſextò Idus Nouembris Pontific. Anno primo.

Aliæ etiam Eccleſiæ tam propè hunc hunc locum, quàm in alijs ædificatæ, ſub Fratrum cura, & adminiſtratione continentur, vt cernere eſt in Annalibus Minorum. Anno Chri- *Annal. Minor. to. 3. an. 1342.*
ſti 1342. Præcipuè tamen ſunt ſancti Sepulchri montis Sion, Bethlehem, & Ioſaphat: quæ, & Conuentus ibi ædificati legitima, & pacifica poſſeſſione à Fratribus Minoribus de Obſeruantia retinentur.

Nec ex alijs Catholicæ, & Latinæ Eccleſiæ Religioſis cuiuſcunque Ordinis, vel profeſſionis ſint, proferentur, qui in Terra ſancta Eccleſiam, vel Conuentum aliquem obtineāt. Soli Minorum Religioni datum eſt, vt ſacra de Saracenorum manibus loca reſumens, Chriſtianæ Reipublicæ opprobrium dilueret Et ideo Carolus de Tapia Regens Neapolitanus, de *Religioſis reb* cap. 54. num. 1. de B. Franciſco, & eius Religione dixit: *Eius meritis gaudeat Eccleſia, exultet Chriſtiana*

na Religio, quæ tanti Patris auxilio, eiuſque filiorum virtute indignationem effugit Domini, & priſtinum Religionis candorem recuperauerit.

CAPVT IV.

Mærenti Eccleſiæ, & propter locorum Terræ ſanctæ iacturam illachrymanti, Seraphica Minorum Religio de Obſeruantia lachrymas abſterſit: dum talium locorum reparatrix fieri promeruit.

SAlomonis ſponſam adhortabantur ſodales, vt ex horto nucum decedens, & ſponſi palatium repetẽs, tantiſper ſiſteret, ad ſubſequẽteſq. reuertens ſeſe præberet ſpectandã; quia videndæ ipſius pulchritudinis deſiderio tenebãtur. *Reuertere*, inquiunt, *reuertere Sulamitis: reuertere, reuertere, vt intueamur te*. Fidelium voces iſtæ ſunt ad Eccleſiam, & (credo) Hieroſolymitanam. Etenim Sulamitis, interprete Legionenſe, eadem eſt, ac Hieroſolymitana: & planè dum repetitis quater vocibus properãtem reuocant, nihil aliud agunt, quàm adhortari, vt ab ijs ſe videri permittat, Templorum ædificijs nobilem, ſanctuarijs venerandam, Redemptionis noſtræ monumentis commendabilem, quatuor Seraphicæ Religionis Conuentibus adornatam; videlicet, Nazarethno, vbi Dei Filius carnem induit: Bethlehemitico, vbi natus eſt, S. Saluatoris, qui pro Cænaculo, vbi Chriſtus Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit, permutatus eſt Anno 1559. Sancti Sepulchri, in quo mortuus, ſepultuſque eſt, ac reſurrexit. Hic reuocantium ardor eſt, hoc ſtudium; vt non tam Sponſæ pulchritudinem videant, quàm illius præſtantiſſimi ſanctuarij aſpectu delectentur; vt ſeptuaginta lectio, & Græcum Scholion manifeſtat. Vbi ſic: *& intuebimur in te, vt ſpectaculum*. Quod magnam habet energiam, & tantundem mihi eſt, ac ſi dicerent: O Solyma vrbium pulcherrima,

Cant. 6. n. vltim.

Legion. in c. 6. Cant.

An. 1559.

rima, dum te iteratis vocibus compellamus, & faciem ad nos conuertere inſtanter petimus: non te ipſam, ſed ſpiritualem theſaurum, qui in te eſt, & præſtantiſſimum ſanctitatis ſpectaculum cernere & venerari præoptamus. Sponſa verò mærens, & gemebunda theſauro, & ſanctuario ſuo ſpoliata, & in hoſtium captiuitatem redacta ſodalium videndi cupiditatem hac reſponſione compeſcuit. *Quid videbitis in Sunamitide, niſi choros caſtrorum?* Porro Sunamitis, vt Simmacus ex textu Hebraico tranſtulit; Tantundem eſt, ac *ſpoliata, & captiuata.* Illud verò quod addit: *Niſi choros caſtrorum*, diuerſo admodum ſignificatu vertit idem Simmacus: *Spoliatam in vulnerationibus caſtrorum.* Quaſi diceret: Quid vos in me inſpecturos eſſe arbitramini, ò fideles? ſpoliata ſum, & captiuata: Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia mea: Theſaurum meum diripuit, Sanctuarium diſſipauit: Sponſi mei dilectiſſimi monumenta euertit Saracenus, & Mahumeti cultoribus, non ſine Chriſtianæ gentis opprobrio tradidit polluenda: Sanctū canibus dedit, & ante porcos pretioſiſſimas theſauri mei margaritas proiecit. Quapropter nihil eſt, quod in me ſpectandum cupiatis, niſi *Spoliatam in vulnerationibus caſtrorum.* Hoc eſt, Saraceni prælij vaſtationem, vulneratorum eiulatus, morientium ſuſpiria, victorum ſpolia, & extremam rerum omnium deſolationem. Pro qua plorans plorabo in nocte, & lachrymæ meæ in maxillis meis: donec Sponſus aliquem mittat, qui ereptum mihi theſaurum reſtituat, & Chriſtianæ gentis opprobrium auferat.

Luxit equidem Eccleſia theſauri Terræ ſanctæ iacturam, & lachrymis vbertim effuſis, infamiam eluere conata eſt, quam populus Chriſtianus contraxerat, dum ſacra Terræ ſanctæ loca penès Saracenos eſſe, neſcio quo pudore, ſuſtinuit. Audienda eſt Vrbani II. Pontificis Maximi Oratio in Claramontano Concilio habita, anno milleſimo nonageſimo quinto. Vbi maximo doloris ſenſu Eccleſię mæſtitudinem, & Chriſtianæ Reipublicæ infamiam deplorauit. Pauca huc transfero. *Salutis*, inquit, *noſtræ incunabula, Domini*

mini patriam, Religionis matrem, populus abſque Deo, ancillæ filius Ægyptiæ poſsidebat violenter, & captiuatis liberæ filijs extremas imponebat conditiones. Saracenorum gens impia, loca ſancta, in quibus ſteterunt pedes Domini, iam à multis retro temporibus violenta premebat tyrannide, ſubactis fidelibus, & in ſeruitutem damnatis. Ingreſſi ſunt canes in ſancta, profanatum eſt Sanctuarium, Ciuitas Dei, Templum Domini, de quo zelans Dominus vendentes eiecit: nè Domus Patris eius fieret ſpelunca latronum, facta eſt ſedes dæmoniorum. Templum Domini, vt ait Mathathias, quaſi vir ignobilis, vaſa gloriæ eius abducta ſunt captiua, ciuitas Regis Regum, quæ alijs regulas intemeratæ tradidit fidei, gentium ſuperſtitionibus cogebatur inuita deſeruire. Hactenùs ille. Matth 21. 1. Machab. 2. num. 8.

Et quidem iam antea D. Paulinus dæmonis rabiem expendens, qua omni ſtudio ſatagit, vt ſancta Hieroſolymæ loca impiorum abominationibus polluantur: Et vbi natus, mortuuſque eſt Redemptor noſter Ieſus, turpis Idolorum cultus exerceatur, Adriani Imperatoris iniquitatem quàm maximè doluit, qui impellente Diabolo, Iouis ſimulacrum in loco poſuit, in quo Chriſtus paſſionem ſuſtinuit, & in Bethlehem, vbi natus eſt, Adonidis imaginem collocauit; vt Eccleſiæ fundamentum dirueret, & fidei radicem ibi germinantem euelleret. Paulini verba ſunt Epiſt. 11. *Adrianus Imperator in loco Paſſionis Chriſti, ſimulacrum Iouis conſecrauit: & Bethlehem Adonidis ſano profanata eſt; vt quaſi radix, & fundamentum Eccleſiæ tolleretur, ſi in illis locis idola colerentur, in quibus Chriſtus natus eſt, vt pateretur; paſſus, vt reſurgeret.*

Plurimum verò ad fidei noſtræ ſtabilitatem, propagationemque attinebat, vt Chriſtianorum gens Terræ ſanctæ loca poſsideret; vt Redemptoris monumenta conſpiciens, & magnalia, quæ in ijs locis pro hominum ſalute ediderat, ante oculos ſibi obiecta perpendens, in fide ſtabilis permaneret; atque ad diuinæ legis obſequentiam, & noui legiſlatoris æmulationem promoueretur. Hinc eſt vt Deus, qui ſuos virtutibus creſcere, augerique deſiderat, in pectore

ſummi

ſummi Sacerdotis duodecim filiorum Iſrael nomina, & præclara cuiuſque facinora totidem pretioſis lapidibus ſcribi præcepit, ſicut Sapient. 18. memoratur. *Et parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum ſculpta erant;* vt Sacerdotes, qui eiuſmodi veſtibus induebantur, toto animorum conatu ad maiorum ſuorum imitationem aſpirarēt, quorum honorem ac dignitatem humeris deferebant: proindeque ſtabilem, & inconcuſſam ſeruare tenerentur. Cùm olim Aeneas veſtem indueret, in qua operoſa acus amænitate depicta Maiorum ſuorum facinora viſebantur. Quaſi tunc omnium honorem humeris ſuis imponeret, rem ipſam Vatum maximus deſcripſit.

Sapiēt. 18.

Virgil. Aeneid. 8.

,, *Attollens humero, famamque, & fata nepotum:*

Tanti verò facit Omnipotens, vt virtutis monumenta nobis ſemper ante oculos obuerſentur, vt propterea loca illa, in quibus humanæ ſalutis myſteria peregit, apud Hieroſolymam conſeruauerit; & terram, in qua fides primas radices egerat, & Religio primum poſuerat fundamentum, ſubuerti, & penitùs diruinon permiſerit; vt homo in creationis ſuæ, & Redemptionis loco poſitus ad gratiarū actionem, & ad virtutis ſequelam moueretur. Vnum & idem Creationis, & Repemptionis locum dixi: quia, vt ſcripſit Moyſes Barcepha in lib. de Paradiſo cap. 28. In loco, vbi poſtea fundata eſt Hieruſalem, primum hominē creauit Deus, vt hac ratione genus humanum obſtrictum redderet ad locum illum impenſius diligendum, ex quo homini excudendo terram elegit Creator, & tractando fecit: & in quo Redemptor lapſi hominis culpam redemit: ibi ſpiritum emittens, vbi in faciem hominis ſpiraculum vitæ ſpirans: factus eſt in animam viuentem. Cuius beneficij memoria tantùm valere debuiſſet, vt hac ſola D. Chryſoſtomus homini ad gratiarum actionem tardo, cunctantique calcaria admouerit. *Quid itaque differs,* inquit, *& torpes, cūm iam tanta receperis, & tot expectes? Quæ namque accepiſti, ſunt iſta: corpus tibi formauit, animam ipſe contulit, honorauit te ratione, ſolùm ex animalibus terrenis omnium tibi viſibilium vſum contulit.*

Moyſes Barcepha.

D. Chryſoſt. hom. 33. de eleemoſina tom. 5.

Sui

Sui preſtitit ſcientiam, pro te tradidit filium; baptiſma tot plenum bonis donauit: ſacram tibi dedit menſam; regnum promiſit,& arcana bona, cùm igitur tot acceperis, totidem accepturus, in ſancto, videlicet, vrbis loco, vbi, vt dicebamus, corpus, ſpiritum, vitam, intellectum, rerum omnium vſum, & dominatum accepit: Vbi etiam Redemptionis beneficium fuit conſequutus, cuius tot in Hieroſolymis memoriæ viuunt, & monumenta perennant: è quibus Chriſti pręſentia, tactu, operationeque ſanctificatis innumera fluxerunt, & quotidie profluunt beneficia.

Quid ni de Domino, & Redemptore talia dixerimus, & paſsionis eius inſtrumentis tantum in eſſe virtutis prædicauerimus? Quando ſerui, & Apoſtoli catenę talem ſpirabant virtutem, vt corpora infirmitatibus ſoluerent: non aliunde, niſi quia illius manus contigerant, cui datæ ſunt claues, vt cęli aditus reſeraret. Perbellè hoc cecinit Arator. *Arator Actor. 1.*

,, ----- *Quid enim non vincula præſtent,*
,, *Quæ tetigit, qui cuncta poteſt abſoluere?*

Longè tamen potentiora ſunt noſtræ Redemptionis monumenta, mirabilioreſque effectus producunt. Experta eſt Paula Romana, de qua ſcripſit S. Hieronymus Epiſt. 17. ad Euſtochium. *Bethlehem*, inquit, *ingreſſa Paula Romana in ſpecu Saluatoris cernebat oculis fidei infantem pannis inuolutu, vagientem in præſepi Dominum, Magos adorantes; ſtellam fulgentem deſuper, matrem Virginem, nutricium ſedulum, paſtores nocte venientes, vt viderent Verbum, quod factum erat* Hoc Paulæ ſtudium filiæ Euſtochio ſcripſit Bethlehemiticus Doctor, & Epiſt 27. ad Marcellã, matris, & filiæ meditationes, ſpiritualiaque exercitia graphicè depinxit, quibus vtraque in ſacro illo virtutum omnium ſeminario iucundiſsimè tenebatur. *Ingrediebantur ſepulchrum Domini, toties iacere in ſyndone cernebant Saluatorem, & paulùlum ibidem commorantes, rurſum videbant Angelum ſedere ad pedes eius & ad caput ſudarium conuolutum. Ibi flebant cum matre, & lignum lambebant: in Oliueti monte cum aſcendente Domino, voto & animo ſubleuabantur.* Quidni in tali ſpiritualis

tualis vnctionis myrothecio nobiles fœminę ſe teneret, hinc ingenti gaudio perfuſæ, inde mærore affectæ, dum Chriſti naſcentis myſteria, & morientis tormenta meditarentur. Et quantùm præſepis, & peractorum ibi myſteriorum contemplatio animũ delinibat; Tantùm Sepulchri, & Caluariæ intuitus mæſtitudine afficiebat: Vnde, quod mirum eſt, affectibus contrarijs animus delectabatur.

Recolendum eſt illud Iacob ſtudium, quo allatam Ioſephi veſtem ſanguine reſperſam ad os, & ad pectus inceſſanter appremebat, milleque infigens oſcula, & in filij viuentis memoria reſpirabat, & in mortui cogitatu, contrarijs oppugnatus affectibus concidebat: veſtis filium obijciebat viuẽtem, ſanguis, quo reſpergebatur, mortuum indicabat; & viuentis amor, & mortui dolor, parentis cor diuerſis affectuum paſſionibus quatiebant: de vita hilaris, de interitu mæſtus, triſtitiam hilaritate, & triſtitia hilaritatem condiebat. Eleganter horum affectuum diuerſitatem expreſsit D. Gregorius Nazianzenus Orat. 14. *Cruentamque*, inquit; *pueri veſtem, quaſi filij carnes oſculabatur; eadem, ſcilicet, re, & dolorem ſuum incendens, & conſolatione mitigans.* Hoc idem eſſet, hodieque eſt eorum ſtudium, qui in Terra ſancta commorantur. Nam ibi Infantis prǽſepe, & peracta in eo myſteria recolunt, & recolendo delectantur: ibi Sepulchri, & Caluariæ locum, in quo mortuus eſt, intuentur, & dolent. Pueri lactantis memoria deliniti, & hominis Dei morientis conſpectu cruciati, dulce affectuum certamen experiuntur.

Nazianz.

Cùm igitur Eccleſia Saracenorum incurſu tot bonis eſſet ſpoliata: Nec relicta ſibi ad ſolatiũ Sponſi naſcẽtis, viuẽtis, & moriẽtis monumenta colere, & venerari fas eſſet. Cũ Hieroſolyma, *Bibens de manu Domini calicem iræ eius;* ſemel atque iterum diuerſis temporibus Barbarorũ direptionem, & penè vltimam ſuſtinuerit vaſtitatem: cùm Theſaurum ſuum diripi: ſanctuarium profanari; atque ad alienos ſuam verti hæreditatem aſpiceret: Cùm in ſe propheticum illud oraculum adimpleri experiretur. *Non eſt, qui ſuſtentet eam ex omnibus filijs, quos genuit, & non eſt, qui apprehendat manum*

Iſai. 61.

eius

eius ex omnibus filijs, quos enutriuit. ingenti amaritudine oppreſſa calamitatem ſuam, & Chriſtianorum opprobrium acerbiſsimè deplorabat: nec iam dicere audebat: *vrbs perfecti decoris ego ſum*: ſed Sponſi ſodalibus obnixè poſtulantibus, vt ſe conuerteret, quo pulchritudinis, & decoris ſui aſpectu fruerentur, captiuam ſe eſſe reſpondit, ſpoliatam, & Barbarorum ferro vulneratam: *Quid videbitis in Sunamitide, niſi ſpoliatam in vulnerationibus caſtrorum*. Cant. 7. 1.

Sed iam lachrymis parce, gemituſque & ſuſpiria comprime, ò Hieruſalem: *Conſurge, conſurge, induere fortitudine tua Sion, induere veſtimentis gloriæ tuæ Hieruſalem, ciuitas ſancti*, quia eſto, *filij tui proiecti ſunt, & dormierunt in capite omnium viarum*: Nec fuit olim, qui conſolaretur te ex omnibus charis tuis. Nunc dolori tuo, contritionique compatiens Sponſus tuus, Franciſci dilectiſſimi ſui Beniamin, in quo ſuam agnoſcit ſimilitudinem, filios ad Sultanum remittit. Iam ab ipſo obtinet Frater Guarinus, vt loca ſancta inhabitet: Iam Robertus, & Sancia Siciliæ Reges litteras mittunt: iam totum negotium peragitur: iam poſſeſſio capitur: iam ablato Chriſtianæ gentis opprobrio Pontificis authoritate confirmatur. Partem diplomatis repeto; In quo Clemens VI. inter confirmandam poſſeſſionem hæc inſeruit. *Zelo puræ fidei, & deuotionis accenſi* (*Reges* puta Siciliæ) *non ſine magnis ſumptibus, & laboribus grauibus à Sultano Babyloniæ, qui ſepulchrum Dominicum, & alia ſacra loca vltra marina proprio ipſius Redemptoris ſanguine dedicata, non abſque cunctorum Chriſtianorum graui opprobrio detinet occupata, obtinuerunt, quòd Fratres Ordinis Minorum infra Eccleſiam dicti Sepulchri poſſint continuè commorari*. Hęc Chriſti Vicarius, qui benè Reipublicæ Chriſtianæ opprobrio vertit, quòd ea loca à Barbaris occupari ſuſtineret. Hoc tamen oppobrium incepta poſſeſſione abſtuliſſe videntur Minoritæ. Illi mærenti Chriſti Sponſæ ſolatium attulerunt: illi Eccleſiæ oculos præ lachrymis gemmantes deſiccarunt, & conceptum de theſauri ſui iactura dolorem abſtulerunt. Iſai. 52.

Cæterùm conſtatura fuit magno res magna labore: Nam

incredibile dictu eſt, quot difficultates pro poſſeſſione acquirenda ſuperauerint Minores: quot ærumnas pro conſeruāda ſuſtinuerint. In fame, in ſiti, in frigore, & nuditate ſollicitas pro theſauri inęſtimabilis excubias indeficiēter exercent. A Saracenis opprobria, irriſiones, flagella, carceres ſuſtinent: ad quos non ſemel promiſſis barbis, quas nutriunt in illis regionibus, appræhenſos, per vrbis vias raptando Barbari crudeliter perducunt, vbi loci ſquallore, ſitiq; tabeſcentes, vitam morti ſimilem tranſigunt. Iam verò crudeles exactiones Turcarum arbitrio impoſitæ intolerabilem pariunt ærumnam, niſi enim à fratribus ſtatim ſoluantur, flagris, & fuſtibus onerant. Mirantur hæc omnia, qui teſtes fuerint oculati, & miraculo vertunt, quod fratres jis in locis degentes tot tamq; immania poſſint tormenta ſuſtinere. Ioannes Zuardus Sācti Sepulchri eques lib. 1. cap. 14. ſui itinerarij ad Terram Sanctam. Georgius Viz captiuitate ibi detentus cap. 2. ſuæ Religionis, & Bernardus de Brindebac Decanus Maguntinus in prima parte ſui itinerarij; omnes locupletiſſimi teſtes, fratrum labores, opprobria, perſecutioneſq; enumerant. Et non ſine ſpeciali Dei auxilio fieri conteſtantur, vt inter tot fidei hoſtium calamitates, infracti animo perſeuerent: Quinimo cum familia, vt ſingulis fit triennijs, inde permutanda eſt, ad Noſtrates reuerti ægerrimè ſuſtinent, ne diſcedentes patientiæ occaſionibus careant, de cuius voluptate illic ſtantes ſaginantur. Qui verò ſufficiendi ſunt, mirum eſt, qua alacritate relictis Conuentibus, & alijs vitæ commoditatibus proficiſcuntur, certi, quod Hieroſolymis non niſi carceres, verbera, tribulationes ſint inuenturi. Et tamen nunquam deſunt, qui ſponte ſua his vitæ periculis ſe obijciant, & plus laboris experiuntur Prælati in reprimendo eorum ſtudio, qui aſſidua inſtantia mitti procurant, quàm in diſquirendo quos mittant. Quod in tam numeroſa Fratrum quantitate, qui quolibet triennio permutantur, & numerum attingunt centeſimum, & vigeſimum, mirabile eſt, & ab alijs Religioſorum familijs non ita numeroſis

Zuard.

Georg. Viz

Bernard. Brind.

qualis eſt noſtra Minorum de Obſeruantia, præſtari non poterit.

Hanc ærumnarum, & perſecutionum enarrationem, quas Minoritæ apud Hieroſolymam ſuſtinent, Regio Henrici VIII. Angliæ Regis annulo coſignatam, abſoluo. Is enim antequam ab Eccleſia deficeret: In Epiſtola ad Guardianum, & Fratres Conuentus S. Sepulchri die 23. Nouembris Anno 1516. Inter alia hæc habet. *Vos qui aliquanto plus cæteris iſthic non ſolum in peregrinis ſuſcipiendis, reficiendiſq; & confouendis, multiſq; alijs charitatis officijs aſſiduè laboratis, iſtaq; ſancta loca ſalutifero Redemptoris noſtri cruore conſperſa, ſanctiſſimumq; iſtud inprimis Dominicum Sepulcrum manifeſtum futuræ noſtræ Reſurrectionis argumentum, perpetuis hymnis, canticis, aſſiduaq; laudis ſacrificijs concelebratis, & exornatis, quiq; iniurias, & contumelias, vexationeſq; quotidianas, necnon verbera, plagas, cruciatuſq; toleratis.* Hæc ille tam verè ſcripta, quàm patienter à Minoribus Hieroſolymæ degentibus tolerata. De quibus locutus videtur Apoſtolus ad Hebreos 11. dùm ait: *Alij verò ludibria, & verbera experti, inſuper, & vincula, & carceres: lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt.* Perbellè mortem pro Chriſto toleratam, veluti laborum omnium coronam vltimo loco poſuit: Eſt enim martyrium pulcherrima vitæ clauſula. Qua etiam non pauci ex Minoribus in Terra Sancta degentibus, labores ſuos, vigilias, Eccleſiarum cuſtodias, ſollicitudinem, *egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errãtes, in montibus, & ſpeluncis, & in cauernis terræ*, non mortis metu, ſed alijs proficiendi ſtudio latitantes; & tandem ad lucem educti feliciſſimè terminarunt. Singulorum martyria recenſuit Author conformitatum, & eadem in Minorum Annalibns enarrantur. Pronum autem erat, vt Minorum Religio hos Martyrij fructus produceret; ac in ipſo ſtatim ſui exortus principio Saracenorum falce putata maiores emitteret propagines, quibus totum Orbem adimpleret, & honorifica ſuarum virtutum elogia mereretur audire,

Ad Hebr. 11.

Ad Hebr. 11.

Piſan. lib. 1. confor. 8. p. 2. de Prouincia Ter. San. Annal. Minor. an. 1342. n. 61.

Card. Vitr. in hiſtoria Occid. c. 32 qualia Iacobus de Vitriaco S. R. E. Cardinalis in Occidentali hiſtoria cap 32. compoſuit. *Hæc eſt Religio* (inquit) *verè pauperum Crucifixi & Ordo Prædicatorum, quos Fratres Minores appellamus. Verè Minores, & omnibus huius temtemporis Regularibus in habitu, & nuditate, & mundi contemptibiliores. Adeo autem primitiuæ Eccleſiæ Religionem paupertatem, & humilitatem in ſe reformare diligenter procurant, puras Euangelici fontis aquas, cum ſiti, & ardore Spiritus haurientes, quod non ſolùm Euangelica præcepta, ſed & conſilia, vitam Apoſtolicam expreſſius imitantes bonis omnibus, quæ poſſident, renunciantes, ſe ipſos abnegantes, crucem ſibi tollendo, nudi nudum ſequentes, &c.* Hinc autem cernere eſt quantùm Diuino adſcribendum ſit delectui, quod Fratres Minores ſanctorum locorum cultui, & pretioſiſſimi theſauri cuſtodiæ, cùm grauior eſſet calamitas, deputarentur: Quippe qui rerum omnium contemptores, & vitæ pro fuſiſſimi cùm ſint, ſtationem, in qua poſiti ſunt, ad mortem vſque decertantes in fracti ſuſtentabunt. Sed mirum non eſt, vt tales poſtmodum ſe prçſtiterint; quia totum ab hauſta ex parente Seraphico virtute prouenit: cuius feliciſſimū exortum, Deus ante prçuenerat, vt terram illam ſpiritualiter reſtauraret (vt cap. ſequēti videbimus) & filiorum cultui committendam mereretur.

CAPVT V.

Hieroſolymitanis rebus vltima penè ruina ſepultis, Sanctus Franciſcus poſſeſſor nouus, & Terræ ſācta apud Saracenos myſticus reparator ſuſcitatur, labentiſque Eccleſiæ Seraphicus Atlas, Deo prouidente ſubſtituitur.

CVm Dei Eccleſia grauioribus neceſſitatibus premeretur; cùm omnes penè virtutes à Chriſtiana Republica exularent, extincta in Sacerdotibus modeſtia, humilitate, continentia: Cùm in omne Chriſtianum genus illa Saluiani

Maſſilienſis Epiſcopi iactari poſſet exprobatio (nimirum) *Quid eſt omnis penè cætus Chriſtianorum, niſi quædam ſentina vitiorum?* Quoniam Tartarus omnem vitiorum ſpurcitiem euomuerat, & pauciſſimi inueniebantur, quos tabes non infecerat. Tunc Deus, vt aſſolet, S. Franciſcum Eccleſiæ ſuæ dedit, pro ruina remedium, pro deſolatione ſolatium; ita quòd ipſo in lucem edito, reſpirans dicere poſſet. *Iſte conſolabitur nos ab afflictione noſtra.* Incidit Franciſci natiuitas, vt poſtea dicemus, tempore, quo Chriſtiani Terram ſanctam amiſerant, & à Saracenis poſſeſſam dolebant, quibus Seraphicus Pater Chriſtum prædicauit, & Aegypti Sultanum ad fidem conuertit

Saluian. in principio Apolog.

Geneſ 5. n. 29.

Eadem etiã tempeſtate hęreſes, vt Cæſarius ſcribit, Vvaldenſiũ maximè ab Vvaldo Lugdunenſi, & Albigentium ſedente Innocentio III. inundabant. Item Humilium peſtis graſſabatur, qui ſub hoc nomine, humilitatem mentiente, Sacerdotibus, animarumque paſtoribus, Paulo Aemilio atteſtante, propria munera vſurpabant. Vltra hos plurimi è Tartaro ſurrexerunt, quorum mentionem fecit Vvadingus in Annal. Minorum. Hi omnes Chriſti Eccleſiam æqua manu oppugnabant, erroribus infeſtabant, & perſecutionibus opprimebant. At verò Deus Sponſæ dilectiſſimæ ſortem miſeratus iniquam, duos Patriarchas S. Franciſcum, & San. Dominicum auxilio miſit, correſpondente ſibi in hac parte eadem Numinis prouidentia; vt ſicut fundandæ Eccleſiæ Petrum, & Paulum Apoſtolorum Principes delegit; ſic etiã reformandæ duos Patriarchas Dominicum, videlicet, & Franciſcum deſtinauit. Vidit, & notauit hanc Dei prouidentiam Bitontinus tom. 2. concion. Dominic. 2. poſt Paſch. vbi hæc: *Initio annuntiationis Euangelicæ, cùm verbum Domini Iudæis, & Ethnicis prædicaretur, duo electi fuerunt Apoſtoli, Petrus, & Paulus. Cùm mundus in tanta prolapſus eſſet vitia, & Dominus pietate motus illum voluit reformare, non elegit vnum tantùm, ſed duos, vnum Cherubicum, alterum Seraphicum, Dominicum, & Franciſcum, duo corpora, ſed vnam animam.*

Cæſar. li. 5 illuſtr. mirac. ca. 21. & 22.

Paul. Aemi lib. 6. de rebus geſtis Francorũ ſub Phil. II

Annal. Minor. to. 1. Apparat. ſ. 1.

Nec

Boſius l. 7. de ſign. Eccleſiaſt.

Nec verò ab his diſſentiunt, quæ Thomas Boſius lib. 7. de Signis Eccleſiæ cap. 1. calamo candore illito deſcripſit. *Duo*, inquit, *hi Dominicus, & Franciſcus Ordinum Religioſorum inter ſuos primi authores, & inſtitutores meritò vocari poſſunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conſpectu Domini ſtantia: de quibus in Apocalypſi. Ab his enim verè dicta eſt Eccleſia, Dei domus ruinam quadam modo minans, inſtitutis ſuis, & cęleſtis vitæ innocentia ſuſtentari.* Addo alia ex ſupplemento Bergomeni lib. 13. ad Ann. 1217. vbi recenſitis eius æui calamitatibus, quæ gentem Chriſtianam opprimebant, hęc adiungit: *Chriſtianorum itaque Dominus Ieſus Chriſtus turpitudine, & calamitate commotus, hunc potiſſimum Ordinem Prædicatorum, & Minorum excitauit; vt collabentem Chriſtianam Religionem erigeret.* Grauiori, & magis generoſo calamo S. Antonin. 3. part. tit. 27. c. 1. in eiuſdem argumenti tractatione immoratur, cui cohęrent alij multi, omnes in in Annalibus Minorum apud Vvadingum conſulendi.

Bergomen. in ſupplim. lib. ad An. 1217.

S. Anton.

Verùm enimuero plurima ad Eccleſiæ vtilitatem ſpectantia in S. Franciſci electione Deum reſpexiſſe ambigendum non eſt. Vnde illud (credo) ante ipſius oculos potiſſimum obſeruabatur, & tanquam finem peculiariter intentum reſpiciebat, vt in ea infortunatiſſima tempeſtate, ad S. Franciſci in Terram ſanctam ingreſſum, & prædicationem, Terra gauderet prædicatore Euangelica paupertate laureato, & Saraceni abiurata Mahumeti infidelitate, Chriſti fidem amplecterentur. Teſtem huius rei oculatum adduco Cardinalem Iacobum de Vitriaco. Is enim ad cap. 32. Occidentalis hiſtoriæ Sanctum Franciſcum Aegypti Sultano prædicantē Damiatæ ſe vidiſſe teſtatur. *Vidimus* (inquit) *primum huius Ordinis fundatorem & Magiſtrum, cui tanquam Priori ſuo omnes alij obediunt, virum ſimplicem, & illiteratum, dilectū Deo, & hominibus, Fratrem Franciſcum ad tantùm ebrietatis exceſſum, & feruorem ſpiritus raptum fuiſſe; quod cùm ad exercitum Chriſtianorum ante Damiatā in Terra Aegypti deueniſſet ad Sultani Aegyptij caſtra intrepidus, & fidei clypeo communitus acceſſit. Quem cùm in via Saraceni tenuiſſent;*

Iacob. de Vitr. c. 32.

Ego ſum Chriſtianus, inquit, ducite me ad Dominum veſtrum. Quem cùm ante ipſum pertraxiſſent; videns eum beſtia crudelis, in aſpectu viri Dei in manſuetudinem conuerſa, per dies aliquot ipſum ſibi, & ſuis Chriſti fidem prædicantem attentiſſimè audiuit. Tandem verò metuens, nè aliqui de exercitu ſuo verborum eius efficacia ad Dominum conuerſi, ad Chriſtianum exercitum pertranſirent. cum omni reuerentia & ſecuritate ad noſtrorum caſtra reduci præcepit, dicens ei in fine: ora pro me, vt Deus legem illam, & fidem, quæ magis ſibi placet, mihi dignetur reuelare.

Addit præterea D. Bonauentura in vita S. Franciſci c. 9. quod tunc temporis S. Pater altiſsimum Trinitatis myſterium (quod negat Mahumetus) Sultano prædicauerit, atq. mirando ſpiritus feruore impulſus in accēſam pyram ingredi ſpoponderit; indeque, in fidei, quam prædicabat probationem, illæſus euadere, ſi Mahumetiſmi Doctores eandem, pro tuēda Mahumeti ſecta, ignis experientiam ſubire voluiſſent. Quinimo addidit, illis ignem ingredi recuſantibus, ſe libēter intraturum, ſi promitterent Chriſtianam fidem recepturos, cùm illæſum ab igne prodeuntem aſpicerent. Veritus tamen eſt Sultanus, vt exercitus ad ignis miraculum conuerteretur, victoriamque amitteret. Ideo S. Franciſcum ab intento retardauit, adijciens quæ citatus Cardinalis de Vitriaco refert. Præterea S. Patris ſpiritum, fidem animoſitatemque admiratus illum vt hominem penè diuinum reputauit. Quanquam à ſæculi huius ſtatutis, legibuſque detentus fidem, quam prorsùs veram animo conceperat, tunc palàm recipere, ac profiteri non eſt auſus. *D. Bonau. cap. 9.*

Hæc autem S. Franciſci prædicatio nullatenùs infrugifera, inaniſque euaſit. Eo enim audito immanis, & feritate metuendus Aegypti Sultanus exuta barbarie comem ſe, & benignum prębuit S. Antonino Stadenſi Abbati, & Matthęo Paris id affirmantibus credendùm. Quinimo, vt iam citatus Cardinalis Vitriaco teſtatur, magna deinceps beneuolentia Chriſtianos proſequebatur, ac ſibi in familiares adiungebat. Verba ipſius in hiſtoria Hieroſolimit. ad. Ann. 1219. hęc sūt. *S. Antonin. 3 part. tit. 19 c. 8. 3. & 4. Paris ann. 1238. Abbas Staden. anno. 1221. Card. Vitr lib. 3. hiſt. Ieroſol. ad ann. 1219.*

Tantæ

Tantæ benignitatis erat in Chriſtianos; vt poſt treguam cum Saracenis ſolui iuberet Chriſti cultores, quos vinculatos inuenit in munitionibus, quas expugnauit; & in optione eorum poſuit, vtrum in patriam ſuam redire vellent, an acceptis ab eo ſolidis, ſub ipſo militare potius eligerent. Idem Chriſtianos intantum familiares habuit, vt cuſtodes ſui corporis conſtitueret eoſdem: licet pater ipſius à Laſcaro Græco fuiſſet interfectus. Nec ſolùm hìc ſtetit Soldani beneuolentia, ſed ex Chriſtianorum amore ad amplectandam Chriſtianam fidem, gradum fecit, & reuera amplexus eſt, vt ſcripſit Hugolinus, Marcus, Cardinalis Vitriaco, S. Antonin. & plures alij. Nam, vt in Annalibus Minorum refertur, aliquibus, poſt, annis, vir ſanctus duobus ex ſuis ſectatoribus in Syriæ partibus apparuit, præcepitque, vt ad Soldanum morbo languẽtem de fide Chriſtiana, & aqua baptiſmatis ſuſcipienda ſollicitum quantocius accederent, & ſacra doctrina ſufficiẽter inſtructum ſacro de more baptizarent.

Hugol. ca 34. Marc. lib. 1. c. 58. S. Antonin. tit. 19. c. 3. ſſ. 3. Annal Min anno Xpi 1219. n 62.

Fuit autem hæc Soldani Malachadini, vt aliqui, ſeù, Voliritij, vt vult Marianus, miraculoſa conuerſio, quam S. Franciſcus ſummoperè expetebat. Vnde ſtatuit, Deum ſumma precum inſtantia ſollicitare, & obteſtari, vt hãc animam ſaluam faceret, pro qua lucranda tot emenſus eſt terras: Neque per plures dies ab oratione deſtitit, quouſque exauditus eſt, & præoſtenſa omnia, quæ futura erant circa Principis conuerſionem, & baptiſmum ab eo ſuſcipiendum. Dùm autem vir ſanctus ad Soldanum iterum rediret, eiq. omnia referret, & fidei noſtræ normam expanderet, maiorem quàm antea erga ipſum concepit amorem; rogauitq; vt diutius vellet apud ſe demorari: ſed præmonitus ille ab alto, vt in Occidentem remearet, non potuit acquiſcere. Vale dicto itaque Principe, deceſſit: eoq; abſcedẽte, ſicut à Deo precibus obtinuerat, Soldanus ſacrum baptiſma ſuſcepit, & S. Franciſci meritis Chriſti Eccleſiæ aggregato, duo illi, quos miſerat, cunctis ad animæ ſalutem obſequijs adfuerunt.

Non tamen hac vna Soldani conuerſione claruit S. Franciſci

ciſci virtus, plures in ijs regionibus edidit memoratu dignas ob perſonarum dignitatem, quas Cardinalis Vitriacus in Epiſtola ad Religioſos, & familiares Lotharingos circa finē recenſet. Doluit humani generis inimicus, & inuidit ereptam ſibi à Franciſco prædam, & cœlo redditam. Vnde fœminam Aegyptiacam forma inſignem, & impudicam impulit, vt Franciſcum ad Veneream carnis illecebram prouocaret, cui immutata facie, & mira in periculoſo congreſſu ſecuritate vir ſanctus dixit, ſe concubiturũ in eo loco, quem ille ſibi vellet eligere. Placet mulierculæ pactum, ſed ad omnem tollendam moram inſtabat. Parat ſe ad cubitum Franciſcus, exuta paupere lacerna, & baculo confrictis, ſparſiſque in pauimento carbonibus, qui erant in camino, deſuper incubuit, magno illæſus prodigio: *En* (inquit tentatrici) *lectus ſplendidus, & floridus tanto opere dignus: hic ille, quem ego eligo, vt eos ignes euadam; ſi adbuc tibi moleſti, nulla potiori aqua, quàm igne hoc extinguentur*. Expauit ad factum mulier, & corde compuncta, coram Franciſco in genua ſe prouoluens errati ſui veniam poſtulauit, & facilè à Domino obtinuit, qui ardores cupidineos in cœleſtes mutauit; ita vt Chriſtiana fide à viro Dei imbuta, multos ad eandem, vel ut Euangelica Samaritana mirabiliter perduxerit.

Spec. vitæ S. Franciſc. cap. 74. Hugol. cap. 33. Marc. lib. 1 cap. 57. Annal. Minor. anno 1219. nu. 64.

Hæc, & ſimilia memorando pariter miraculoſoq; euentu edebat Franciſcus, dum anno illo in ijs regionibus ſe teneret. Vbi fauſtiſſimum eluxit præſagium, quod prædicatione ſua, & filiorum poſtea ſuccedentium, Saracenorum gentem Terræ Sanctæ accolam, & Mahumeti cultricem eſſet debellaturus. Hoc memorata Soldani conuerſio, & inhoneſtæ Aegyptiæ mutatio portendebat: ille potentia, & ſuperbia elatus erat, hæc libidinis facibus accenſa, & fors libidinoſior, quàm quæ olim Ioſephũ in luxuriem prouocauit: fœlicius tamen à Franciſco victa, & in meliorem vitam recepta quàm vetus Patriarcha ſuam expertus eſt tentatricem.

In his autem Soldani, & fœminę Aegyptiæ primis cõuerſionibus paulo ante recenſitis ſtudioſius adnotandum eſt, quod ſuperbia, & armorum potentia; turpitudine, & lu-

xurie tota Mahumetanæ ſuperſtitionis, & Alcorani moles ſuſtentatur. Ita quod diſtricto gladio, ſecluſa ratione, miraculis, veritate ipſa rerum omnium dominatrice, ſectam prædicant, & vi recipere cogunt. Ad quod armorum potẽtiam à Deo ſibi creditam iactant, quemadmodum Chriſto miraculorum virtus fuerat conceſſa. Decepti verò ſunt hi Orbis impoſtores, quibus perenni victoria frui datum non eſt, ſicut Moyſi, & Ioſue, & alijs, quos interruptus victoriam curſus, iuuante Deo nobilitauit. Mahumetus enim multoties bello victus ingemuit. Vnde quidam victum, & dolentem non immeritò carpebat, dicens: *Mahumeto dentes contriti ſunt, & facies colliſa.* Quin etiam præceps actus in foſsam, ibi deiectus, turpiterque victus iacuit. Et quod maiori dignum eſt irriſione, pridie quam victus concideret, ſuis, ſibique victoriam ex cœleſti oraculo prouenturam ſpopondit. Neque in hoc tantùm ſua impiũ fefellit ſpes: aliàs cum latrocinium exerceret, non ſemel à Drianitis cæſus eſt, dum eorum camelos Mecha redeuntes inuaſiſſet. Quapropter in eadem Ciuitate, in qua modo colitur, damnationis tulit ſententiam; propoſitoque donatiuo, ſancitũ fuit, vt is, qui Mahumetũ pernicioſiſſimũ famoſiſſimũq; latronem comprehenderet, à Republica foret præmiandus. Quod ſi euaſit, dæmonis artibus tribuendum eſt, qui filium ſuum ad hominum perniciem, Deo permittente, ſeruauit. Et verò Mahumetum diaboli filium ex nefario cum fœmina
Tolet. concubitu extitiſſe, teſtatur Cardinalis Toletus in ſumma, verbo *peccatum contra naturam*. Vbi Lutherum etiam, & Merlinum Anglũ ex eodem parente genitos affirmat. Quapropter qui gentem cæco impetu in Mahumeti errores prolabentem inſpicis, non conceſſæ è cœlo potentiæ id vertas: naturæ corruptionem reputa, quæ ſponte ſua in deteriora contendens, improbi ſectarij ſtatuta corruptioni ſuæ lenocinantia complectitur.

Mentitæ armorum potentiæ, libidinis fomitem addidit Mahumetus: vnde omnigenæ laxauit fræna libidini, nec ullum vitandum cenſuit carnis peccatum, quin etiam in bruta

fere.

ſerebatur inſanientis libido. Quidni talem conderet legem? quem ita incenſerant cupidinis faces, vt iactabundus dictitaret, pluribus fœminis libidinoſè frui, quàm homines quadraginta ſimul poſſent. Quinimo cum omnibus quotquot cum ipſo gratis congredi turpiter vellent, paratum ſe teſtabatur. Quindecim vxores, & duas habuit ancillas. Plurimos ſuę obſcænitatis diſcipulos nactus eſt magiſter impudicus. Nam vt Thomas Boſius lib. 12. de ſignis cap. 20. ſcribit: *Eſt inter Turcas quorundam, qui religioſiſſimi habentur, ſecta: vocantur hi Turlachi: Mos eſt iſtis palàm per obſcænitatem ſpurciſſimam coire cum quibuſuis etiam belluis, præcipuè verò cum aſinabus, quibus ipſi vehuntur. Et quo fidentiùs hæc ij perpetrarint, eò ſanctiores exiſtimantur.* Nec Boſius tantùm, licèt omni exceptione maior, tam effrenatæ libidinis teſtis laudatur. Eandem etiam plures Scriptores fide digni prodiderũt, & poſthabitis Antonio Menauino, Theodoro Spagundino, Cantacuzeno, & alijs, laudatiſſimum eſt Ioannis Leonis Africani teſtimonium. *Qui quidem* (Boſij verba ſunt) *è Mahumetorum ſanguine ortus, Mahumetoque diu addictus, cùm fuiſſet à noſtris captus, Romamque Leone X. ſedente adductus, Chriſto ſe dedidit, & Africæ deſcriptionem, moreſque ſuæ gentis proprio libro dilegentiſſimè notatos nobis reliquit. Adijcit hìc aliud longè obſcæniſſimum, ſolitos huiuſmodi homines vbi impetus eos libidinis arripuerit, violare mulieres obuias, quas poſuerint in medijs vijs, niſi obſtiterint illæ præ naturali, qui reliquus eſt humanæ menti, pudore. Quod verò eſt inſaniſſimæ mẽtis & ad præſens argumẽtum ſpectat; tanta ſuperſtitione defixi populi tenentur; vt credant hos homines diuiniſſimos, mulieres verò quæ compreſſæ fuerint ab iſtis, ex hoc facto, quaſi conſecratas, & ſanctiores factas.*

Thom. Boſ. lib. 12. de ſig. cap. 20

Anton. Menauin. Theodoſ. Spagund. Cantacuz. Io. Leo Afric.

Euerſa itaque violentia, & libidine perſanata, quibus Mahumeti error fulcitur, ſecta labaſcit, Alcoranus deſtruitur, & ſectatoribus viduatur. Et ſanè victo, ni me fallit opinio, per S. Franciſci conuerſionem Sultano, inaugurata Mahumeticis armorum poteſtas euaneſcit; ſicut etiam medicata per continentiam Aegyptiæ luxuria, turpitudinis fa-

ces extinguntur, quæ igne ſuo hominum mentes excæcant. Cùm igitur Sultanus potentia, & ſuperbia elatus, Aegyptia præ libidine cæca Mahumeti ſectatores extiterint: Et de vtroque Franciſcus victoriam comparauerit. Quid inde opinandum? Niſi quòd paupertate ſua, humilitate, & caſtitate Seraphicus Pater, iiſdemque ſuorum filiorum virtutibus Saracenorum elationem, ac potentiam, & ſpurciſſimã libidinem eſſet detriumphaturus. Nec vana eſt huiuſmodi opinationis fides, ſed Ioachimi prophetia iam dudum confirmata. *Gaudebunt* (de Franciſco, & eius Ordine loquitur) *in Canticis ſuis, ideſt in prædicatione ſua omnes Tribus terræ, & gens immunda Mahumetica, quæ remanebit, & hi, qui reſidui erunt, ad Dominum conuertentur.* Cæterum de hac prophetia latius poſtea diſſeremus.

Ioach. l. de concord. vtr uſq. teſtament.

His igitur peractis, & hac futuræ meſſis expectatione, aſcendit Franciſcus Terram ſanctam, ſacræque Palæſtinæ regionem, Syriam, & Galilæam peragrauit. Ibi Sepulchrum Saluatoris noſtri incredibili affectu inuiſit, vt Author conformitatum ſcribit. Nec inuiſiſſe ſemel tantæ deuotioni ſatisfuit, viſitationem repetiuit: Nam ab Italia diſcedens, & Damiatam contendens, eo in itinere loca ſancta inuiſit. Rurſum cùm in Italiam ſe reciperet, ſacratis locis iterum ſalutatis diſceſsit. Ita plurimi in Annalibus relati confirmant, & cecinit illuſtri poemate Ioannes Picus Mirandulanus, ex quo eſt carmen illud.

Piſan l. 2. conf. 7.

Annal. Minor. to. 1. ann 1219. n. 55. Pic. Mirãd

Pellæo repetens ſolymos, Syriamque rebellem.

Accidit autem in hoc aggrediendo itinere res minimè prætereunda. Nam cùm Seraphicus Pater Nauim ſubſidiariam paulo poſt Damiatam enauigaturam conſcendere ſtatueret: detecto filijs conſilio, omnes certatim ſocios ſe illi in Terram ſanctam profecturo adiungere nitebantur. Paternus amor neminem relinquere ſuadebat, omnes portare congruum non erat. Quid igitur pius omnium pater? Quaſi ſortis indicio amori ſuo, & eorum, qui non aſſumerentur ſcandalo, dolorique ſatisfecit. Vnde omnes ſic eſt allocutus: Filij dilectiſſimi, neminem veſtrum à me vellem ſeiun-

Annal Minor tom. 1 an. 1219. num 55.

ctum,

ctum, omnes huius itineris comites optabam, ſed importunam, & oneroſam petitionem meam Nauita iudicaſſet, ſi omnes admitti poſtularem. Quare ne quiſquam ſe dimiſſum conqueratur, & alterius inuideat electioni; non tam meam volo eſſe, quàm Dei. Et protinus aduocato puerulo, qui forte aderat in nauali: Per os infantium, inquit, & paruulorum, ſæpe Dominus ſuam indicauit voluntatem: Nec dubito eandem modo per hunc puerulum ſignificaturum: Interrogemus eum, & credamus Deo per eum locuturo. Interrogato itaque, an diuinæ eſſet voluntatis, vt omnes fratres, qui aderant, transfretarent: ex tempore conſtanter reſpondit: non eſſe. Vlterius quærentibus: qui nam deberent ex omnibus aſſumi? Voce, & digito vndecim monſtrauit, ad ſingulos, vt diuinitus ei ſuggerebatur, accedens. Quibus viſis, & auditis admiratione repleti omnes, tam qui transfretaturi, quam qui remanſuri, ſua ſorte contenti, genuflexi, & à ſancto viro benedicti, ſibi inuicem vale dicentes, in oſculo charitatis receſſerunt.

Tandem multis emenſis terris Seraphicus Pater Antiochiam pertingens, nigram Montanam iter faciendo occupauit: Quo in loco S. Benedicti ordinis Monaſterium extructum viſebatur. Hic, vt Marcus, Annales Minorum, & alij referunt, Monachi hominem Dei ad ſe venientem ſacro ritu proceſſionaliter exceperunt, iam ab Abbate paulo ante defuncto, & prophetiæ gratia illuminato præmoniti, non longe à ſua morte ſuperuenturum hominem Deo charum, & ſanctum, magnæ familiæ Patriarcham, in veſte lacera, & perſona deſpicabili, omni tamen reuerentia, & honore dignum. Cum his dies aliquot adeo ſancte tranſegit; vt omnium in ſe tranſmutaret affectus, & ad ſancti viri vitam omnes admirarentur. Addunt etiam Authores, Legenda antiqua, Marcus, Piſanus, & alij, Monachos omnes, mores, & habitum commutaſſe, renunciatiſque ampliſſimis poſſeſſionibus, Antiochiæ Patriarchæ, Franciſcanos euaſiſſe. Res plane inſolita, & prodigio quamſimillima, quæque ſingularem Seraphici Patris ſpiritum, & ſpiritualem ipſius cum

Marc. lib. 1. cap. 57. Annal. to. 1. anno 1219. nu. 66.

Leg. antiqua. Marcus. citat. Piſan. cõſ. 9. & 11.

Sancto

Sancto Benedicto cognationem patefacit. Cuius clariſſimum eſt argumentum percelebris triumphus, quem vterque (fors in hac parte ſoli, & pares) de incontinentia, in ſpinis tanquam roſis molliter decubantes reportarunt.

Hic, arbitror, primus Conuentus à Sancto Franciſco ijs in partibus acquiſitus numeratur. Poſtmodum verò plures alios vnà cum ſuis breuiſſimè obtinuit: & facta aliorum acceſſione, quos Monachi Orientales tradiderunt, ita numerus excreuit; vt modico temporis ſpatio S. Pater ampliſſimam ſui Ordinis haberet Prouinciam: Quæ vſque ad Syriæ, & Terræ ſanctæ direptionem à Saracenis, non ſine laude florebat. Hac illius Regionis, & Terræ ſanctæ poſſeſſor euaſit Seraphicus Pater. Nec ſine ſpeciali Dei prouidentia factum opinor, vt cùm infortunatiſſimis temporibus Chriſtiani Terram ſanctam, & eius Metropolim Hieroſolymam, vbi extant humanæ Redemptionis monumenta, perdiderunt, Franciſci natiuitas incideret, vt Eccleſiæ ruinas reſtauraret, deque Saracenorum tyrannide vendicaret, vt poſtea rerum exitus docuit, & ſequenti §. oſtendemus.

§. PRIMVM.

Editur in lucem S. Franciſcus Chriſtianis Terram Sanctam amittentibus, fauſtiſſimo præſagio, quòd per ipſum ſpiritualiter eſſet reparanda.

Baron. to. 12. anno 1182. Abbas ſtad. Marcus Ferdinãd. de Caſtillo. Ioan. Pined. Annal. minor. to. 1. Apparat. §. 3. S. Antonin. 3. p. hiſt. tit. 24 cap. 7.

ANno à Redemptoris Natiuitate 1182. lucem hanc aſpexit Franciſcus; vt author eſt Baronius, Stadens. Abbas, Marcus Vlyſſipon, Ferdinand. del Caſtillo in Chron. Prædicatorum lib. 1. cap. 4. Ioan. Pined 3. p. Monarch. Eccleſ. lib. 22. cap. 23, §. 2. Annal. Minor. & plures alij. Vitam ad annos 45. produxit, & Anno ſalutis humanæ 1226. feliciſſimè concluſit. Ita S. Antoninus 3. p. hiſtor. tit. 24. cap. 27. & alij teſtantur. Per id temporis Sala-

hadinus

hadinus Aegypti Soldanus, diſſidentibus (proh nefas) inter ſe Chriſtianis Principibus, Hieroſolymitanam Vrbem anno 1187. inuaſit, & die Octobris ſecunda, feria ſexta, Chriſtianis indè expulſis occupauit, vt affirmat Adrichomius Chriſtianus, & alij. *Adrich.*

Quinquennium verò ea tempeſtate Franciſcus attigerat: vnde procliuè eſt opinari illum, cùm iam Terra ſancta foret amittenda, tali ætate deſtinatum eſſe, vt quinquennis puer ſacrum quinque plagarum numerum præoſtenderet, quibus virili in ætate diuini amoris manu inſignitus, poſtea ſacratiſſimum illum, inæſtimabilemque ſanctorum locorum theſaurum, in quibus hominem induit Dei filius, naſci, morique voluit, ſurrexit, ac in Cælos aſcendit, mœrenti Eccleſiæ, ac videnti, quòd manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia eius, non ſine ipſius lætitia, Minoritarumque Ordinis honore reſtauraret, redderetque. Congruebat autem, vt ſicut hominum Redemptor Chriſtus quinque plagis vulneratus Redemptionis myſteria obijt, & effuſo ſanguine ſancta loca conquiſiuit: Ita is, qui vice Chriſtus futurus, locorum reſtitutioni deſtinabatur, totidem plagis foret inſignitus, & quinquennis ipſe cum theſaurus amitteretur, numero annorum, plagarum numerum præſagiret, quòd eiuſmodi ſtigmatibus inſignis Redemptoriq. aſſimilis theſauri ipſius futurus erat reparator. Nec mihi parentis imponit affectus, ſed fidem præſtitit rerum euentus. Quoniam acquiſito per Minoritas ſacrorum locorum theſauro gauiſa eſt Chriſti ſponſa: perque trecentum annos, & vltra inter infideles Saracenos loca illa ipſis Miniſtrantibus poſſidet, vt latius currente opere, in huius tractatus decurſu oſtendemus.

Dum autem Franciſcus ea tempeſtate ſacerrimi theſauri reparator futurus deſtinabatur; Saraceni Mahumeti ſectatores illum poſſidebant, in quo Diuinæ gubernationis diſpoſitio clarius illuxit. Nam Deus medici inſtar prudentiſſimi tunc parat anthidotum, cùm venenum præuidet graſſaturum, vt quos adhuc lues non tetigit, à contagione præ-

ſeruet,

ſeruet: & ijs, qui iam infecti erant medeatur.

Ribadeni in vita S. Auguſt.

Sic D. Auguſtinum ſuſcitauit cùm Pelagius hæreſis incendio totum penè orbem Tartareo ſpiritu inſufflante combuſſerat; vt qua ſcriptis, qua prædicationibus flammam extingueret, & contra calidiſſimi veteratoris ſophiſmata Catholicam fidem tueretur.

Ribad. in vita S. Ignat. c. 16.

Pari etiam prouidentia S. Ignatium mirabili conuerſione è ſæculo traduxit, & Societatis Ieſu fundatorem inſtituit, quo tempore Lutherus totum penè Aquilonem hæretica prauitate labefecit; & hæreticorum manum colligebat aduerſus Chriſti Eccleſiam, & ipſius Vicarium pugnaturus; vt S. Ignatij, ſuorumque prædicationibus, & ſcriptis ignea nequiſſimi tela extingueret.

Quidni de S. Franciſco, eandem cogitabimus Dei prouidentiam: Et Eccleſiæ ſuæ à Chriſto datum ſentiemus? vt Paſſionis ſuæ monumenta de manu Saracenorum eriperet; & Mahumeti ſectatores ad fidem pertraheret. Cùm enim impius ille à dæmone edoctus nefariam ſectam ſuperbia, armorumque potentia introduxit, fomitem miniſtrante carnis lenocinio, cui ſuis ſectatoribus abſque vllo naturæ, vel pudoris fræno indulgere permiſit: Franciſcum dedit, qui carnem cum vitijs, & concupiſcentijs crucifigendam prædicabat. Et cùm compellentibus armis, prolectanteq; libidine gentes multitudine penè infinitas Mahumetiſmo infecit: Eòque faciliùs quò venenum illud carnis dulcedine potandum miniſtrabatur. Nam dulcibus epota venena (vt dicunt Medici) citiùs perimunt. Vnde ait in Apologet. Tertullianus: *Venena non dantur niſi melle circumlita*.

Tertull.

Tunc aduerſus ſuperbiam, & potẽtiam Franciſci humilitas, imbecillitaſque paratur. & ad ſanandam carnis corruptionem eiuſdem Seraphici parentis caſtitas opponitur, vt melioribus armis ſectam oppugnaret, quam ipſius author illam introduxerat. Et illud Prophetæ oraculum in S. Franciſco impletum admiraremur. *Clypeus fortium eius ignitus, viri exercitus eius in coccineis*. Vel vt alij ex Hebræo, & Septuaginta legunt: *Arma potentiæ eius ex hominibus, vel ex homine.*

Nahum. 2. n. 3.

ne. Viri exercitus eius illudentes in igne. Quis neget arma Dei potentiæ humilitatem eſſe, & imbecillitatem? Cùm autem humilitas, & imbecillitas longiſſimè à Deò abſint; neceſſe fuit, vt hæc ab hominibus, ſeu ex homine mutuaretur. Quis autem homo iſte? niſi Franciſcus, quem in Aegypto, & Palæſtina degentem, Dei hominem, hominem Deo charum nuncupabant. Quis Franciſco in igne pulchrius luſit? cùm ne carnis flagraret incendio, carnem ipſam flammis deuorandam obiecit, & in prunis recubans, vtroque illæſus mirabiliter prodijt. Cum leonibus, quaſi cum agnis luſerit ille alius: quia tandem carnis ludo ſe victum ingemuit. At Franciſcus cum incenſis carbonibus luſit, quaſi cum roſis: nec vnquam ſe doluit victum, ſed pulcherrimam de tentationibus victoriam reportauit.

Nec ſolus in igne luſit S. Pater: ſed etiam eius filij in igne ludentes delectabantur. Eodem nanque anno miſit celeberrimos quinque Marrochij martyres, Berardum, Petrum, Adiutum, Acurſium, Ottonem, qui ſub ipſum Ordinis principium effuſo in martyrio ſanguine, quinque plagarum parentis ſui ſanguinem eodem numero morientes aſſociarent. Ad Miramolini verò Regnum mittuntur, vt ipſe Orientis, illi Occidentis populi Mahumeticis ſalutare Chriſti prædicarent Euangelium: Sic enim teſte D. Antonino, & alijs, reuelatione à Deo accepit, vt poſtea ipſis cùm iam mitterentur expoſuit, ſicut ex antiqua Legenda tranſtulit Marianus. *Filioli mei, Deus mihi mandauit, quòd mittam vos ad terram Saracenorum ad prædicandum, & confitendum eius fidem, & legem Mahumeticam impugnandam; & ego etiam ibo per aliam partem.* Illi ſine mora genuflexi coram ſancto viro, manu oſculata cum multis lachrymis vltimam expoſcunt benedictionem, quam non minori lachrymarum profluuio impertijt Seraphicus Pater. *Benedictio Dei Patris veniat ſuper vos, ſicut venit ſuper Apoſtolos, & vos corroboret, & dirigat, & in tribulationibus conſoletur. Nolite timere, quia Dominus vobiſcum eſt tanquam bellator fortis. Abite in Dei nomine, qui vos mittit.*

D. Anton. *Marian.*

Non parum filijs profuit Patris benedictio: ſiquidem illius virtute 16. Kalend. Februarij ante mortem S. Franciſci anno ſexto martyrium perpeſſi ſunt. Qui illorum vt audiuit Martyrium, tanto geſtiuit gaudio, tanta perfuſus eſt lætitia, vt facilè exprimi non poſſet. Ad allatum nuntium circumſtantibus dixit: iam verè poſſe aſſerere, veros quinque obtinuiſſe ſe fratres Minores. Eodem die, quo è vita diſceſſerunt in Luſitania (vbi modo eorum corpora ſeruantur) Principi D. Sanciæ ſuæ benefactrici apparuerunt, interceſſionem in Cælo pollicentes. Horum Martyrij nuntium, & exemplum commouit S. Antonium de Padua, vt ad Ordinem fratrum Minorum ſe transferret, quo infidelibus Saracenis Chriſti Euangelium prædicaret. Magna ediderunt miracula Martyrum reliquiæ: in quibus illud eſt memorandum: Quod nemo Veneris ſpurcitia infectus ad illas accedere poterat. Hoc caſtitatis amatoribus, & S. Franciſci filijs debebatur, qui virtutem hanc Saracenis infenſam coluit, & carbonum candentium miraculo comprobauit, ſicut pro eiuſdem caſtitatis cultu plurima in hiſtorijs miracula referuntur à Martyrum reliquijs edita.

Hi igitur quinque legis nouæ ſigniferi, & Euangelij prædicatores Marrochium profecti, primo Hiſpali (Siuiliam dicunt) Euangelium ſectatoribus Mahumetani erroris prædicarunt: Deinde ad Miramolinum perducti, ob prædicationem Regis iuſſu in carcerem coniecti, indeque educti candenti pice, & feruenti oleo aduſtis verberum cicatricibus, & crebra teſtarum volutatione confrictis, ſacram hymnodiam in igne illudentes concinebant. Barbari tanquam inſanientes illudebant Chriſti martyres; ſed Eccleſia ludo illo delectabatur; quia in quinque militum numero, Ducis ſui Franciſci præſagium agnoſcebat. Qui & quinquennio annorum, & quinque plagarum numero, ſacrorum locorum reſtitutor parabatur. Et ſanè omnes Franciſci Conatus in Eòis, Occiduiſque plagis eò tendebant, vt Saracenorum in ſe tranſmutaret affectus, quò ad obtinenda ab ipſis loca ſancta promptiores redderet. Eò etiam, vita functo parente,

te, omnia filiorum ſtudia vertebantur, ad id potiſſimum inſudabant, inſudantque, vt humanæ Redemptionis monumenta ab impiorum manibus eruantur. Præclaram huic rei fidem rerum euentus fecit: Quin etiam multæ Prophetarum prædictiones fidei præluxerunt, in quibus, vt ſequenti capite monſtrabimus, Franciſcus & eius filij in ſacris locis Saracenis concionaturi prodebantur.

CAPVT VI.

Sancti Franciſci natiuitatem, Ordinis ipſius inſtitutionem, & apud Saracenos prædicationem, ſacri vates multis retro ſæculis prænunciarunt.

MAgna & inſolita, quæque ſuo exortu magnam, Deo prouidente, felicitatem allatura ſperantur: priuſquam aſpectu oculos feriant, prædictione recreant; ne ſi inopinato videantur occurſu, magnitudine, nouitateque deterreant: Hinc eſt, vt in ſacris voluminibus tam verbis, quàm figuris plurima conſpicienda proponantur, antequam veniant. Ideò dixit egregiè S. Gregor. Nazianzenus. *Greg. Nazianz. orat. 18.* *Diuina ſapientia magnarum rerum fundamenta multò ante iacit.* Magnum quid futurum erat, vt Cyrus Rex Dei Populum apud ſe captiuum, non ſolùm remitteret, verum etiam muneribus auctum in patrium ſolum abire compelleret, & dirutam Hieroſolymam reſtauraret. Idcirco priuſquam oriretur proprio nomine apud Iſaiam cap. 45. futurus *Iſaias.* prædicitur. *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro.* Atque adeo Iſraelitici populi liberatoris, & Solymorum reſtauratoris prærogatiua, vt credidit S. Hieronymus, ante nomi- *D. Hieron.* natus fuit, quàm natus: & priuſquam de facie cognoſcendus appareret, tanti Prophetæ oraculo naſciturus proderetur. Nouum, & inſolitum in Eccleſia futurum erat ſanctitatis prodigium Magnus ille Franciſcus, Terræ ſanctæ myſticus reparator. Quid igitur mirum vt Prophetarum ore ipſius natiuitas prædiceretur, & tot ſignis, ac figuris delineatus

exiſteret; vt quaſi digito monſtrari: Et nomine proprio viſus fuiſſet deſignari. Plurima proferuntur, ex quibus præcipua hæc proponam, diuiſimque explicabo.

§. PRIMVM.

S. Ioannes Apoc. 7. ſub Angeli figura Franciſcum in Orbem venturum præſignauit.

DIlectiſſimus Chriſti diſcipulus, cuius oculus amore illuminatus cæteris acutius intuebatur, Franciſcum Magiſtri ſui ſimilitudinem in Angelo delineatum præuidit, futurumque agnouit. *Vidi* (inquit) *alterum Angelum aſcendentem ab ortu Solis, habentem ſignum Dei viui.* S. Bonauentura in hoc Angelo expreſſum agnouit S. Franciſcum, & prophetiam de illo literaliter intelligendam ſcripſit. *Hunc Dei nuntium* (ait) *amabilem Chriſto, imitabilem nobis, & admirabilem Mundo ſeruum Dei fuiſſe Franciſcum indubitabili fide colligimus, ſi culmen in eo eximiæ ſanctitatis aduertimus, qua inter homines viuens imitator fuit puritatis Angelicæ, qua & poſitus eſt perfectis Chriſti ſectatoribus in exemplum. Ad quod quidem fideliter ſentiendum, & piè, non ſolum inducit officium, quod habuit vocandi ad fletum, & planctum, caluitium, & cingulum ſacci, ſignandique Tau ſuper frontes virornm gementium, & dolentium ſigno pænitentialis crucis, & habitus cruci conformis; verùm etiam irrefragabili veritatis teſtificatione confirmat ſignaculum ſimilitudinis Dei viuentis, Chriſti videlicet Crucifixi, quod in corpore ſæpius fuit impreſſum, non per naturæ virtutem, vel ingenium artis, ſed potius per admirabilem ſpiritus Dei viui.* Hactenus ille.

Apoc. 7.

S. Bon. in prolog. legēda maioris.

Nec miror S. Doctorem ſcripſiſſe, præfatum locum fide indubitabili de S. Franciſco interpretandum: quoniam Bartholomęus de Piſa Theologus illuminatus conformitate 31. id Sancto Bonauenturæ reuelatione traditum affirmanter adſtruit. *Et quod* (inquit) *dicta prophetia fuerit ad literam*

Piſanus conf. 31.

teram de Beato Franciſco: Diuinitus D. Domino fratri Bonauenturæ Cardinali tunc noſtri Ordinis Generali fuit oſtenſum. Cùm enim in craſtino, exiſtens in loco S. Mariæ de Portiuncula deberet de B. Franciſco prædicare, tenens librum Apoc. ante ſe, cœpit inſtantiſſimè orare Deum quatenus dignaretur ſibi reuelare, de quo fuit illa dicta Prophetia Apoc. de Angelo habente ſignum Dei viui cap. 7. Et vox de Cœlo venit dicens: Frater Bonauentura, figura illa literaliter dicta eſt de B. Franciſco, & hoc ipſe Fratribus, & ſæcularibus poſtmodum dixit. Hæc Piſanus. Nec verò ſoli D. Bonauenturæ, ſed alijs etiam hoc idem reuelatione monſtratum tradidit S. Bernardinus Senenſis tom. 2. ſerm. 60. in principio, quin etiam Leo X. Iacobus à voragine, & alij præfatum locum eodem ſenſu expoſuerunt. Eorum verba nonnulli, præcipuè Sedulius in Sancti Franciſci elogijs recenſet.

S Bernard Senenſis. Leo X. in Bull. vnion Iacob. de Vorag. ſer. ſerm. 2. de S. Franciſc Sedulius in elogijs S. Franciſci. Piſanus l. 1 conform. fructu.

Addit præterea Author Conformit. lib. 1. Conform. 1. ſigillum ſextum, quod Ioannes cap. 6. apertum affirmat, ad tempus, in quo in lucem editus eſt S. Franciſcus, reijciendum. *Et vidi* (inquit) *cũ aperuiſſet ſigillũ ſextum, & ecce terræmotus magnus factus eſt, & Sol factus eſt niger tanquã ſaccus cilicinus: & Luna tota facta eſt ſicut ſanguis; & ſtellæ de cælo ceciderũt ſuper terram.* Deinde c. 7. adiũgit. *Poſt hæc vidi quatuor Angelos ſtantes ſuper quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, nè flarent ſuper terram, nec ſuper mare, neque in vllam arborem: & vidi alterum Angelum aſcendentẽm ab ortu Solis, habentem ſignum Dei viui: & clamauit voce magna quatuor Angelis, quibus datum eſt nocere terræ, & mari, dicens: nolite noceri terræ, & mari, neque arboribus, quoad vſque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum.* Hoc Ioannis vaticinium (ait Piſanus) Federici Imperatoris II. Siculorum Regis tempore adimpletum eſt, vt ſingula percurrendo innoteſcet. Impio enim regnante Federico; *Terræmotus factus eſt magnus;* quia ipſe in Chriſti Eccleſiam, eiuſque Vicarium inſurgens, infideles Saracenos conduxit, bellum adminiſtrauit, Eccleſias ſubuertit, ipſius miniſtros Sacerdotes, Religioſoſque occidit. *Et tunc factus eſt Sol niger;*

quia

quia Chriſti Vicarius Eccleſiæ caput ob perſecutionem ſe abſcondit, *Luna facta eſt ſanguis*: quia Eccleſia lugens, ac mœrens filiorum in ea perſecutione interfectorum ſanguine maduit. *Stellæ de cœlo ceciderunt*; quia non pauci in cœlo militantis Eccleſiæ prælatura radiantes, dum Federico adhæſiſſent, excommunicationis fulmine percuſſi ceciderunt: dæmones in quatuor Angelis ventum cohibẽtibus deſignantur, dum peccatis impediunt, nè Deus gratiæ auram largiatur, ſed ijs irritatus vindictam inferat. Poſſunt etiam quatuor Sanctorum ordines intelligi, Apoſtolorum, videlicet, Martyrum, Confeſſorum, Anachoritarum, & Doctorum, quorum exempla, & doctrinam Mundus contempſerat. Stabant ſuper quatuor partes terræ, præſertim ſæuiente Federici perſecutione, cùm penè omnes à rectitudinis via declinauerant. Et tunc ventum tenere dicebantur; quia vix inueniebantur, qui ipſorum doctrinam, vitæque perfectionem amplecterentur. Dum autem hæc fierent directus eſt alter Angelus; ideſt Angelicus vir Franciſcus, cui vitæ puritas, & Dei miſſio Angeli nomen peperit. Hic ab ortu Solis venit: quia à Sole iuſtitiæ Chriſto tranſmiſſus, vel ab vrbe Aſſiſio ad ortum reiecta: Signum Dei viui portabat, quia Chriſti ſtigmatibus erat inſigniendus. *Et clamauit voce magna*: quia Franciſcus Chriſti magni Regis præco deſtinatus, ad prædicandum ipſius fidem, præſertim Mahometi ſectatoribus deſtinabatur.

§. SECVNDVM.

Aliud de S. Franciſco Vaticinium nouitate, & admiratione commendatum proponitur.

AGgæus Propheta cap. 2. ad illa verba. *In die illa dicit Dominus exercituum, aſſumam te Zerobabel ſerue meus, dicit Dominus & ponam te quaſi ſignaculum, quia te elegi, dicit Dominus exercituum.* Viuis, quod aiunt, coloribus Sanctum

ctum Franciſcum depinxit. Non diſſentiet, qui Authorum expoſitiones ad hunc locum ſolerter expenderit. Omnes enim quotquot legi in duas ſententias omnino contrarias abierunt. Quidam, adſtipulante Lyrano, & Gloſſa ordinaria prophetiam in literali ſenſu Chriſto adaptant, vtpotè qui Dei imago eſt, & figura ſubſtantiæ eius *Hunc* (ait Lyranus) *ſignauit Deus Pater, & hic eſt imago Dei inuiſibilis, & forma ſubſtantiæ eius; vt quicunque crediderit in Deum, hoc quaſi annulo conſignetur:* *Lyranus* *Gloſſ. ord.*

Ribera tamen ſolertiſsimus literalis ſenſus inueſtigator, & alij, euidenti, vt arbitror, ratione ſuffulti, præfatam expoſitionem non admittunt. Illa enim verba. *Ponam te quaſi ſignaculum*, Chriſto Domino, quatenùs æterni Patris imago eſt, ipſiuſque ſubſtantiæ forma, cohærere non poſſunt: quia *ſignaculum* eſt diminutiuum, & ſigillum paruum adſignificat. At verò Chriſtus, vt Deus, imago Patris eſt, eandem cum Patre perfectionem, & æqualitatem obtinens. Atque adeò iuxtà hanc rationem ſeruus dici non poteſt. *Serue meus*. Cùm vt ſic verus Dei Filius, & Patri omnino æqualis iudicari debeat. *Ribera in c.2. Agg.51*

Alij in ſecunda ſententia cum Rabbi Salomone prophetiam exponunt de Zorobabele, ad quem dictum à Deo autumant: *Ponam te quaſi ſignaculum*, à contrario ſenſu illius; quod Iechoniæ dictum refertur apud Hieremiam cap.22. *Viuo ego dicit Dominus, quia ſi fuerit Ieconias filius Ioakim Regis Iuda annulus in manu dextera mea, inde euellam eum.* Et verò ſignaculum in Aggęo annulum ſignificat, quo Reges olim, ac Principes firmandis litteris, obſignandiſque diplomatis vtebantur, vt apud Eſther cap.8. habetur. Senſus ergo erit, ſi Rabbi Salomonis, aliorumque expoſitioni aſſenſerimus, quod ſicut Iechonias fuit à Deo repulſus propter eius malitiam; ſic Zorobabel nepos eius Deo erit acceptus, propter ſuam iuſtitiam. *Quia te elegi*, ſcilicet, ad opus reædificationis templi. *Rabb.Sal.* *Hierem.* *Eſther c.8.*

Diſſonans tamen eſt hæc interpretatio: vnde plurimis diſplicet, à Lyranoque impugnatur. Quoniam verba illa

Antece-

antecedenter poſita, *Ego mouebo cælum pariter & terram, & ſubuertam ſolium Regnorum, & conteram fortitudinem Regni gentium*, ab Hebræis, latiniſque interpretibus, de mutatione Regnorum exponuntur. Hæc autem longo poſt tempore accidit, Zorobabele vita functo. Quapropter Lyranus ita concludit. *Et ideò quod immediatè ſubditur: In die illa dicit Dominus exercituum aſſumam te Zorobabel, non videtur conuenienter exponi de ipſo in perſona propria.*

Lyranus.

Mediam tenet viam tertia ſententia, quæ non ſine communi applauſu obſtantia nubila diſſoluens, præſentem locum S. Franciſco conformiter ad literam adaptat, regulam Sancti Ambroſij amplectens in cap. 2. epiſtolæ ad Rom. vbi ita monet. *Quæ in hiſtoria completa non videas, & in veritate videas eſſe completa, typicè dicta intelligas.* Cùm igitur Aggæi vaticinium duas tantum habeat expoſitiones literales, alteram de Chriſto; de Zorobabele alteram: & propter dictas rationes in neutrum cadere poſſit: Conſentaneum eſt, vt cuidam tertio adaptandum ſit. Quis autem hic erit, niſi S. Franciſcus? quem S. Bernardinus Senenſis tom. 2. ſerm. 60. proprium huius oraculi ſubiectum dicere non veretur. Et meritò, quoniam Franciſcus Chriſti ſignaculum, & ipſius paupertatis extitit imago, quemque Dominus Ieſus proprio quinque plagarum ſtemmate inſigniuit. Vt autem hoc planius fiat, prophetia membratim eſt diſſecanda, ſingulæque ipſius propoſitiones expendendæ; vt quam bene conueniant Seraphico Parenti dignoſcatur.

D. Ambr.

S. Bernardin. Senẽ. to. 2. ſerm. 60.

In die illa, hoc eſt, interprete Lyrano, tempore legis gratiæ, iuxta illud ad Roman 13. *Nox præceſſit, dies autem appropinquauit*. Vel, *in die illa*, adde fauſtiſſima, in qua Deus S. Franciſcum ſuæ dedit Eccleſiæ, morum reformatorem, Saracenis prædicatorem, locorum Terræ ſanctæ reſtauratorem: quinimò totius Orbis Magiſtrum. S. Bonauenturæ calamum redolent pulcherrima, & veriſſima Seraphici Parentis epitheta: ſic enim Legendæ prologum exorditur: *Apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri, diebus iſtis nouiſſimis, in ſeruo ſuo Franciſco, omnibus verè humilibus, &*

Ad Rom.

ſanctæ paupertatis amicis, qui ſuper affluentem in eo Dei miſericordiam venerantes, ipſius erudiuntur exemplo, impietatem, & ſæcularia deſideria funditus abnegare, Chriſto conformiter viuere, & ad beatam ſpem deſiderio indefeſſo ſitire.

Dicit Dominus exercituum. Ter hæc repetit Propheta: *In illa die dicit Dominus exercituum, Aſſumam te Zorobabel ſerue meus, dicit Dominus: & ponam te quaſi ſignaculum, quia te elegi, dicit Dominus exercituum.* Quorſum tendit trina eorumdem verborum repetitio? quam ſuperfluam, & inanem dicere nefas eſt. Nonne ſemel dixiſſe ſatis fuit? *Dicit Dominus.* Vt quid ergò tertio repetitur? *Dicit Dominus, Dicit Dominus, Dicit Dominus,* Proculdubio vt ternarius repetitæ ſententiæ numerus Franciſcum demonſtraret in prophetia præſignatum. quo etiam proprijs velut coloribus pingebatur. Is enim ſolus ternario numero clarior extitit, vt mox planum fiet. Quòd ſi verba illa: *Dicit Dominus,* ter repetita, cum illis, *quia te elegi,* coniungantur: tantundem valebunt, ac ſi Franciſcum proclamarent, & quaſi digito in prophetia depictum oſtenderent. Illum enim Deus ad tria potiſſimum elegit miniſteria. Trium Ordinum fundatorem dedit. Tribus reparandis Eccleſijs monitione præuia deſtinauit. Trinitatis myſterium Saracenis, illud cum Mahumeto ſuo negantibus, prædicatorem præcipuè remiſit. Franciſcus hic ille eſt numero ternario viuens, & moriens clariſſimus. Solus inter alios Eccleſiæ ſanctos ternarij ſtemmate decorus: & dum numeri imparitate inſignis euaſit, neſcio an parem habuit. In Aeggæi tamen vaticinio viuis depictum coloribus contemplor.

S. Franciſcus triū ordinum fundator. Tres Eccleſias reparaturus admonetur. Trinitatis myſteriū Saracenis prædicauit.

Tres Ordines Seraphicus Pater inſtituit; Tres Regulas ternis ſtatibus diuerſis præſcripſit. Hoc materialis trium Eccleſiarum reparatio portendebat, nimirum, S. Petri Apoſtoli, S. Damiani, & S. Mariæ de Angelis, quæ ſine Dei numine non accidit, quod S. Bonauentura prudenter admonuit. *Diuinæ* (inquit) *prouidentiæ nutu, qua Chriſti ſeruus dirigebatur in omnibus, tres materiales erexit Eccleſias, antequam Ordinem inchoans Euangelium prædicaret; vt non ſolum*

Tres regulas inſtituit. *Annal. minor. anno 1221. n. 18.* *D. Bonau. cap. 2. vita S. Franciſci.*

H *à ſen-*

à ſenſibilibus ad intelligibilia, à minoribus ad maiora ordinato progreſſu conſcenderet: Verum etiam quid eſſet facturus in poſterum ſenſibili foris opere myſterialiter præſignaret. Nam inſtar reparatæ triplicis fabricæ ipſius ſancti viri ducatu, ſecundum datam ab eo formam, Regulam, & doctrinam, Chriſti triformiter renouanda erat Eccleſia, trinaque triumphatura militia ſaluandorum, ſicut & nunc cernimus eſſe completum. Hactenus ille. Ideoque Franciſcus antequam hæc ederet, Chriſtum crucifixum corporeis audiuit auribus ter dicentem: *Franciſce, vade repara domum meam, quæ, vt cernis, tota deſtruitur.*

Ter Chriſto admonetur vt domum ſuam reparet. *Piſan. lib. 3. conf. fruct 31.*

Fräciſcus ter librũ Euangeliorum aperiri iubet ante Regulæ inſtitutionem. *D. Bonau. cap. 3. leg. maior.*

Poſtea verò regulam Ordinis conditurus librum Euangeliorum ter fecit a Sacerdote aperiri; vel, vt credit S. Bonauentura, ipſemet aperuit. *Cultor Trinitatis Franciſcus* (inquit S. Doctor) *ter Euangeliorum librum aperuit, trino exponens à Deo teſtimonio ſanctum propoſitum confirmari.* In prima apertione apparuerunt illa verba: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & dà pauperibus.* In ſecunda: *Nihil tuleritis in via*: In tertia. *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat Crucem ſuam, & ſequatur me.* Ter etiam Regulam ſuam condidit S. Pater. Primam conſcidit frater Helias, vt nimis ſtrictam, & rigoroſam: ſecundam caſus abſtulit: Tertia permanſit, atque eadem eſt, quam Summus Pontifex confirmauit.

Matth. 19 num. 21. Marc. 6. num. 8. Matth. 16. num 24.

Ter regulam ſuam condidit: *Autor cõf. li. 1. fruct. 9. p. 2.*

Chriſtus Fräciſco loquens ter repetunt regula ſine gloſſa ſeruetur, & ter ad literam.

Fräciſcus Verbum audiſtis ter repetit.

Accidit verò, vt frater Helias comitantibus Miniſtris Sanctum Parentem conueniret; ipſoque ſciſcitante quid vellent, Helias reſpondit: Miniſtros adeſſe, qui de Regulæ auſteritate conquerentes, & ſeruatu impoſſibilem iudicantes, aliam mitiorem fieri poſtulabant. Tunc S. Franciſcus oculos in Cælum eleuans, tenero affectu quaſi conqueſtus Chriſto loquebatur: cui cunctis audientibus, inter alia, hæc Dominus reſpondit: *Franciſce, volo, quòd Regula ſic ſeruetur ad literam, ad literam, ad literam: ſine gloſſa, ſine gloſſa, ſine gloſſa.* Delinitùs ternarij huius modulamine Franciſcus, alio reſpondit ternario, & ad circumſtantes conuerſus, dixit: *Audiſtis, audiſtis, audiſtis; vultis quòd iterum fa-*

ciam

ciam vobis dici? Nihilque itaque Franciſcus, ore, opereque ſine ternario moliebatur.

Ter etiam Euangelium prædicaturus, ad infidelium partes vir Deo deditus, & fidei zelo accenſus ſe contulit. *Charitatis ardore* (inquit D. Bonauentura) *ſpiritum ipſius ad martyrium perurgente, tertia adhuc vice, pro fide Trinitatis effuſione ſui ſanguinis dilatanda, verſus Infideles proficiſci tentauit*. Seraphicam, & Apoſtolicam ipſius Regulam confirmauit Honorius tertius. Et ſub Innocentio tertio Minoritarum inſtitutum incepit: Ne in confirmatione, Ordiniſque exordio, numeri ternarij deeſſet auſpicium, ſicut in condenda Regula interfuerat.

D. Bonau. cap 9: leg. maioris.

Ter ad prædicādū Euangelium ad infideles pergit.

Ter ad martyriū pergit S. Frāciſcus

Sub In. noc. 3. & Honor. 3. ſuum Inſtitutum incepit.

Cùm autem Deus ad ſtigmatum impreſſionem ſeruum ſuum præuenire ſtatuerit, multa pro Chriſto perpeſſurum reuelatione admonuit. Ex quo Franciſcus fratrem Leonèm conueniens, ei præcepit, vt Sanctiſſimæ Trinitatis nomine, ad explorandum Dei beneplacitum, ter ſacrum librum aperiret. Iuſſis obtemperat Leo, & ter reſerato libro, eadem ſemper verba occurrerunt. In prima aperitione: *Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti*: In ſecunda, *Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti*. In tertia, *Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti*. Inſpirante Deo hanc Euangelij explorationem à Leone fieri S. Pater imperauit, ſicut S. Bonauentura in Legenda maiori cap. 13. affirmat. *Immiſſum eſt*, inquit, *igitur menti eius per Diuinum oraculum, quòd in apertione libri Euangelici reuelaretur ei à Chriſto, quid de eo in ipſo, & de ipſo maximè foret acceptum*. Et planè ex his certò coniecit S. Pater, ſe hac ratione à Deo præmonitum, vt ad multa, grauiaque ſufferenda pararetur. Iterum S. Bonauentura eodem loco. *Sanè cùm trina libri apertione ſemper Domini paſſio occurreret: intellexit vir Deo plenus, quod ſicut Chriſtum fuerat imitatus in actibus vitæ, ſic conformis ei eſſe deberet in afflictionibus, & doloribus paſſionis, antequam ex hoc Mundo tranſiret*.

Annal. minor. anno 1209. n. 8.

Frāciſcus Leonem adhortatur, vt librū Euangeliorum ter aperiret.

D: Bonau. c. 13. leg. mai.

Ter paſſionem Chriſti in libri apertione reperit.

Ter Franciſcum percutiēs Chriſtus ſtigmata impreſſit.

In Stigmatum quoque impreſsione numerus ternarius inuenitur. Nam Chriſtus tribus vicibus, & ternis ictibus ſa-

Ter eleemoſynam à Franciſco petijt Franciſc. tres monetas auri Chriſto dedit. *An. 1282. Annal. Anno 1224. n. 16. Piſ. confor. 31.*

cra vulnera impreſſit. Sed primò eleemoſynam ter petijt à Franciſco, qui tres auri nummos in ſinu per miraculum inuentos Redemptori ſuo obtulit. Tum Dominus proprijs manibus ter ictus repetens vulnera inflixit: Sic enim Seraphicus Pater cęleſtibus iam adſcriptus, cuidã Religioſo patefecit Anno 1282. vt Minorum Annales referunt, & Piſanus, cuius hæc ſunt. *Poſt hæc* (ait S. Franciſcus) *ipſe Dominus Ieſus Chriſtus crucifixus, manus ſuas corpori meo applicauit; & primò manibus, ſecundò pedibus, tertiò ſtigmata lateris cum vehementiſſimo dolore ſenſi, & cum magna qualibet voce mei clamoris impreſſit: & verba quædam ſecreta mihi dixit, quæ nulli adhuc homini reuelaui.* Omnibus itaque modis ternarius numerus myſterijs abundans, Franciſco Dei manibus obſignando ſeruiebat.

Crux aurea ter viſa eſt è Franciſci ore procedere.

Quidam Sacerdos ciuitatis Aſſiſij nomine Sylueſter, honeſtæ conuerſationis vir (vt affirmat D. Bonauentura) vidit ter Crucem quandam auream ex ore Franciſci procedentem, cuius ſummitas cælos tangebat; cuiuſque brachia protenſa in altum, vſque ad mundi fines videbantur extendi. Ad cuius etiam aſpectum præfulgidum, Draco ille te ter, & horridus penitus fugabatur.

Laterale Franciſci vulnus tribus digitis palpatur.

Neque in hoc tantùm ternarius numerus videtur abſolutus: iterum inuenio repetitum. Cùm enim Frater quidam tunicam è corpore Sancti Patris, cui ſeruiebat, extraheret, illam excuſſurus, lateris plagam inſpexit, cui etiam teſte S. Bonauentura cap. 13. Legendæ maioris, tres veloci contactu digitos applicans, tam viſu, quàm tàctu vulneris quantitatem agnouit.

Admirandus planè, & frequentiſsimus ternarij concurſus, qui in tota Seraphici Patris vita ſic inuenitur repetitus; vt nihil feciſſe, vel in eo factum apparuerit, quod ternario non fuerit conſignatum. Hinc Author Conformitatum, conformit. 31. part. 2. S. Franciſci vitam ſtudioſè recolens, tres in ea actuum differentias obſeruat: Quidam enim perſonales ſunt, alij perfectionales; alij tandem paſſionales In omnibus ferè ſẽper ternarius apparet, & Chriſti ſimilitudo elucet, vt

per

per ſingulas actiones breuiter diſcurrendo aperietur.

Ter Franciſcus fuit acerbiſſimè flagellatus, ſemel à parente, iterum à Saracenis, tertiò a dæmonijs in hoſpitio Cardinalis Leonis.

Ter Frãc. flagellatur.

Franciſcum Tau ſigno mira colornm varietate diſtincto; fronti impreſſo Fr. Pacificus olim inſpexit. Et quidem ſignum hoc aunulus extitit ſignatorius, quo litteras ſuas Franciſcus obſignabat. Quin etiam, addit Piſanus, in viro illo, quem Ezechiel c. 9. viderat præſignificatus. Is enim vt verus amicus Crucifixi directus eſt à Domino ad ſignandum frontes virorum gementium, & dolentium ſigno Tau, vt mortis interitum euaderent.

Auth. confor. fruct. 5. Frãciſcus ſigno Tau in fronte impreſſo viſus eſt.

Ter Fratri Syluestro certa viſione fuit detectũ, S. Franciſcum à Deo deſignatum extitiſſe, vt glorioſæ Crucis aſſumpto vexillo hoſtis maligni robur elideret, ac præclaris veritatis fulgoribus, tam doctrinæ, quàm vitæ, mentes fidelium ad paſſionis Domini ſectanda veſtigia induceret, pariterque illuminaret.

Ter reuelatur futurus Frãciſ Crucis prædicat. Piſ. confor. 1. part. 2.

Tripliciter certior redditus eſt Frater Leo de Virginitate S. Franciſci, nimirum confeſſione, viſione, ſupernoque oraculo; ſic ſcribit Piſanus Conformit. 8. part. 2. Ipſe verò Sanctus Pater tres contemplationis altiſſimos gradus, ſeu tres perfectas admodum differentias raptus obtinuit, quemadmodum probat idem Author lib. 2. Conform. 3. part. 2.

Triplicit. de Frãciſ. virginit. Leo certior redditur.

Franciſcus tribus panibus triginta Fratres ſaturauit, vt refert Author Conform. lib. 2. fruct. 12. 2. part. Vbique ternarius viro Dei familiaris apparet. Nam triginta per ternarium multiplicata complentur, & decies ter conficiunt: Vnde nihil aliud eſt iſte numerus, quàm ternarius ſæpè repetitus. Quapropter mortuos triginta reuocauit ad vitam, vt affirmat idem Author Conform. 39. part. 2. ternarium mortuorũ, quos Chriſtus ſuſcitauerat, decies multiplicans.

Tribus panibus 30. homines ſaturat Frãciſcus. Mortuos 30. reuocauit ad vitam.

Puellæ cuidam in caſtro Beuanij (vt refert S. Bonauentura cap. 12. Legend. maior.) oculorum priuatæ luminibus, cùm in Trinitatis nomine ſputo ſuo ter ipſius oculos liniuiſſet, lumen concupitum reſtituit.

D. Bonau. c. 12. Leg. maior. Ter fœminæ oculos ſputo linies viſũ reſtituit.

Terna-

Tres pueri Florẽt. ad Franciſcum veniunt. Tres ficus ei dedit, quę Fratrem ſui Ord. futurum eſſe præuidit. *Annal. Min. an. 1211. num. 24.*

Ternario, vt Trinitatis ſymbolo tanquam annulo, futuros ſuæ Religionis filios obſignabat. Tres pueri Florentini à parentibus ducti ad Franciſcum veniunt. Eos vbi primum vidit, quinque ficus ex horto collegit, & primò dedit vnam ficum: ſecundò aliam; tertiò dedit tres ficus, dicens: *Eris adhuc filius meus chariſſimus.* Et ita euenit; nam adoleſcentior factus, Minorum induit veſtem ſub Angeli nomine, quod Angelicis factis propriè ſibi conueniſſe probauit. Is itaque ternario numero tanquam proprio, Seraphici parentis ſigillo fuit obſignatus, fœliciſſimo prorsùs auſpicio, quòd talem adepturus eſſet parentem, cui ternarius è cælo inditus, myſtica præoſtenſione denotabat, quàm magna in Franciſcum dona conferre ſtatuerat.

D. Bonau. c. 7. Legen. maior.

Roma egrediebatur vir Sanctus in Galliam iter arrepturus: cùm, ſicut teſtatur S. Bonauentura, & referunt Annales Minorum Anno 1216. Vrbe paululum digreſſo, fœminæ tres pauperculæ, ſtatura, ætate, ac facie per omnia ſimiles apparuerunt (tres Angelos puta hac ſpecie viſendos) Hæ Franciſco obuiam factæ venientem inſolita exceperunt ſalutatione, dicentes: *Bene veniat Domina paupertas.* Pulcherrimum ſanè elogium, quod Franciſci paupertatem mirificè extollit: Ita enim hac Euangelica virtute claruit, vt non iam pauper ſicut cæteri, ſed ipſamet paupertas dici promeruerit.

Tres fœminæ Frãciſco apparuerũt. *Annal. Mi. an. 1126. n. 19.*

Ter repetita voce quidã deterretur nè in Feſto S. Frãciſci laboret. *Annal. Min. to. 1. anno 1228. nu. 64.* Tria vota emiſit in honorem S. Frãciſci & ſtatim liberatur.

Renuebat quidam S. Franciſci Feſtum obſeruare, labori inſtabat: cùm ter repetita è cœlo voce retrahitur: *Feſtum eſt, operari non licet.* Pergit ille ad opus monitione contempta; ſed repente membrorum ſtupore punitur. Reſipiſcit, & pœnitens Eccleſiam petit, & tria ibi vota emittit. Primum, quòd ſemper Feſtum S. Franciſci coleret. Secundùm quòd ſingulis annis in ipſo Feſtiuitatis die ad Eccleſiã veniret, in qua tunc aderat. Tertium, quòd Sancti Franciſci corpus ipſemet inuiſeret. Vix emiſerat tria vota, cùm ſanitati redditur, & ſupplicij remiſsionem ternario votorum numerò tanquam auſpicio vertit. Erat enim numerus Franciſco familiaris, ſtemma proprium, & obtinendæ ab eo

gratiæ pignus certiſsimum.

In monte Aluernæ ſilicem baculo ter percutiens Seraphicus Pater, tres aquarum fontes ad tempus planè mirabiles fecit ſcaturire. Vt Portiunculæ indulgentiam ſibi à Chriſto conceſſam conteſtaretur, Hyberno tempore, cùm roſæ non enaſcuntur, tres roſas candidas, & tres purpureas Summo Pontifici detulit.

Ter fõtes percuſſa ſilice produxit.

Sancti Franciſci humilitatem explorans Frater Maſeus, ex ipſo hunc in modum ſciſcitatus, ter hæc verba repetiuit: *Vnde tibi: Vnde tibi: Vnde tibi?* Quæ audiens Franciſcus reſpondit. Quid hoc ſibi vult? Iterum Maſeus: Totus te orbis inſequitur, & tamen nec pulchritudine, nec literis, nec qualibet præſtanti dote excellis. Tum Franciſcus oculis paulisper in cœlum defixis, ter dixit ei: *Vis ſcire ò Maſee, vnde hoc mihi, vis ſcire vnde mihi, & bene ſcire vnde mihi, vt totus mundus veniat poſt me? hoc mihi eſt ab illis ſanctiſſimis Domini oculis; quia nullum alium intuiti ſunt me viliorem, magis ſimplicem, pluribuſque peccatis obnoxium. Atque adeo ad ſumma bonitatis oſtenſionem me ad hos effectus cooptarunt.* Obſtupuit ad Franciſci reſponſum Maſeus, & veram eſſe Parentis ſui humilitatem agnouit.

Piſ. confor. 8. p. 2. de Fr. Maſeo, & lib. 2. confor. 17. part. 2.

Maſeus ter Franciſco repetit vnde tibi.

Aliquando Franciſcus poſt orationem ſanctæ paupertatis amore ſe ſenſit inflammatum, ipſiuſque theſauro ardentiſſimè inhiantem; & inde egreſſus Fratri Maſeo dicebat, intenta voce ter repetens: *a, a, a. Frater Maſee prebe mihi te ipſum.* Ingentem ſpiritus feruorem admirans Maſeus, ſeſe in S. Parentis brachia immiſit: Tunc Beatus Franciſcus cum hiatu magno, & Siritus ſancti feruore, ac clamore valido reiterando *a, a, a.* leuauit Fratrem Maſeum cum ipſo flatu in aërem, & impulit illum ante ſe quantum eſſet vnius haſtæ longæ menſura. Quod videns Frater Maſeus obſtupuit de tam mirando Sancti Patris feruore. Poſtea verò retulit ſocijs. quod in illo S. Franciſci impulſu tantam dulcedinem, & conſolationem Spiritus perſenſit; vt nunquam in vita ſua tantã percepiſſe delectationem recordaretur: ſic totidem verbis refert Author Conform. lib. 1. Conformit. 8.

Frãciſcus ter repetit a, a, a,

Frãciſcus flãs, & ter repetens a, a, a Maſeum in aërem ſuſtulit.

Multo-

Bonauent. cap.4. maioris legende.

Multoties numero ternario S. Franciſcum video nobilitatum, ſiue cum hominibus conuerſantem, ſiue Deo in oratione vacantem inſpiciam: quocunque aſpectu ſe mihi obijciat, ibi ternarius ferè nunquam deſideratur. Accidit aliquando, vt vnà cum Fratribus in oratione Dei more ſolito pernoctaret: cum media noctis hora coram ijs, qui orando vigilabant, curru vectus igneo apparuit, admirabilique ſplendore irradians per oſtium domus introiuit, & ter currum circunflectens domicilium percurrit. Nec vanus fuit ternarius iſte circumflexus, ſed myſterio plenus; videlicet hac repetitione ſignificabatur, Franciſcum ſanctiſſimę Trinitatis prædicatorem deuotiſſimum, numero hoc ab eadem Triade inſigniri, eoque veluti ſigno ab omnibus agnoſcendum proponi.

Franciſc. curru igneo vectus ter domū circumiuit.

D. Bonau. cap.14. legen. maio.

Iamiam moriturus Seraphicus Pater manibus in forma Crucis ſuper fratres extenſis, tres benedictiones omnibus impertiuit. Cùm enim Crucis ſignum ſemper dilexerit, omnibus fratribus, tàm præſentibus, quàm abſentibus in Crucifixi virtute, ac nomine ter benedixit; vt moriens eodem ternarij clareret myſterio, quod ei viuenti fuerat Diuinæ beneficentiæ pignus, & futuræ immortalitatis præſagium. Et verò S. Franciſcus è vita decedens, cœlitibuſque adnumeratus triplicem fuit aureolam conſecutus: Nimirum Virginis, Martyris, & Doctoris; vt egregiè probat Author conformitatum p.2. conformit. 36.

Annal. minor. anno 1216. nu. 37.

Recole igitur modo Aggæi Prophetiam, & illud: *Dicit Dominus exercituum*, ter repetitum contemplare. Mox adde, *quia te elegi*, & Franciſcum in ea fateberis adumbratum. Ideò enim voce ter repetita eligitur, quia viuens ternario numero virtutis ſuæ monumenta ſignauit; & moriens, ac Cælo fruens eodem numero clareſcit, & coronatur. Et ſanè tot exemplis hucuſque prolatis oſtenditur ternarij obſeruationem minimè vacuam eſſe, nec caſu contingentem, ſed Diuino conſilio procuratam; vt quaſi interpres Franciſcum ab Aggæo præſignatum manifeſtaret.

§. TER-

§. TERTIVM.

Reliqua Prophetiæ pars contexitur, & de eodem B. P. Franciſco luculenter explicatur.

ASſumam te Zorobabel. Nomen hoc tandundem eſt Diuo Hieronymo in expoſitione Nominum Hæbreorũ, atque *Alienus à confuſione*, hoc eſt, à ſæculo. Quis autem à ſæculi vanitatibus, ipſiuſque ſuperbia, & confuſione alienior Franciſco? Mundum ille conculcauit, Mundi oblectamenta contempſit, & eodem, quo D. Paulus ſpiritu dicere potuit: *Mihi Mundus crucifixus eſt, & ego Mundo*. Quinimò ſemetipſum ita exinaniuit, atque omnibus præſentis vitæ rebus nuntium remiſit, ac ſi à Mundo foret extraneus. Et ideo teſte S. Bonauentura in 4. p. maioris Legendæ, Seraphicus Pater alterius ſæculi homo ipſum intuentibus videbatur; quippe qui mente, ac facie in cælum ſemper intentus, omnes ſurſum trahere conaretur: Vnde perfecta adeò ſui abnegatione incredibilem omnium admirationem excitauit. Franciſcus victorioſus fuit Mundi contemptor, quod ego non admiror: quia vt verus Zorobabel, ab ipſius confuſione alienum omnino ſe præbuit.

Ad Galat. 6. n 4.

S. Bonau.

Deinde, ſolet ſcriptura Diuina nomen figurę imponere figurato, vt aduertit Ribera, & plurimis ſcripturæ locis confirmat: Vnde cum Zorobabel Franciſcum figurabat, perinde fuit: *Aſſumam te Zorobabel*, atque Franciſcum, qui in illo tanquam in figura multis retro ſæculis anteceſſerat.

Ribera.

Aſſumam te. hoc eſt, ſurſum eleuabo, in ſublimique, & excelſo loco conſtituam. Sed quem mihi dabis à Deo altius eleuatum, quàm Franciſcum? Quem ob eximiam humilitatem ad ſedem extulit, è qua propter ſuperbiam deiectus eſt Lucifer inter Seraphinos Princeps, vt ſententiarum Magiſter in 2. diſtinct. 2. exiſtimat. Nec pro noſtro arbitratu hæc fingimus, ſed ita fratri Pacifico eximiæ ſanctitatis viro, & S. Franciſci ſocio reuelatione detectum accepimus.

Magiſter ſentent.

Nec fallax, ſed fide conſtans habenda eſt reuelatio, vt contendit Piſanus; & multipliciter probat in conformitatibus. *Piſanus.*

Quid ni humillimus ſuperbiſſimi ſedem obtineret? Et verò S. Franciſcus ità coluit humilitatem; vt potius ipſum diceres humilitatem, quàm humilem. Non aliter quàm D. Chryſologus Ioannis Baptiſtæ pœnitentiam contemplatus, culto ſanè circumloquio, non virum pœnitentem, ſed pœnitentiam nuncupauit. *Ioannes*, ait, *totus pœnitentia formatus incedit*. Ita enim hominis formam pœnitentia contexit; vt qui Ioannem videbat, non hominem, ſed pœnitentiam crederet intueri. Sic diuinitatem ſuam hominis forma Chriſtus abſcondit, iuxtà illud ad Philip. 2. *Formam ſerui accipiens*. Et Ioannes Chriſti vmbra motus ſui corporis ſtudioſè imitatus, ſub pœnitentiæ forma ſuam abſcondit humanitatem. Ideoque non immeritò dixit Chryſologus. *Ioannes totus pœnitentia formatus incedit*. Et Franciſcus, *Totus fuit humilitate formatus*. *S. Petrus Chryſol. ſerm. 91.* *Philippen. 2. n. 4.*

Sed vnde nam hæc Ioanni prærogatiua tribuitur? Fors quia in illo gratia naturam anteuertiſſe viſa eſt. Ita planè reor cum Chryſologo ſerm. 91. eleganter diſcurrente. *Ioannes ante peruenit ad Cælum, quàm tangeret terram: ante accepit Diuinum ſpiritum, quàm haberet humanum: ante ſuſcepit Diuina munera, quàm corporis membra; ante cœpit viuere Deo, quàm ſibi. Imò ante vixit ille Deo, quàm Deus viueret illi. Feruens nuntius, qui ante geſtiuit nuntiare, quàm viuere. Impatiens Dux, qui antequam perueniret ad corpus, peruenit ad Regem: ante rapuit arma, quàm membra: ante aciem petijt, quàm lucem; & vt vinceret Mundum, vicit ante naturam*. Hactenus ille, & rationem quaſi reddens prædictorum, adiungit: *Ioannes antequam Chriſtum præcederet, ſe præceſſit*. Non aliter de Franciſci humilitate loqui fas erit. Etenim ſe ipſum humilitate præceſſit; ita vt ante humilis fuiſſe viſus fuerit, quàm homo, & prius humilitatis ſpiritum accepiſſe, quàm vitam. Franciſcum humilitate ſe præcedentem excepit Cælum, & humilitatis beneficio in ſublimiori Empyrei ſede collocauit, *Aſſumam te Zorobabel*. *Chryſolog.*

Nec

Nec in cælo tantùm Franciſci humilitas ſublimatur, ſed etiam in terris Leonis voce diuinitus extollitur. Libenter hic recolo humilitatis ſanctæ Matutinum pulcherrimum à S. Franciſco pro ſua humilitate inuentum. Occeperat S. Pa- *Piſan.conform 8. in vita F.Leonis.* ter in hoc officio plurima de ſe humilia, & abiectiſſima proferre, Fratri Leoni ſocio ſuo præcipiens, vt alternis vicibus eadem repetens confirmaret. Contrarium tamen accidit: Etenim Deus in ore Leonis verba ponebat, quæ Franciſci humilitatem ſublimabant. Et quanquam S. Franciſcus per obedientiam præciperet, vt quæ audierat iteraret, non tamen obtinuit: quoniam, vt Frater Leo affirmauit, Deus in ipſius ore pro ignominijs, elogia reponebat, quibus Franciſcum ſe humiliãtem altiùs eleuabat. Ad quod reflecti etiam poſſunt verba relata Aggæi. *Aſſumam te Zorobabel.*

Et ponam te quaſi ſignaculum. Hoc etiam perbellè aptatur Franciſco, cui ſua ſtigmata Chriſtus impreſsit, & regalia contulit ſtemmata, quibus Chriſto ſimilis, vel mortis ſuæ, paſſioniſque ſignaculum, ſeu ſignum euaſit præſtãtiſsimum. Non temere huc trahi poteſt illud Balaam Numer. 23. *Clangor victoriæ Regis in illo*. Ideſt in Franciſco, in quo ſi- *Num.23.* gna victoriæ à Chriſto obtentæ, hoc eſt, ſacra ſtigmata viſebantur. Quicunque enim Franciſcum manibus, latere, pedibuſque plagatum aſpiciebant, Chriſti victoriam, ac triumphum recordabantur: Orbis Redemptor, acceptis ab inteſtino Iudæorum odio plagis, clariſſimum de morte, peccatoque triumphum egit. Eaſdem plagas præ amoris magnitudine Franciſco inflixit; vt ijs meliùs, quàm vocibus Chriſti victoriam proclamaret. Circumuentus olim à Latronibus multoties intrepidè dixit: *Ego ſum preco magni* *D.Bonau.* *Regis*. Verè quidem; nam, *Clangor victoriæ Regis in illo*. Et *c.2.Legen. maior* plagarum vulneribus quaſi voce omni tuba clariori Regis noſtri Ieſu victoriam prædicabat. Sanguis è Franciſci vulneribus vbertim fluens, vocem omni tubarum clangore altiorem, & dulciorem emittebat, quæ Redemptoris victoriam perſonabat.

Clangor victoriæ Regis. Iuxtà hebreum, clangor idem eſt,

 quod

quod ſignâculum, ſeu ſignum, vel inſigne. Vnde Balaam, & Aeggæi verba optimè cohærent; & idem valet, *Ponam te quaſi ſignaculum*, atque *Clangor victoriæ Regis in illo*, hoc eſt, in Franciſco, in quo ſacra ſtigmata Chriſti victoriæ monumẽta ipſius triumphum apertis cicatricibus meliùs quàm oris clamoribus perſonabant. Et verò, vt egregiè dixit Rupertus in c. 18. Apoc. *Tota paſſio Chriſti clamor magnus extitit, cuius virtute cecidit Babylon*. Chriſto moriente, Paſſio ipſius clamorem edidit triumphalem. Franciſco viuente, Chriſti paſſionis imago in corpore ſtigmatibus decoro renitens, triumphum Redemptoris proclamabat. *Clangor victoriæ Regis in illo*. Impreſſis enim ſtigmatibus, Chriſti morientis ſignaculum factus eſt Franciſcus: *Ponam te quaſi ſignaculum*. Vnde aptè dixit D. Bonauentura de illo, in Prologo Legend. maioris: *Signaculum ſimilitudinis Dei viuentis, Chriſti videlicet crucifixi, quod in corpore ipſius fuit impreſſum*.

Rupertus. *S. Bonau.*

Arias Montanus legit: *Triumphus Regis in illo*. Et tantundem valet triumphi nomen, quod ſignaculum, ſeu triumphi ſignum, vel potius monumentum, ac trophæum. Eſt igitur Prophetæ ſenſus, quod Chriſtus plagas ſuas, quibus Mundum peccatumq detriũphauit, S. Franciſco impreſſit, & inſigne victoriæ ſuæ trophæum in eo ſuſpẽdit. *Triumphus Regis in illo*, quod magnum fuit eximiæ dilectionis amoriſq. indicium. Vndè aptiſſima eſt in rem noſtram Oleaſtri lectio *& amicitia Regis ſecum eſt*. Suſpenſo autem huiuſmodi trophæo Franciſcus in Chriſti ſimilitudinem verſus eſt, & quaſi ſignaculum factus. Ita quod ei dictum omnino videatur. *Ponam te quaſi ſignaculum*, quod Dei Filium in carne viuentem tam mira ſimilitudine referebat; vt S. Bernardinus Senẽſis crediderit, Franciſcum illum eſſe de quo Daniel 3. dicitur. *Species quarti ſimilis Filio Dei*. Nam ſicut ille quartus inter tres in igne illæſus deambulabat, nec aliter flã̃mis, quàm roſis delectabatur. Ita Franciſcum multoties inter accenſos carbones illæſum anterior ætas mirata eſt. Vnde Dei Filio ſimilem non immeritò noſtra reputabit. *Species*

Oleaſter. *S. Bernard. Senen. to. 2 ſerm. 60.*

quarti ſimilis Filio Dei. Deinde Franciſcus inter præcipuos Eccleſiæ Leuitas, nimirum, Stephanum, Laurentium, & Vincentium, quartus extitit. Inter Patriarchas, Baſilium, Auguſtinum, & Benedictum, quartus numeratur Franciſcus, qui nouam Regulam condidit, & ſacris ſtigmatibus inſignis Chriſti ſimilitudinem retulit. Vnde quiſquis ipſum intueretur, dicere non immeritò poſſet: *Species quarti ſimilis filio Dei*.

Ponam te quaſi ſignaculum. Verbum ſignaculum, ſeù ſignum, idem ſignificat atque miraculum, vel prodigium. Et verò S. Franciſcus inſolitum in Eccleſia fuit ſanctitatis prodigium. Tamque mirabilis Stigmatum ipſius impreſſio, ob nouitatem, inſperatamque rei magnitudinem extitit; vt non ſolum grande miraculum reputari debeat: ſed ita magnum, vt duodecim miracula complectatur. Quod notauit Sanctus Bernardinus, & Bartholomæus de Piſa lib. 3. conform. 31. ex quo ſeruato ordine, & ſtylo hunc transfero. *S. Bernar. Piſanus*.

Primum miraculum, quod apparuit in Stigmatizatione B. Franciſci eſt, quòd non ſolum manus, & pedes apparuerunt perforati, ſed conclauati, ita quod claui in eis apparuerunt.

Secundum, quòd capita clauorum erant nigra, cùm tamen carni, vel neruis ſimiles eſſe deberent, ex quibus facti erant. Tertium, quòd capita clauorum erant oblonga, & repercuſſa; cùm tamen martellus, nec incus affuerit. Quartum, quòd in loco oſſoſo, & neruoſo, & non in molli, ſtigmata ſunt impreſſa. Quintum, quòd licet claui eſſent carnei, vel neruei ad inſtar tamen ferri erant duri, fortes, & ſolidi. Sextum, quòd ipſi claui non erant breues ſolum acumina habentes, ſeù capita; ſed erant longi ad partem aliam reſultantes. Septimum, quòd claui ipſi non ſtabant ex parte alia longi, ſed recuruati, vt digitus intra recuruationem arcualem ipſorum immitti valeret. Octauum, quòd cùm claui facti eſſent ex carne, vel neruis, & ex vtraque parte pedum, vel manuum reſultarent, & excederent: profectò non erant nec pedes, nec manus deformatæ, vel contractæ.

Nonum, quòd claui erant circumquaque à carne alia ſeparati, vt petiæ circumcirca ponerentur propter ſanguinis reſtrictionem. Decimum, quòd claui mouebantur, & tamen nec à manibus, neque à pedibus remoueri potuerunt; cùm Beata Clara, & alij hoc facere attentaſſent. Vndecimum: quomodò cicatrices clauorum, & lateris, per tantum tempus non ſunt putrefactæ, ſcilicet, per duos annos, & vltra. Duodecimum miraculum erat de vulnere laterali ad inſtar vulneris lateris Chriſti. Inſuper miraculum erat quomodo B. Franciſcus cùm maximum haberet dolorem ex apertione corporis in quinque locis, videlicet, manibus, pedibus, & latere, & ſanguis iugiter à prædictis locis emanaret, potuerit per tantum tempus viuere, ſcilicet, per biennium, quod ſuperuixit à ſtigmatum ſuſceptione.

Hinc iam cernes quantum energiæ ſub Aggæi verbis abſconditur. Dum enim dicit: *Ponam te quaſi ſignaculum*, Franciſcum non miraculorum operatorem, vt de alijs prædicatur, ſed ipſummet prodigium vocat; quinimo miraculorum ſubiectum dicere potuiſſet: vtpotè qui in ſuorum ſtigmatum impreſſione, non vno, ſed duodeno miraculorum numero claruit; Qui externario quater duplicato coaleſcit, & Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium in quatuor Euangelijs contentum aliqualiter deſignat: Vbi etiam Chriſti miracula cernuntur, quorum, vel vmbram, ſi rectè videas, hic in Franciſco ludentem, & minimè fugientem aſpicies.

Quia te elegi, ideſt, ait Ribera, *quia te amaui:* Chaldæus transfert: *Quoniam in te mihi complacui*. Mirum in modum Chriſtus ſibi placuit in Franciſco, & ei potius, quàm alteri ſtigmata ſua voluit infligere. Quod S. Antoninus adnotauit his verbis. *Quoddam ſingulare conceſſum fuit B. Franciſco; quod nulli inter natos mulierum legitur fuiſſe donatum: & hoc eſt impreſſio ſtigmatum ſacrorum*. Et ſanè in promptu erat exiſtimare Dominum Ieſum è Paſſionis ſuæ menſa, quam ſibi poſuerat, iuxtà illud. *Sapientia ædificauit ſibi domum, immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam:* præcipuum ferculum Virgini matri donaturum,

Ribera.

S. Antoninus.

Prouerb 9. v. 2.

rum, videlicet quinque plagarum. Non tamen ita euenit, quoniam aliud ei dedit obſonium, nimirum, vt ait Lanſpergius, dolorem vulneris in latere accepti: non tamen ipſum vulnus. *Diuiſit Chriſtus*, inquit, *cum Matre huis vulneris iniuriam, vt ipſe quidem perſecutionem, & vulnus exciperet; ſed tamen dolorem non ſentiret. Mater verò huius vulneris in ſe pœnam, & dolorem reciperet.* Sicque omnibus modis adimpletum eſt Simeonis vaticinium, dicentis apud Luc. 2. *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Lanſpergius hom. 54. Luc. 2.

Cùm autem Chriſtus vulneris dolorem in latere inflicti non ſenſerit, ſed eum matri reſeruauerit: ideo non tanquam ſuum vulnus illud reputauit, ſed Matri attribuit. Vnde cùm plagas ſuas quaſi gloriabundus recenſeret, tacito lateris vulnere, ſolas manuum, pedumque plagas recenſuit. *Foderunt manus meas, & pedes meos.* Non addidit latus, quia ipſius dolorem non ille, ſed Mater experta eſt, Filio vulnus accipiente. At verò in Franciſco, & vulnerum ſuſceptio, & doloris ſenſus inuenitur. In pedibus enim, & manibus, latereque vulneratus, & plagam accepit, & dolorem ſenſit, quem Virgo ſanctiſſima ſuſtinuit, Filium aſpiciens in latere percuſſum. Quoniam ſoli Franciſco fauor eximius ſeruabatur, vt vulnera, vulnerumque dolorem ſuſtineret: Ita enim ingens Dei amor erga Franciſcum poſtulabat. *Quia te elegi, quia te amaui*, vel iuxta Chaldæum, *quoniam in te mihi complacui.* Pſalm. 21. verſ. 17.

Quoniam verò de Filij paſſione pars hæc Virgini matri conceſſa non fuit: cur Petro Eccleſiæ Principi, & Paulo electionis vaſi, vel Ioanni, aut Iacobo, Chriſti dilectiſſimis datum non eſt, vt ferculum illud de menſa patientis comederent? Res eſt in promptu: Crux Petro, Paulo flagella ſeruabantur, vt ille expertus fatetur *Ter virgis cæſus ſum.* Ioanni & Iacobo calix paſſionis ebibendus promittitur. *Calicem quidem meum bibetis*: Alijs Apoſtolis, ac diſcipulis alia ſuſtinenda ſeruabantur. Solus Franciſcus natu minimus, Chriſti Beniamin ob profundam ipſius humilitatem, & amorem Seraphicum, in quinto plagarum reliquis ante fertur. *Quia te* 2. Corint. num. 11. Matth. 20 n. 22.

te elegi, vel *quia te amaui*, vel *quoniam in te mihi complacui*. Cæterum ad alia progrediamur vaticinia celeriùs perſtringenda.

§. QVARTVM.

Tribus item vaticinijs Franciſcus in mundum venturus, Saraceniſque prædicaturus præſignatur.

PRimum vaticinium eſt Zachariæ Prophetæ, qui cap. 11. aſſumpta duarum virgarum metaphora, vtrumque Patriarcham, Dominicum, & Franciſcum in Eccleſia futuros prædixit. *Aſſumpſi mihi*, ait, *duas virgas, vnam appellaui decorem, alteram funiculum, & paui gregem*. Gloſa ordinaria, Lyranus, S. Antoninus, & Ioachimus Abb. S. Franciſcum, & Dominicum in duabus virgis præoſtēſos arbitrantur. Ioachimi verba ſunt (teſte S. Antonino) *Virgæ duæ ſunt duo Ordines Mendicantium, virgæ rectæ ſanctitate, exiles, & graciles auſteritate, percutientes doctrina authoritate. Decor eſt Ordo Prædicatorum, per habitum decorum, quaſi Prælatorum, deſignatus. Funiculus dicitur Ordo Minorum, quia funiculo manifeſto cinguntur*. Quod quàm bellè cadat in Minoritas apertè demonſtrat Hebræorum lectio, quæ pro *funiculum* habet *Parturiginem*. Quo verbo huius Religionis mira fœcunditas ſignificatur. Et verò nulla virorum prole felicior eſt: Sola plures filios reliquis ſimul ſumptis complectitur.

Gloſ. ord. Lyranus. S. Anton. Ioachim.

Funiculum etiam dixit Minorum Ordinē: quia Seraphicus ipſius fundator, ijſdem quibus Deus homines laqueis irretiuit, iuxtà illud Oſeæ cap. 11. num. 4. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis*. Franciſcus Dei Filium ſtrictiſſimis ardentiſſimæ charitatis vinculis ad ſe pertraxit, vt illa ſibi ſtigmata imprimeret: Quin etiam Seraphico incenſi amoris funiculo conſtrinxit. Vnde ſic conſtrictus, plagas inſli-

Oſeas.

inflicturus; Seraphini induit formam, vt Franciſco talionem redderet, qui præ Chriſti amore hominem penè exuẽs, in Seraphinum abierat; totus igneus, totus in amorem immutatus. Quod multimodè è cœlo ſignificatum accepimus. Nam Franciſcus velut alter Helias curru igneo per aërẽ vectus Fratribus apparuit, ſicut S. Bonau. poſuit in Prologo Legendæ. *Prophetali repletus ſpiritu, necnon & Angelico deputatus officio, incendioque Seraphico totus ignitus, & vt vir hierarchicus curru igneo ſurſum vectus, ſicut & ipſius vita decurſu apparebit, rationabiliter comprobatur veniſſe in ſpiritu, & virtute Heliæ.* Neque hac ſolum ratione ardentiſſimus Franciſci amor innotuit: pluribus ſui oſtentationem fecit, quas luculenter producit Author conformit. Ex quibus planè deducitur pro charitatis funiculis, quibus ſuum Redemptorem Franciſcus reuinxerat, redditos eſſe carnis, & neruorum clauos in manibus, pedibuſque recuruatos, ac in Franciſci reſurgentis corpore ad immortalitatem redituros; vt Chriſto venienti in nouiſſimo die plagis inſignito, Franciſcus, iiſdem plagis decorus, & ſolus inter alios obuiam in aëra rapiatur. Et fors Franciſci clauos, amorem, funiculos, vberrimam filiorum prolem reſpiciens Euangelicus Vates Iſaias cap. 54. hortabatur. *Dilata locum tentorij tui, longos fac funiculos tuos, & clauos tuos conſolida.*

S. Bonau. *Piſan.* *Iſaias.*

Sibylla etiam Erythræa, vt grauiſſimorum Authorum tenet conteſtatio, duos Patriarchas, Sanctum Franciſcum, & Dominicum vaticinata eſt in orbem venturos. Conſulendi hac de re Annales Minorum tom. 1. in apparat. §. 2. Erythræam inter Sybillas quinto loco recenſuit Marcus Varro lib. 2. rerum diuinarum. D. Auguſtin. lib. 18. de Ciuitate Dei exiſtimat vixiſſe tempore Achaz, vel Ezechiæ Regum Iuda, & Romulo Vrbis ſuæ fundatore viuente. Plurima de Chriſti aduentu myſteria, de Eccleſiæ ſtatu, & nouiſſimo iudicio prænunciauit; In quibus etiam inuenitur Sanctorum Franciſci, & Dominici prædictio, doctrina, & apud Mahumetos Saracenos prædicatio. Pro quibus Piſanum adi, Rodulphum, Sedulium, & alios. Interim do Sybillæ

Vaticiniũ ſecundum. *Annal.* *M r.* *Va r.* *D. Auguſt.* *Piſ nus.* *Ro lulphus* *Se iulius.*

verba. *In vltima ætate,* ait, *humiliabitur Deus, & humiliatur proles Diuina, iungetur humanitate Diuinitas, iacebit in fœno agnus, & puellari officio decubabitur Deus, & homo, &c.* Deinde adnectit: *Erit autem beſtia horribilis ab oriente veniens, ſtellæ quoque duæ ſurgent contra ipſum, & non obtinebunt: donec veniat abominatio, & voluntas Altiſsimi conſumetur.* Citati authores, & alij per beſtiam horribilem intelligunt Mahumetum: & duabus ſtellis, duos Patriarchas Dominicum, & Franciſcum ſignificatos agnoſcunt: qui quaſi ſtellæ in medio nebulæ claris vitæ, & doctrinæ fulgoribus emicantes, Orbem terrarum illuſtrarunt. Quod autem adiungit Sybilla. *Surgent contra ipſum, & non obtinebunt.* Ideo ita dictum interpretare: quoniam duobus Patriarchis è cælo datum non eſt, vt ſuo tempore ſectam Mahumeti abolerent, quemadmodum in votis habebant. Quanuis enim S. Franciſcus Aegypti Sultanum, & plures alios traduxit ad fidem: quia tamen non omnes, ſicut ſummoperè cupiebat: non obtenturum Sybilla prædixit. Qinetiam Franciſci filij in Terra ſancta, innumeros Saracenos quotidie conuertunt. Nunc autem dum hæc ſcribimus ſchiſmatici, Græcorum calumniantur Minores, quòd plurimos ex Saracenis perducunt ad fidem: licet odio, quo in Eccleſiam flagrant impulſi, & loca ſanctaà noſtratibus auferendi ſtudio agitati, conuerſionem iſtam adulterino nomine dicunt præuaricationem. Verùm hoc etiam elogio Fratrum Minorum zelum extollunt, & eorum calumnia vertitur in honorem: quoniam plurimos ex Saracenis ad Romanam Eccleſiam Minoritarum prædicatione propediem pertrahi fatentur. Vtinam omnes, vt fieret vnum ouile, & vnus Paſtor.

Non potuit omnino ætate ſua Franciſcus, non potuit Dominicus, vt Sybilla vaticinata eſt, *Et non obtinebunt.* Non potuerunt adhuc, quamuis magno ad id labore inſudarint Seraphici Parentis alumni. Poterunt tamen ineunte tempore, & conſumabunt omnes ciuitates Saracenorum. Atque adeò filiorum induſtria obtinebit Franciſcus ſectæ Mahu-

Mahumetanę interitum : Quod etiam à Ioachimo vaticinatum reperio ; cuius verba ex libro de concordia vtriuſque teſtamenti huc transfero. *Erunt*, inquit, *duo viri*, *vnus hinc*, *alius indè*, *qui duo Ordines interpretantur*: *Vnus Italus*, *& alter Hiſpanus*. *Et poſt ipſos duos ordines veniet alter Ordo ſaccis veſtitus*, *ſub cuius tempore apparebit filius iniquitatis*, *qui dicitur Antechriſtus*. Et ſequitur: *Breuiſſimum eſt tempus ipſius ſcilicet tertij Ordinis*, *ſicut breuiſſimi ſunt dies Antechriſti ſucceſſoris ſui*. *Ordo enim Minorum vſque ad nouiſſima tempora duraturus*, *per mare Aquilonare tranſibit*, *aſpera paſcua guſtabit*, *Regina Auſtri proteget*, *& fouebit eum in amaritudine ſua*: *Flumen Euphratem tranſibit*, *& vndam*, *& impetum eius ſua prædicatione mitigabit*: *aſpera reducentur in planum*. *Sermone eius terra ſalſuginis*, *ideſt Aegypti*, *ad Domiuum conuertetur per eum*. *In eadem terra ſecurè Euangelium prædicabit*. *Multæ gentes per ipſum Ordinem ad Dominum conuertentur*, *Gens idolatra*, *cuius lingua ignorabitur*, *quæ de finibus terræ veniet miſſa à Deo in adiutorium Terræ promiſſionis*. *Et vt ipſa agnoſcat Deum Patrem Omnipotentem*: *& Filium eius vnicum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ad fidem Catholicam conuertetur*. *Futurum eſt enim vt Ordo Minorum viriliter ſe opponat contra mortis Angelum*, *& contra eum prædicando*, *plures*, *& maxima multitudo de filijs ipſius Ordinis martyrio ad Dominum tranſibit*: *ſicut dictum eſt per Dauid Prophetam*. *Poſuerunt mortalia ſeruorum tuorum eſcas volatilibus cœli*, *carnes Sanctorum tuorum beſtijs terræ*. *Gaudebunt in Canticis ſuis*, *ideſt in prædicatione omnes tribus terræ*: *Et gens immunda Mahumetica*, *quæ remanebit*: *Et hi qui reſidui erunt ad Dominum conuertentur*. Hactenus ille: Ex quo deducitur Sanctum Franciſcum, & ipſius Ordinem Eccleſiæ potiſſimum datos, vt prædicationibus ſuis Mahumetiſmum prorſus extinguant. Omnibus verò Saracenis ad fidem Chriſti conuerſis. *Lætabitur deſerta*, *& in via*, *& exultabit ſolitudo*, *& florebit*, *quaſi lilium germinabit*, *& exultabit lætabũda*, *& laudans*.

3. Vaticin.

Iſa. c. 35.

Et vbi quondam ſpurciſſimæ libidinis harpiæ fœdo contactu omnia polluebant, multigenaque ſcelerum monſtra ſtabulabant; ibi Minoritarum doctrina, zelo prædicatione, virtutum roſæ, & caſtitatis lilia germinabunt.

Vltra memoratam Ioachimi prophetiam, opus addo ipſius induſtria fabrefactum, non tam artificio, quàm præſagio admirandum. Is igitur in Eccleſia D. Marci inter Venetas principe, Franciſcum, & Dominicum duarum Religionum fundatores poſtea futuros muſiuo opere incruſtari parietibus fecit. Ita quòd habitum ibi referebant, quo poſtea vſi ſunt, & ſuis Religionibus portandum aſſignarunt. Et verò dum fieret opus, nec Dominicum, nec Franciſcum adhuc viderat Ioachimus; Quoniam, vt comunior fert opinio, non dum lucem hanc aſpexerant, quod Rodulphi carmina teſtantur.

Atque prius fuerit quàm Mundo exortus, in æde,
Quæ Marci titulo, nulli toto Orbe ſecunda eſt,
Extat apud Venetos longis expreſſus ab annis.

Antonin. 3 p. hiſt. tit. 22. c. 1 §. 1

Quin etiam addit Sanctus Antoninus verba hæc *αγιως Δόμινικος* imagini ſubſcripſit Sancti Dominici. Et quinque plagas à Sancto Franciſco poſtea recipiendas prædixit, vt vt tenet Piſanus. Illud ab hac prædictione conijciendum ſtatuo Sanctum Franciſcum, ipſiuſq. Religionem à Deo inſtitutam, vt in conuertendis ad Chriſtum Saracenis potiſſimum inſudarent: Et eò totus parentis, & filiorum labor, induſtriaque verteretur.

Piſan. conform. 31.

CA-

CAPVT VII.

Sanctus Franciſcus naſcens, viuens, morienſque maiorem præ cæteris Sanctis Chriſti ſimilitudinem expreſsit: vnde maius ſibi ius comparauit, vt loca ſancta inhabitaret, quæ hominum Redemptor natiuitate, vita, morte conſecrauit.

TAm indiſcreta ſimilitudine Chriſtum retulit humilis Franciſcus; vt omnes alios virtutibus excellentes, hac vna ſimilitudine, prorsùs excelluerit. Vnde non temerè auſus fuerit dicere Volateranus lib. 21. Anthropolog. Franciſcum propè abſolutam in omnibus Chriſti imaginem oſtentaſſe. *Conſeruatoris*, inquit, *noſtri per omnia ferè typum geſſit*. S. Bonauentura cap. 14. maioris Legendæ eandem S. Franciſci cum Chriſto ſimilitudinem ità expreſſit. *Voluit certè per omnia Chriſto Crucifixo eſſe conformis, qui pauper, & dolens, & nudus in Cruce pependit. Propter quod, & in principio conuerſionis ſuæ nudus remanſit coram Antiſtite, & in conſumatione, vitę nudus voluit de mundo exire.* Poſtquam verò S. Franciſci nuditatem, de qua infrà, Chriſti nuditati conformem aſſeruit, hæc adiungit: *O verè Chriſtianiſſimum virum! qui & viuens Chriſto viuenti, & mortuus mortuo perfecta eſſe ſtuduit imitatione conformis, & expreſſa promeruit ſimilitudine decorari.* Volater. S. Bonau.

Vt autem huius ſimilitudinis perfectio clariùs eluceat, omnes S. Franciſci naſcentis, viuentis, ac morientis actiones referam, in quibus ſuo protypo Saluatori noſtro conformis apparuit. Artificialis enim ſimilitudo, vel ære excuſſa, vel ebore elaborata, vel coloribus reddita, tũc perfectè cognoſcitur, cùm ſingulæ corporis, & oris partes inſpiciuntur, atque ad originale quod ęmulãdo exprimunt, ponderoſiùs referuntur. Hoc in ſimilitudine morali etiam euenire certũ eſt.

Quapro-

Quapropter titulum ſeptimo capiti præpoſitum, paragraphis diuiſum, membratim inſpiciendum ſubijciemus. Et primò, Franciſcum naſcentem, ac in natiuitate Chriſto ſimilem demonſtrabimus; poſteà reliquas ſimilitudinis partes referemus. Operoſus planè labor eſt, ſed proficuus: Quia inſpecta Fráciſci cum Redemptore noſtro ſimilitudine, agnoſcitur, quam conueniens ſit, vt ea loca per filios ſuos illic inhabitantes poſſideantur, in quibus hæc Redemptionis myſteria claruerunt. Et filij quamdiù in ijſdem ſe tenent, duplici voluptate perfruuntur: altera dum loca illa perambulant, & myſteria ibi edita meditatione recolunt: altera verò, dũ Seraphici Parentis ſui imaginem calamo noſtro redditam aſpiciunt: & quantum in omnibus vitæ ſuæ actionibus, ſuo prothotypo Redemptori noſtro ſimilis extiterit, delectabilius intuentur.

§. PRIMVM.

Sancti Franciſci Natiuitas Chriſti Natiuitatem retulit.

EST hominis natiuitas primum naturæ parturientis rudimentum. In eo tamen futuræ magnitudinis ſemina elucent: & quantus quiſque poſtmodum futurus ſit, primo ab exortu ſapientes non vanè augurantur. Magnus euaſit S. Franciſcus, & verè magnus, qui illius ſimilitudinem retulit, de quo Gigantis inſtar ad currendam viam exultaſſe decantatur. Et ideò dum primas vitæ auras excepit; dum tenella membra naſcens oſtentauit: dum pedibus terram tetigit, ad currendam vitæ viam, iam Gigas, Chriſto Giganti ſimilis futurus monſtrabatur.

Parturiebat Franciſci Mater, & multis iam diebus grauiſſimis doloribus angebatur, nec prolem valebat extrudere. Cùm ſubitò ad oſtium domus vir peregrini habitu (Angelum reputa) conſpiciendus apparuit. Is parturientem admonuit non niſi in ſtabulo partum edituram: & infantem no

olo-

oloſericis, ſed in paleis reponendum. Extremus dolor, vel certè magna fides, aut ſuperna deſtinatio matrem è thalamo retulit in ſtabulum; ibique inter fænum, & paleas puellum edidit: ſolem virtutum dixerim, paupertatis, humilitatiſque ſpeculum: Cælum ipſum ſtabulo poterat inuidere, & ſi paleis mutaret ſydera, maius eſſet. Creuit tamen honore locus in ſacellum immutatus, vulgari ſermone dictus, *S. Franceſco il picciolo*, ideſt, S Franciſcus paruulus, vel infantulus. Inſcripta habet in ſuperliminari oſtij lapide characteribus aureis, ſed vetuſtis hæc duo inconcinni metri carmina.

Hoc oratorium fuit bouis, & aſini ſtabulum,
In quo natus eſt Franciſcus mundi ſpeculum.

Natus homo per naturam, renaſcitur per Baptiſmum. Naſcens Franciſcus Chriſto naſcenti ſimilis extitit: renaſcens, & baptiſmate ablutus eamdem retulit ſimilitudinem: quam ſimul iungere placuit, vt naturæ, gratiæque natiuitatem non diuiderem. Quid enim naſci profuiſſet homini, ſi non renaſceretur? Magnum eſt naſcenti puero Ieſu aſſimilari: neſcio an maius ipſi in baptiſmi ſolemnijs, & miraculis ſimilem euaſiſſe. Vtrumque in Franciſco naſcente, & renaſcente, nō ſine admiratione mundus inſpexit. Naſcentis ſimilitudinem dedimus: renaſcentis, ſeù baptizati videamus.

Natus Infans, cùm ſacro Baptiſmatis fonte eſſet abluendus, vir auguſtiori ſpecie quàm humana, puellum ex aqua ſuſcepturus vltro ſe immiſit; peractoque Sacramenti illius ritu, ab adſtantium aſpectu euanuit. Vt autem facti illius memoria non euaneſceret, impreſſa in marmoreo altaris gradu veſtigia permanſerunt, & vſque inpræſens in Eccleſia Cathedrali S. Ruffini, vbi res accidit, conſtanti traditione euentum firmante, perſeuerant. Adfuit itaque in Franciſci baptiſmate miraculorum prærogatiua: & quemadmodum baptiſmum ſuſcipiente Chriſto, miracula effulſerunt: Ità etiam Franciſci baptiſmus miraculis claruit: ne ad perfectam ſimilitudinem color iſte cœleſtis deſideraretur. *Annal. minor. Appar. §. 4.*

Pergo vlterius, & aliud enarro memorandum. Renatus in baptiſmate infans à nutrice domū reducitur. Ecce tibi peregrinus

grinus eleemoſynam petiturus, in oſtij limine conſiſtebat: Vt autem puerum à nutrice in vlnis geſtatum inſpexit, tangere, amplectique expoſcit. Voti fit compos, oſcula puello imprimit, amplexu tenet: Et quemadmodum olim Simeon geſtiens, ac lætabundus puerum Ieſum accepit in vlnas ſuas; diuinoque ſpiritu afflatus ipſum prædixit poſitum in ruinam, & reſurrectionem multorum, & in ſignum, cui contradiceretur; & tandem Crucis patibulo ſuſpendendum. Quo facto acerbiſſimi doloris gladius Sanctiſſimæ Genitris animam pertranſiturus eſſet. Sic incognitus ille peregrinus (fors idem, qui baptiſmo interfuerat) ingenti gaudio delibutus, cùm puero, quaſi ratione præditus eſſet, fabulari occepit; interimque in dextro tenelli infantis humero, crucis ſignum impreſſit, manifeſto præſagio, quod cùm adoleſceret ætas, Chriſti crucem portaturus; ſacriſque ſtigmatibus inſignitus, perfectam ipſius in cruce morientis imaginem eſſet redditurus.

Luc. 2.

Ad nutricem deindè conuerſus, hæc protulit vaticinijs minime vanis refertiſſima. Infantulus iſte, maior cùm creuerit ætas, ſic virtutum magnitudine creſcet; vt in magnorum virorum numero ſit reponendus. Quapropter inſtanter vigila, & Dæmonum inſidias diligenter euita, qui tantis virtutibus inuident, & germinantem inſolitæ ſanctitatis plantam abſcindere, tenerumque erumpentem floſculum, antequam virtutum, miraculorum, donorumque cæleſtium, quaſi foliorum ambitione pandatur, demetere nituntur: Ne pulchritudine, & odore ſuo, languentem Chriſti ſponſam, & floribus inhiantem fulciri, ſuauiſſimè recreet. Teſſerato itaque Infante ſacræ militiæ glorioſo ſignaculo, & nutrice admonita, peregrinus abſceſſit: nec vltra, quàmquam ſedulò conquiſitus, apparuit. Angelus (credo) erat: gaudebant enim Angeli Domini, & Regis ſui imagini hanc exibere reuerentiam. Et quomodo Chriſto nato, & apud nos degenti tanquam vero Dei filio ſeruiebant: ſic Franciſco famulabantur, in quo veram Chriſti ſimilitudinem agnoſcebant.

Cæ-

Cæterùm quemadmodum non ſolùm cæleſtes miniſtri Regi ſuo in lucem edito gratulabundi feſtiua ſeruitutis obſequia præbuerunt: ſed etiam Infernæ poteſtates debellatorem ſuum, Tartarique ſpoliatorem iam adeſſe formidantes (de quo Iſaias c.8.prædixerat Damaſci fortitudinē, Samarięq.ſpolia ablaturū)inſolita pauoris ſigna ediderūt. Nam dum Bethlehemiticus ager mirabili ſplendore perfuſus,melodis Angelorum vocibus, gloriam in altiſſimis Deo iucundiſſimè repetentibus, circumſonabat. Tartarus ingemuit, ſuique præſagus exitij aduenientem hominum Redemptorē pauitans,& tremebundus opperiebatur. Et verò vbi primū Chriſtus Iuſtitiæ Sol è thalamo virgineo erupit,ſuam nocte intempeſta dedicans natiuitatem,aër ſubito reſplenduit, & tenebræ inſolitam luminis claritatem expauerūt. Quod Regius vates euenturum cecinerat,dicens: *Nox ſicut dies illuminabitur*: Terra interim concuti cæpit, & crebris motibus agitari,pluribuſque in locis aperta,lucem ad Inferos trāſmiſit. Ex quo impletum eſt illud Iſaiæ vaticinium c.7.*Populus, qui habitabat in tenebris,vidit lucem magnam*.Sic enim teſte Barrad.tom.1.concord.lib.8.c.13.illud expoſuit S.Ioannes Damaſcenus.Idola etiam Telluris agitatione apud Aegyptū dæmonijs inde fugientibus,ceciderunt, vt Dorotheus martyr in Synopſi ſcriptum reliquit:Et iàm olim Hieremias Sacerdotibus Aegyptijs prędixerat,naſcente ex Virgine puero, in præſepioque iacente, ſimulacra concuti oportere, ac in terrā deijci, quemadmodū exitus docuit. Etenim aëreæ poteſtates, ac tenebrarū principes, dū tartareo cōcluſis ergaſtulo,terra dehiſcēte,inſolitus ſplēdor affulſit, pauoris ſigna ediderūt;cōcuſſiſq. Idolorum ſtatuis,ſuum formidantes exitiū aufugerunt.Congruum autē erat,vt vnde Angeli,cæleſteſque miniſtri,& omnes Creaturæ etiam ſenſus expertes lætabantur: inde ſpiritus nefarij rabido mærore diſſecti ingemiſcerent, ac turbarentur.

Iſai.c.8.

Pſal.138.12.

Iſai.

Barrad.

S. Ioan. Damaſc.

Doroth.

Quod autem Chriſto naſcente accidit, hoc idem in Sancti Frāciſci natiuitate cōtigiſſe reperimus,ſicut Dæmon ipſe veritatis inimicus,veritatē inuitus proferēs manifeſtauit,vt

cernere eſt in authore Conformitatum lib. 1. fructu 3. conformit. 3. vbi refert, quòd Dæmon Sancti Franciſci præſentia, & virtute ab homine eiectus aſſeruit, naſcente S. Franciſco, tantam commotionem, & terrorem in Inferno excitatatam; vt Lucifer, & alij crederent Chriſtum ad extremum iudicium adueniſſe. Neque hoc ſolùm teſtimonio huiuſmodi veritas aſtruitur. Pro ea curſit etiam Biga ſalutis, & plures alij, qui Franciſco in lucem edito, Erebum expalluiſſe, turbatum Orcum, pauitaſſe Tartarum, & magnos præ terrore mugitus edidiſſe conteſtantur.

Biga Salutis.

Quid mirum, vt exortum Franciſci ſydus has in Erebo timoris procellas excitauerit. Cùm adhuc in materno vtero deliteſcens, Tartarum vniuerſum timore, ac terrore concuſſerit. Author eſt Antonius Poſſeuinus in apparatu, vbi expuncta Ocham Epiſtola contra Ioannem 22. profert, & probat ſpeculum S. Franciſci authoribus Fabiano, & Hugelino S. Parentis ſocijs, & coæuis elaboratum: quod etiam antiquitates S. Franciſci Coloniæ Agripinæ editæ, & emẽdatæ producunt. Igitur, aiunt: *ſtatim vt anima B. Franciſci illius corpori fuit infuſa, tantus ſplendor, tanta lux, tàm immenſa claritas in Valle Spoletana apparuit, quòd omnes Dæmones, qui in iſto caliginoſo aere habitant perterriti, & ſtupefacti iudicium timuerunt aduenisſe. Vnde Concilio per Luciferum vocato, dixit de Beato Franciſco: quod ille homo vult guerram facere, quam eis nunquam aliquis fecerat, præter Chriſtum, & ſuos Apoſtolos. Et ob hoc fuit ſibi deputata vna legio dæmonum, vel in incunabulis ſuffocarent: ſed ſtatim Deus ex alia parte legionem ſibi aſſignauit Sanctorum, qui eum cuſtodientes in nullo eum lædere permiſerunt.* Hæc ibi.

Anton. Poſſeuin.

Sed dum nefarij ſpiritus fremebant, & terrebantur, Picca Franciſci mater, eo in ventre concepto, incredibilem in animo iucunditatem concepit; & futuræ filij magnitudinis præſcia, diuinituſque admonita præ gaudio geſtiebat, vt ſequentibus verbis, refert author Confirmatum par. 2. fruct. 3. *De præſenti, & de futuro gaudium habuit, & lætitiam Picca ipſius Beati Franciſci mater, velut altera Eliſabet ſpiritu irradiata*

Piſan.

diata diuino. Cùm enim B. Franciſcum concepiſſet: ſciens, quæ fienda erant per ipſum filium ſuum, non ſolum lætata eſt, vt Eliſabeth in ortu eius; ſed & ipſum Ioannem in baptiſmo vocauit, dans intelligere B. Franciſcum filium ſuum Ioanni Baptiſtæ ſimilandum in pluribus, & conformandum. Si enim B. Franciſcus ſimilis factus eſt Chriſto, à fortiori Ioanni Baptiſtæ. Nàm B. Franciſcus ſimilis Ioanni Baptiſtæ reperitur. Hæc ille. Nec ſola Franciſci Mater, eo naſcente, ſicut Eliſabeth in Ioannis natiuitate exultauit: ſed ſicut tunc, iuxtà Angeli prædictionem dicentis: *Multi in Natiuitate eius gaudebunt*, omnia montana Iudææ feſtiuis Incolarum plauſibus reſonabant: ſic nato Franciſco (non temere dixerim) publica in orbem lætitia redundauit. Atque adeò non iniuria in eo hilaritatis choro prima vocem exultationis mater extulit; vtpoteque non priuatam, ſed communem filij ſui partu lætitiam allatura eſſet. Riſit olim Sara cùm Angelum audiuit dicentem: *Reuertens veniam ad te tempore iſto, vita comite: & habebit filium Sara vxor tua, quo audito*, addit textus, *Sara riſit poſt oſtium tabernaculi.* Non damnandus eſt hic fœminæ riſus, ſed laudandus. *Meritò* namque ait S. Ambroſius lib. de Iſaac, & anima, *riſit, quæ publicam erat paritura lætitiam.* Cur etiam Franciſci mater riſu non exultaret, filium partitura, quo nato, incredibili vterque Orbis gaudio perfunderetur.

Luc. 1. ver. 14.

Genes. 18. n. 19.

D. Ambr.

Quamquam eiuſmodi hilaritatem alij, quorum ſuſpenſo ab aſſenſu, & diſſenſu calamo, placitum referimus, fauſtiſſimo præſagio vertunt, quo iam tunc Franciſcus in vtero matris ſanctificandus portendebatur. Sicut Eliſabeth Ioannis mater filium ſuum in vtero ſanctificationis dono inſigniendum præmaturo gaudio oſtendit. Et verò, vt iſti referunt, tot circumſtantiæ, tamque numeroſæ adfuerunt congruentiæ, vt id abſque temeritatis nota proferre non dubitauerint. Quinimò concluſionibus publicè ſuſtentatis, concionibus, libris, non vnus tantum, ſed ſeptẽ optimę eruditionis authores, hoc ſanctificationis aſſumptũ propugnarunt, quos Apodixis ſanctitatis, & puritatis S. Franciſci

 cnu-

enumerat. Mihi ſi quid hac in re ſtatuendum eſſet, ratio illa ſuaderet, quod B. Frãciſcus à Deo prędeſtinabatur, vt Chriſti imago eſſet, virtutumque ipſius nobile ſimulacrum. Quos autem Deus ad hanc ſublimitatem extollẽdos præordinauit, hos ſtatim à principio donis cęleſtibus nonnunquam amplificare conſueuit; vt quales poſtmodum futuri ſunt, in ipſo ſtatim vitæ limine demonſtretur. Ita philoſophatur S. Ioannes Damaſcenus Oratione de Laudibus Virginis. *Certiſſimũ eſt* (inquit) *quod Deus cùm aliquem ſanctitate futurum decernit inſignem, valde à longe diſponit & præparat eius principium, vt patet in Samſone, & Ioanne Baptiſta.* Quis Franciſcum ſanctitate ſublimem extitiſſe inficiabitur? Quis virtutes illius contemplatus, charitatem, humilitatem, paupertatem, non propè ſit credere eum naturæ humanæ metas tranſcẽdiſſe? Quis enim ſacris ſtigmatibus decoratũ aſpiciens, & Chriſto similẽ naſcendo, viuendo, moriẽdo redditũ recognoſcens, nõ exiſtimet, ab ipſo ſtatim vtero inſolitũ aliquod diuinæ largitatis beneficiũ accepiſſe; vt quale futurũ erat ſpirituale illud ſanctitatis ædificium, cùm ei vltima coronis imponenda eſſet, iacto abundantioris gratiæ fundamento cerneretur.

Hac ratione ductus Ioannes Ekius nobilis concionator, in Concilio Conſtantiẽſi ſanctiſſimum Virginis ſpõſum Ioſeph in vtero ſanctificatum oſtendere nitebatur. *Quia ſi Hieremias,* aiebat, *ad vaticinandum, & prædicandum de Chriſto, Et Ioannes Baptiſta ad eum baptizandum: & digito demonſtrandũ ſanctificati fuerunt in vtero matris. Non eſt à ratione alienum, vt qui manibus frequenter per multos annos contrectaturus eſſet ſacratiſſimum corpus Chriſti, ſanctus eſſe inciperet ab vtero matris ſuæ.* Quod quantam vim habeat alij viderint, & arbitrentur.

Illud certè diffitendum non erit; quòd ſi, vt Hieremiæ, & S. Io annis Baptiſtæ argumento Ekius contendebat, S. Ioſeph ſanctificationis donũ in materno vtero conſequi potuit, quia Chriſti corpus proprijs manibus cõtrectaturus eſſet: à ratione alienum non eſſe, imò probabili coniectura fundatũ, quod præfati Authores opinãtur, videlicet B. Franciſcum in vtero

ſancti-

ſanctificatum. Quippequem Chriſtus proprijs manibus contrectauit, dum plagas impreſsit, dum pedes manuſq. terebrauit, dum latus aperuit. Congruũ enim erat, vt infanti ſanctificantẽ in vtero gratiã largiretur, quem hominẽ factũ ad tantum honorẽ extollere deſtinauerat; vt ſuſceptis ſtigmatibus, perfectã Chriſti crucifixi imaginem, ſimilitudinẽq. referret.

Nec ita ſentientibus deeſt S. Bonauenturæ ſuffragium, ex ſerm 1. de S. Franciſco depromptum. *Adeo*, inquit, *ſic totus pius fuit, quod in ventre matris pietatem aſſumpſerit, & eam ſecum ex ventre portauerit. Patet ergo quòd pietas, quæ fuit in Chriſto, renouata eſt in Franciſco; vt quod præceſſit in Rege, renouetur in milite*. Dum autem Chriſti pietatem in Franciſco in vtero exiſtente renouatam aſſerit, ſanctificationis habuiſſe donum ſenſiſſe videtur. Nam pietas Chriſti in Franciſco renouata, non fuit inclinatio naturalis ad actum virtutis, ſed virtus quædam infuſa, non niſi per gratiam ſanctificatæ animæ concedi ſolita. Si quidem in Chriſto pietas, vt planum eſt, non erat naturalis inclinatio, ſed virtus infuſa, quæ ſi in Franciſco renouata eſt: Non abs re opinari licebit, quod in matris vtero exiſtens ſanctificationis donum obtinuerit. Hæc ex aliorum ſententia, & Seraphici Doctoris ſuffragio, ſuſpenſo iudicio, ſatis arbitror retuliſſe.

Sed iam ad communem regredior lætitiam, quę ita plenè, & cumulatè loca omnia, perſonaſque adimpleuit; vt, nato Franciſco, non ſolum Spoletana vallis, non vnica ipſius máter, ſicut ſuo Ioanne gauiſa eſt Eliſabeth; non ſolùm vicini, & cognati, vt ibi in montanis Iudææ contigit, ad extraneos etiam diffuſa eſt lætitia. Nam cælites exultarunt (ſi tamen extranei ſunt, quibus cognata erat naſcentis ſanctitas, & virginitas) terrenos afflauit iucunditas; Eos etiam, quos locorum diſtantia ſeparauit. Anguſtus tantæ lætitiæ capiendæ Orbis noſter, anguſta incolarum eius pectora videbantur. Alius quęrẽdus fuit locus, in quo lętitia funderetur. Cęlum impleuit, Mundum occupauit, ad cæleſtem ſe tranſtulit Paradiſum: Rem narro mirabilem: Frater Benedictus de Aretio vir morum præſtantia eximius, quem S. Fraciſcus ad ſuum

Ordinem aſciuerat, & Antiochiæ Miniſtrum inſtituerat, in Italiam remeabat: cùm, vento ſæuiente, & frementibus vndequaque fluctibus, nauigium mergebatur: Vnde nautæ pro leuando onere, epibatas in mare proijcere ſtatuerunt. Sortis arbitrio mittitur Benedictus: ſed vix aquam tetigerat, cùm ab Angelo abreptus, in terreſtrem Paradiſum perducitur. Hic aderant Enoch, & Elias, à quibus quiſnam eſſet, cuiuſuè profeſſionis interrogatus, reſpondit: Măgni Franciſci filius ego ſum, illius habitum porto, Regulamque obſeruo. Ita nè, inquiunt illi, iam inſolitum hoc ſanctitatis prodigium Mundo apparuit? Iam aurea Franciſcum videt ætas? Lætemur igitur, tripudioque exultemus; quoniam inſtat Antichriſti tempus in quo martyrio coronati ad cœlum euolabimus. Interim ad lætitiæ demoſtrationem vnà cum Benedicto paradiſum perluſtrant, ſingulaque illius loca demonſtrant. Sed inter hæc Angelus iterum ſubſtulit, & ad portum Anconæ incolumen retulit. Nec mirum eſt, vt duo illi proceres immortalitatis candidati, Franciſci nomine audito, eoque in Mundo viuente lætarentur, quia vterque æmulam in eo ſuarum virtutum imaginem obtinebat, Et innatum eſt, vt ſimilia ſimilibus delecteutur; magnaque de mutuo conſpectu vtrinque lætitia redundet. Hæc de Natiuitatis ſimilitudine ſint ſatis. Ad vitæ ſimilitudinem gradum faciamus.

§. SECVNDVM.

Sanctus Franciſcus viuens expreſſa Chriſti viuentis ſimilitudo comparuit.

FAcillimum eſt ijs, qui rerum effigies extrahunt, vna vultus parte ſimiles reddere. Illud in arte laudatiſſimum, ſi omnia oris lineamenta tam certo penicilli ductu repræſentent; vt ambigas quænam effigies, quod nam tibi dicendum ſit illius exemplar, & origo. Magnum çertè fuit,

quod

quod naſcens Franciſcus, Chriſtum natiuitate retulerit. Illud tamen maximi faciendum eſt, veræque ſimilitudinis mēſuram implet, quod per reliquas vitæ decurrentis actiones Redemptori aſſimilis extiterit.

Singulas Chriſti actiones tibi ob oculos propone, & fateberis. Quodnam illius apud homines degens ſtudium? Quæ voluptas? Quò omnia viuentis deſideria ferebantur? Ipſum audi Prouerbiorum 8. dicentem: *Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum*. In quonam tales delicias reponebat? Planè quòd hominem induerat; vt pro homine labores ſubiret, ſudoribus liquaretur; Et mirum in modum fatigatus, langores noſtros, ęrumnaſque ſuſtineret. Hæc ſola ipſius, & vnica voluptas. Hinc diſertè dixit S. Bernard. ſerm. 2. ſuper *miſſus eſt*, quòd præ patiendi voluptate, cùm ſumma foret potentia, voluit imperio ſubijci, ſapientia infinita, edoceri: Deus lætitiæ fons, illachrymari. *Videas* (inquit) *ſi attendas potentiam regi, ſapientiam inſtrui, virtutem ſuſtentari, Deum denique lactantem*. Et ſanè mirum eſt, replicat S. Bernard. ipſummet gaudium mœrore obnubilatum, patientem ſalutem, & vitam cernere morientem. *Videas ſi attendas, triſtari lætitiam, pauere fiduciam, ſalutem pati, vitam mori*. Cæterum hæc omnia patiendi voluptas operabatur, quaſi nihil altius in Chriſti corde infixum eſſet, quàm pro hominibus pati; & tanto amplius delectabatur quantò plura pro eiſdem ſuſtinebat. Prouerb. 8. S. Bernard S. Bernard

Franciſci vitam recole; & primò veram Chriſti imaginem in patiendi voluptate recognoſces. In laborum, ac ærumnarum tolerantia gaudium conſiſtere exiſtimabat; Nec gratior ipſi iucunditas accidere poterat, ea, quàm de iniuriarum patientia capiebat. Hæc vera, & ſola ipſius voluptas. Iuuat illum cum fratre Leone iter facientem audire: & in quo perfecta conſiſtat lætitia ædoceri. Ambo ſimul à Peruſio in Aſſiſium pergebant. Tùm Leo S. Franciſcum interrogauit: vbi nam eſſet perfecta lætitia: Cui S. Pater reſpondit, quæ ex lib. conformit. p. 2. quinti fructus carptim collecta hic inſero: Quamuis, ait, fratres minores magna Piſan. conf. ſ. p. 2.

vbique

vbique edant ſanctitatis exempla: Ibi tamen non eſt perfecta lætitia. Quanuis fratris Minoris virtute cæci videant, claudi ambulent, ſurdi audiant, loquantur muti, Dæmones fugentur, & mortui reducantur ad vitam; Ibi non eſt perfecta lætitia. Si frater Minor linguarum, ſcientiæ, interpretationis, & prophetiæ dona poſsideat, ita vt humani cordis penetralia inſpiciat: Ibi non eſt perfecta lætitia. Si frater Minor ſyderum curſus rerum naturalium virtutes omnes, orbis theſauros cognitione aſſequatur: ibi non eſt perfecta lætitia. Denique & ſi tanta dicendi valeat facundia, tantoque ſpiritu in prædicando efferatur; vt Infideles omnes ad fidem pertrahat; ibi non eſt perfecta lætitia. Vbinam igitur, inſtitit Leo, perfecta lætitia conſtituenda eſt? Cui S. Pater iterum reſpondit: Quando ſic pluuia madidi, frigoreque obrigentes ad Sanctam Mariam de Angelis acceſſerimus, & oſtium pulſantes probroſis verbis tanquam Cycophantæ, & nebulones repellamur: quin etiam oſtiarius algore, & famepropè enectos ad oſtium expectare compellat, & pro cibo opprobrijs ſaturet: Tunc ſi ad noctem vſque expectantes hilariter, & patienter hæc ſuſtineamus: ô frater Leo, ſcribe: quod ibi eſt perfecta lætitia. Quòd ſi iterum pulſantes, oſtiarius excandeſcens velut incognitos, & extraneos eliminet, ad hoſpitaleque remittat, & intrò non excipiendos conteſtetur. Si hæc pacato corde, & læta facie perpetiamur: ſcribe frater Leo, quia ibi eſt perfecta lætitia. Iam verò ingruente nocte, ſi nobis aperiri contenderimus, & oſtiarius importunitatem exoſus egrediatur, capucijſque apprehenſos, fuſtibus vſque ad plagas excipiat, & verbera verberibus iungens in terram proijciat, & probris oneret: Nihilominus ſi Chriſtum recogitantes, qui talem à peccatoribus ſuſtinuit paſſionem, & aduerſus ſemetipſum contradictionem, hæc lætabundi ſuſſeramus: ſcribe frater Leo, quòd ibi eſt perfecta lætitia. Hæc S. Pater ex intimis cordis penetralibus orta reſpondit. Planè vt filios ſuos edoceret, quod ad Chriſti ſimilitudinem, ſuam lætitiam in laborum, ærumnarumque tolerantia reponeret. Atque

que adeò ſicut nihil ipſi gratius, quàm iniurijs affici, laboribus premi, & pro Chriſti amore flagellis cædi, fuſtibuſque verberari: non aliter filij paternæ virtutis æmuli ingenium ſibi comerent patientiæ aſſuetum; itaquod iniuriarum, & laborum tolerantiam, veras eſſe delicias reputarent. Hinc eſt, vt Leoni ſuam hac de re ſententiam ſcribere præceperit: Scribe Frater Leo, quòd ibi eſt perfecta lætitia. Quemadmodum Dei ſapientia, præ voluptate patiendi pro hominibus, dicebat: *Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum.* Prouerb. 8

Secundò Franciſcus, Chriſto ſimilem in paupertate ſe præſtitit. Quam Chriſtus ita mirificè coluit, vt de ſe ipſo apud Matth. cap. 8. dixerit. *Filius hominis non habet vbi caput ſuum reclinet.* Quæ verba Eutymius Chriſti nomine fatus, ſic interpretatur: *Vulpibus, & volucribus ſum pauperior; neque enim receptaculum habeo, nec quantum ſufficiat ad caput reclinandum.* Tales autem eſſe volo eos, qui me ſequuntur. Hinc etiam eſt, vt mendicus extiterit, quemadmodum Dauidis ore Pſalm. 39. hominibus expoſuit. *Ego mendicus ſum & pauper.* Concinit D. Paulus 2. Corinth. 8. *Propter nos mendicus factus eſt.* Et veram exercuit mendicitatẽ, eleemoſynam, velut pauper corrogans, iuxtà quod in noſtris Archielogijs Petri, & Pauli lib. 2. Archielog. 1. cap. 3. §. 1. comprobauimus. Et verò S. Frãciſcus in his omnibus, Chriſti ſimilitudinem expreſſit, tam mendicãdo, quàm altiſſimę paupertatis amore, ac ſtudio, cui totum ſe deuouit, vt S. Bonauẽtura teſtatur. *Hanc* (ſcilicet paupertatem) *filio Dei vir ſanctus familiarem attendens, & iam quaſi toto Orbe repulsã, charitate ſic ſtuduit deſponſare perpetua: quòd non ſolùm pro ea patrem, matremque reliquit: verùm etiam quæ habere potuit, vniuerſa deſperſit. Nemo tã auri, quã ipſe cupidus paupertatis: nec theſauri cuſtodiẽdi ſollicitior vllus, quã iſte huius Euãgelicę margaritæ.* Optimus planè gẽmarius, & mercator diſertiſſimus erat Frãciſcus, qui paupertatis nobiliſſimæ gemmæ pretium, ęſtimationẽq. agnoſcẽs, omnia pro illius poſſeſſione vilipendebat: eã in amore & delicijs habebat, in ipſius meditatione non ſine lacrymis delectabatur. Vnde ſubiũgit ipſe Seraphi-

Matth. 8. Pſalm. 39. 2. Corint. 8 S. Bonau. c. 7. legen. maior.

S. Bonau. cus Doctor: *Chriſti Ieſu paupertatem, & Matris frequent er cum lachrymis reuocabat ad mentem: inde hanc virtutem aſſerens eſſe Reginam, quia in Rege Regum, & in Regina matre ipſius tàm præſtanter effulſit.* De mendicitate verò locutus c. 2. D. Bonau. cap. 2. leg. maior. maioris legendæ pari ſpiritu, & elegantia diſcurrit. *Depoſitaque*, ait, *omni verecundia propter amorem pauperis crucifixi, mendicabat apud eos, inter quos abundare ſolebat; debile corpus attritum ieiunijs, oneribus lapidum ſupponendo.* Et cap. 7. ait: *Propter ſanctæ paupertatis amorem, omnipotentis Dei famulus Eleemoſynis oſtiatim quæſitis vtebatur multò libentius, quàm oblatis. Si quando enim inuitatus à magnis perſonis, menſis eſſet profuſioribus honorandus: prius per propinquas vicinorum domos panum fragmenta petebat, ac deinde ſic ditatus inopia diſcumbebat.* Vt autem diſcumbentibus tanti erga paupertatem affectus rationem redderet S. Pater. Hæc teſte ibidem S. Bonauentura proferebat: *Hanc dignitatem Regalem, quam pro nobis Dominus Ieſus egenus factus aſſumpſit, vt ſua nos ditaret inopia; ac verè pauperes ſpiritu Regni Cœlorum Reges inſtitueret, & hæredes, nolo relinquere pro feudo diuitiarum falſarum vobis ad horam conceſſo.*

Tàm impensè colebat paupertatem S. Franciſcus; vt quod de ſua erga pauperes miſeratione dicebat olim Sanctus Iob. cap. 31. n. 18. Iob. c. 31. n. 18. *Ab infantia mea creuit mecum miſeratio, & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum.* Hoc de paupertate dicere poterat Sanctus Pater, cuius amorem incredibilemque affectum ab vtero matris extraxiſſe, & cum eo creuiſſe comprobatur. Agnouit hoc Innoc. III. Pontif. max. Author. conſor. i. 3. fruct. 4. qui Franciſco locutus, hæc dicebat: *Alij à latere tetigerunt paupertatem: Tu vis intrare in cor eius.* Quid mirum? ſi in viro Dei talis eſſet affectus, vt in paupertatis cor ſtuduiſſet intrare: quandoquidem paupertas in ipſius cor iam intrauerat, & cum eo ab infantia concreuerat. Vnde in ipſius theſauro Frãciſci cor poſitum erat; & totum ſuum ſtudium collocabat, vt perfectus Apoſtolicæ paupertatis imitator fieri mereretur. Et planè obtinuit, ſicut S. Petrus, & Paulus dum

inter

inter orandum ipſi apparuerunt conteſtati ſunt, dicentes: *Frater Franciſce, quia tu hoc petis, & deſideras, quod ipſe Chriſtus, & Sancti Apoſtoli hic ſeruauerunt; ideo notificamus tibi ex parte Domini noſtri Ieſu Chriſti, quòd tuum deſiderium eſt adimpletum. Et ipſe Dominus Ieſus Chriſtus nos miſit ad te: vt annuntiemus tibi, quia oratio tua eſt exaudita: & theſaurus ſanctiſſimæ paupertatis tibi, & te ſequentibus perfectiſſimè ſit conceſſurus.* Non tantùm lætaretur auarus opulentiſſimum rerum omnium theſaurum reperiens, quantùm gauiſus eſt verè pauper Franciſcus, audita Principum Apoſtolorum atteſtatione, qua ſe, & filios ſuos theſauri paupertatis Apoſtolicæ poſſeſſione donatos intellexit; & ideo affectum, quo in paupertatem, & mendicitatem ſerebatur, filijs imprimere ſtudebat. Idcirco in Regula ipſis præcepit. *Fratres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, ſed tanquam peregrini, & aduenæ in hoc ſæculo in paupertate, & humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemoſyna confidenter, nec oportet, eos verecundari; quia Dominus pro nobis ſe fecit pauperem in hoc mundo.* Cap. 6.

Tertiò, ne quidquam perfectæ deſideraretur conformitati, Chriſto ſimilis in nuditate Franciſcus apparuit. Quod in maiori Legenda cap. 14. S. Bonauentura deſcripſit. *Voluit certè* (inquit) *per omnia Chriſto crucifixo eſſe conformis, qui pauper, & dolens, & nudus in Cruce pependit. Propter quod, & in principio conuerſionis ſuæ nudus remanſit coram Antiſtite, & in conſummatione vitæ nudus voluit de Mundo exire.* Iam verò Chriſti nuditas adeò inſignis fuit, vt Origenes ad illa Ioannis verba c. 13. *Surgit à cæna, & ponit veſtimenta ſua; & cùm accepiſſet linteum præcinxit ſe*, nō dubitauerit dicere, Redemptorē pręnimio erga paupertatē amore in tali actione penitùs nudum, & ſolo coopertum linteo permanſiſſe. D. etiā Ambroſius de nuditate, quā in Cruce Chriſtus prętulit locutus, ita ait: *Nudus in Crucem aſcendit, & talis aſcendit, quales authore Deo, nos natura formauit. Qualis in Paradiſo homo primus habitauerat, talis Paradiſum homo ſecūdus intrauit.* Hanc Chriſti nuditatem S. Franciſcus retulit omnino Ioan. 13. Lib. 10. in Luc. c. 23.

ſe exuens moriturus, vt infrà dicemus, agendo quo pacto moriens Chriſto morienti ſimilis extiterit. In vitæ nuditate eamdem præ ſe tulit imaginem. Idcircò inſpectante Aſſiſienſi Epiſcopo, bonis omnibus nuntium remiſit, propria veſte ſe ſpolians, & nudus apparens. Quemadmodum Chriſtus vt ablueret pedes diſcipulorum, iuxtà Origenis mentem, ſuis ſe veſtibus denudauit: Quin vtrobique nonnulla inhoneſtatis ſpecies cerneretur: verum etiam nuditas illa myſterjs opima cæleſtibus, ingentem ſignificabat amorem, quo Chriſtus Dominus, & ſeruus eius Franciſcus nuditatem, paupertatemque amplectebantur: Vnde ſapienter dictum à S. Auguſtino lib. 4. Confeſſionum c. 9. *Multa facta, quæ hominibus improbanda videntur; teſtimonio Dei approbata ſunt, & multa laudata ab hominibus, Deo teste damnantur.*

August.

Quarto, Franciſcus veſtimenta portauit Chriſti veſtibus vilitate, imò, vt multi ſentiunt, colore ſimillima. Indubitatum verò eſt Chriſtum Dominum vilibus, & pauperibus indutum veſtibus inceſſiſſe, quemadmodum S. Thom. opuſc. 19. cap. 81. apertè demonſtrat. Et S. Chryſoſtom. de eodem locutus homil. 34. in Ioan. ita habet: *Nam quemadmodum in alijs omnibus, ita in habitu vilem ſpeciem præferebat.* Addit etiam Eutym. *Indumenta Chiſti viliora fuerant, quàm latronum, qui cum ipſo crucifixi erant.* Et verò Franciſci habitus vilis extitit, & Chriſti veſtimento ſimilis, vt in antiqua legenda depingitur. Rodulphus, Tunicam Sancti Franciſci ità deſcribit. *Tunica Diui Franciſci fuit pallentis, & cinericei coloris, qualem fuiſſe Tunicam inconſutilem Chriſti, quidam affirmant. Fuit quoque cruci formis, cuius longitudo terram non attingebat; latitudo verò manicarum ad extremos digitorum articulos perueniebat. Fuit ei veſtis vnica atque abiecta, & ad pedes defluens: nec turpe ducebat eam ferre, quamquam ei Principes conueniendi forent. Hac vtebatur, ſiuè vis frigoris, & hyemis inſtaret, ſiuè ardor æſtatis. Caputiumque quadratum detulit, tantæ quidem longitudinis, quod faciem operiret,*

D. Thom. Eutym. Rodulph.

qualem

qualem habitum deferre conſueuerant agreſtes homines illius Regionis, de quo quidam vates aptè admodum, & eleganter cecinit.

Franciſcus verò donum lætabile agreſtis

Accipit, & forma primum inſignit amata

Texta crucis, conſuta de hinc ſimul aptat habenda

Tegmina dura ſibi.

Vt autem filios exteriori veſte Chriſto ſimiles haberet; & quam Pater in hoc ſimilitudinem referebat, eadem quoque in filijs eluceret, in cap. 2. Regulæ veſtimentis vti vilibus imperauit. *Et fratres omnes veſtimentis vilibus induantur.*

§. TERTIVM.

Franciſcus duodecim perfectionibus internam Chriſti ſimilitudinem retulit, quibus tota ipſius vita quaſi ſtellis diſtinguitur, & coronatur.

CHriſti Redemptoris noſtri vita, tot virtutum fuit illuſtrata fulgoribus, tantiſque eius anima cæleſtis gratiæ luminibus claruit; vt ſtellas citius numeraueris. Inter omnes tamen duodecim maiorem ex ſe claritatem emittunt, vt aduertit Piſanus lib. 2. conform. 13. in quibus B. Franciſcus animam ſuam Chriſti animæ configurauit.

Prima

Prima Chriſti perfectio, ſeu virtus, omnimoda ſui abnegatio eſt, totaliſque abiectio, quas ipſe ſummoperè coluit, ac dilexit, dicente Propheta: *Vidimus eum deſpectum, & nouiſſimum virorum*. Hoc eſt, ita abiectum, vt inferius deſcendendo tendi non poſſe videretur: & tales voluit eſſe quotquot in ipſius ſocietatem ſe darent; ideoque omnes ita exhortabatur. *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat Crucem ſuam, & ſequatur me* Matth. 16. Et verò Sanctus Franciſcus perfectam adeo ſui abnegationem fuit amplexus, vt in alijs virtutibus alios, & ſeipſum vicerit: in hac naturam pariter, & gratiam viſus fuerit ſuperare. Nec ita facilè occurret alius pro tam perfectæ abnegationis exẽplo producendus, pręter vnum D. Paulum Apoſtolum, quem pariter, & B. Franciſcum in Eccleſia Deus conſtituit, vt eorum excuſationes amputaret, qui voluntatis propriæ ſectatores, & ſuæ fragilitati metuentes perfectam abnegationem, & omnimodam diuinæ voluntatis ſequelam reputant impoſſibilem. Falluntur tamen; quoniam, vt optimè ponderauit Auguſtinus, in ipſo ſtatim ſuæ conuerſionis exordio, tam miram D. Paulus ſui abnegationem prætulit, vt quaſi propriæ voluntatis expers, ac in diuinam reiectus, in ea verba proruperit. *Domine quid me vis facere?* Actorum 9. Quaſi ipſe velle iam non habuerit, niſi diuinum. Cuius abnegationis exemplar adamuſſim æmulatus eſt S. Franciſcus: vnde ſicut refert S. Bonauentura cap. 1. maioris Legendæ, cum Deo locutus, vt non ſuam in ſe ipſo, ſed diuinam voluntatem eſſe teſtaretur, eadem D. Pauli verba vſurpans, dicebat: *Quid vis me Domine facere?* Magnus certè, veræq. reſignationis affectus, in quo elucet quantùm inferior hominis pars ſubiecta fuerit ſuperiori: & quam mira inter ſe concordia ad Dei obſequium coaluerant; vt caro ſimul, & ſpiritus æqua promptitudine diuino famulatui ſubderentur. Pulcherrimè deſcripſit hanc harmoniam Sanctus Bonauentura in Legenda maiori cap. 5. *Quia enim*, inquit, *ad tantam deuenerat puritatem, vt caro ſpiritui, & ſpiritus Deo harmonia mirabili concordarent: diuina ordinatione fiebat, vt creatura*

Iſai. 28. *Matth. 16.* *Actor. 9.* *S. Bernar.* *S. Bonau.*

 Creato-

Creatori ſuo deſeruiens voluntati, & imperio eius mirabiliter ſubiaceret.

Multimode verò ſui abnegationem Seraphicus Pater oſtendit: à ſuis enim ciuibus impetitus, tanquam ſurdus non audiebat: parùm eſt, hilariter, & iucundè auſcultabat. Taceo Patris verbera, & in Ordinis principio multa in ipſum, ſocioſque probroſè diſſipata, in quibus ſemper lætum, vt minimè læſum aſpexiſſes. Ad Sultanum fratre Illuminato aſſociatus ſe conferens: dum ibi ludibrioſè exciperetur, plagis æquè & conuitijs oneratus in vincula detruderetur: magna cum hilaritate ſocio dixit: *Confide Frater in Domino, in nobis impletur illud Euangelij: Ecce ego mitto vos ſicut oues inter lupos.* Ouinam planè manſuetudinem vir Dei in improperijs oſtendebat, ad Chriſti agni imaginem, qui coram tondente ſe obmutuit, & non aperuit os ſuum. Tertullianus, *Coram tondente,* interpretatur coram Herode, de quo dicit Euangeliſta. *ſpreuit autem illum,* ideſt Chriſtum, *Herodes cum exercitu ſuo, & illuſit.* cap.23. Ecce tibi illuſus à Sultani ſatellitibus Franciſcùs admirabilem ſui abnegationem tanquam agnus modeſtiſſimè prætulit. Neque hìc tantùm, ſed in omni vitæ decurſu, dum calumnijs impeteretur, quod non ſemel accidit, manſuetè reſpondebat: *Talia decet audire filium Petri Bernardonis.* Hominem ſe ſatetur Franciſcus, dum pro ſuſtentanda ſui abnegatione ad parentem recurrit,ſeque Bernardonis filium appellat:ſed re vera ſupra hominem vox iſta eſt. Qui enim inter opprobria ſemetipſum abnegat,nec ſolùm obmuteſcit,ſed inſuper exhilaratur, grateque reſpondet: Is ſupra naturam ſe extulit, perfectæque abnegationis culmen tenuit.

Tertull.

Luc.23.

Cæterùm ſicut S. Franciſcus in calumnijs non mouebatur,ſic laudes,& encomia nullum ipſi pruritum excitabant: Quinimo cũ de ſe aliquid honorificum memorari ſentiebat, non mediocriter triſtabatur. Vnde ſocio, qui aderat, multa in ſeipſum vilia, & probroſa conijcere hortabatur: & tunc incredibili iucunditate diſtentus conuitianti reſpondebat: *Benedicat tibi Deus fili chariſſime, quia tu veriſſima loqueris.*

Quando

Quando verò conuitiatores deerant, qui perfectam viri Dei abnegationem exercerent, ipſe vt amplius augeret, coram magna populi frequentia defectus ſuos referebat. Verus planè, & perfectus ſui abnegator, cui nec opprobria leuiſſimam commotionem, nec encomia pruriginem excitarunt.

Rogatus olim à quodam Monacho S. Gregorius in quo vera, & perfecta abnegatio conſiſteret. Rogantem ad locum remiſit, in quo plurima mortuorum oſſa in cumulum erecta viſebantur, præcipiens, vt pròbra, & calumnias in ipſa iactaret. Pergit porrò Monachus, calumniatur, & ad mittentem regreditur. Quem cùm Gregorius interrogaret: An oſſa inter opprobria aliquod commotionis ſignum præſtiterint? reſpondit: Nullum planè. Iterum ergo abi, & pro calumnijs, laudibus vtere. Sequitur factus encomiaſtes, qui anteà conuitiator extiterat. Cæterùm oſſa pari immobilitate ad conuitia, & laudes perſtiterunt. Quod cum Monachus Sancto Gregorio retuliſſet. In hoc, reſpondit, vera, & perfecta abnegatio conſtituenda eſt; vt quiſquam, nec opprobrijs turbetur, ſed quaſi nihil ſentiens tanquam mortuus perſeueret, nec laudibus lætitiam ſentiat, vtrobique ſine ſenſu: Quaſi calumniæ nullum dolorem, nec laudes hilaritatem extuderint. Mortuum ne dixerim Franciſcum, an viuentem? Prope ſim mortuum dicere, quem ita perfectè abnegatum inſpicio, vt nec conuitijs, nec laudibus moueatur. Viuus tamen eſt, qui dum opprobrijs impetitur, gratiam refert: dum laudatur, ſeipſum deprimendo, laudis humanæ pruriginem extinguit. Quid igitur? Angelum exiſtimem: Angelus videtur dicendus, qui ſicut Angelus Dei, nec benedictione, nec maledictione mouetur: Quemadmodum olim Dauidi fœmina Thecuites dicebat: *Sicut enim Angelus Dei, ſic eſt Dominus meus Rex, vt nec benedictione, nec maledictione moueatur.*

2.Reg.14. 2. Reg. 14. At Franciſcum carne, & corpore circumdatum video, quod ab Angelis prorſus alienum eſt. Ergo hominem appellabo: At ſupra humanam naturam eſt tàm perfecta ſui abnegatio. Quapropter quoniam virum Dei, homi-

hominem negare nefas eſt, hominem dicam propè diuinum, in quo vera Chriſti imago enituit, Redemptoris exemplar effectus, qui ſeipſum abnegauit: & omnes poſt ſe ituros ad perfectam ſui abnegationem exhortabatur.

Secunda Chriſti perfectio.

SEcunda Chriſti perfectio eſt, ſanctiſſimæ carnis ipſius maceratio, quam Dominus Ieſus toto vitæ ſuæ tempore miris aſperitatibus exercuit. Vnde in flore iuuentæ conſtitutus (non enim pluſquam luſtra ſeſqui pergerat) à Phariſæis quinquagenarius reputabatur, ſicut ad illa Phariſæorum verba; *Quinquaginta annos nondum habes, & Abrabam vidiſti*. Ioan. 8. 5. Hilarius adnotauit. In hac Franciſcus magnum etiam collocauit ſtudium, & Chriſto ſimilis euadere contendit, vt S. Bonauentura cap. 1. maioris legendæ aureis planè verbis depinxit. *Mortificationi carnis inuigilabat attentius, vt Chriſti Crucem, quam interius ferebat in corde, exterius etiàm circumferret in corpore*. Et ideò mille modos excogitauit, quibus corpus affligeret, robur iuuenile detereret, ſanitatemque abſumeret, vt planè abſumpſit; ſemper valetudinarius, multiſque, & grauiſſimis infirmitatibus circundatus. Mirum eſt quam ſe præbeat ingenioſam humana ſagacitas, vt corpori indulgeat, quot pro ipſo valente lenocinia, pro infirmo remedia excogitauerit. Ingenioſior tamen in macerando corpore extitit Franciſcus; mille affligendi artes adinuenit; nec ex luxui deditis tantum quiſque corpus fouit, quãtum ille diſcrutiauit. Hinc illa inediæ, & algoris patientia, hinc humi cubatio, lapide capite ſuppoſito: hinc veſtitus aſperitas, hinc ciborum ruditas, amarities, & paucitas: hinc denique omnium delectabilium fuga, quàm ſic ſtudiosè tenuit, vt ad Chriſti imitationem nullum in corpore ſuo membrum reliquerit, nec ſenſum, quin acerbiſſima maceratione caſtigaret. Quid memorem labores

Ioan. 8.

S. Bonà.

aſſiduos,& frequentiſſimas,hac illacque nudipes diſcurrendo fatigationes, quibus Chriſtum ex itinere fatigatum imitatus, carnem edomabat. Quid nocturnas vigilias, & alia auſteritatis exercitia, de quibus loquens Frater Aegidius

Aegid.l.2. conformit. dicebat *Quod ſi Beatus Franciſcus habuiſſet corpus ſanum, & forte, vt ipſe ad id quod pœnitentiæ effeciſſet totus Mundus eum ſequi non potuiſſet.*

Sed lucupletius eſt pro hac vitæ rigiditate viri Dei teſtimonium: Qui morti vicinus à corpore ſuo veniam poſtulabat, ſeque in hac parte *fratri corpori* (verba illius ſunt) culpabilem dicebat, eò quod ipſum malè pluſquam fors decuiſſet, tractauerat. Pro qua etiam produco Sanctum Bo-

S.Bonau. nauenturam in Legenda maiori cap.4. diſertiſſimè loquentem. *Nuda humus, & frequentius lectus erat laſſato corpuſculo, & ſapiùs ſedens, ligno, vel lapide ad caput poſito dormiebat, vnica paupere contectus tunica: in nuditate Domino ſeruiebat, & frigore. Interrogatus aliquando quomodo veſtitu tam tenui ſe poſſet ab hyemalis algoris aſperitate tueri in ſpiritus feruore reſpondit: ſi ſupernæ patriæ flamma per deſiderium contegeremur interiùs, facile portaremus.* Et ſicut in veſtibus macerationem coluit, ſic in alijs quoque rebus, vt diximus, mirabiliter exercuit. Attendens enim, vt ait idem Seraphicus

D.Bon in. cap.5. doctor, illud Apoſtoli verbum. *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs, & concupiſcentijs, vt crucis armaturam ſuo ferret in corpore tanta diſciplinæ rigiditate ſenſuales appetitus arcebat; vt vix neceſſaria ſumeret ſuſtentationi naturæ.*

Tertia Perfectio.

TErtia perfectio, in qua Dominus Ieſus ſuæ imitationis exemplum reliquit, eſt ieiunij obſeruatio. Quod per quadraginta dierum ſpatium peregit, quin toto eo tempore quidquam manducaret; *Et cùm ieiunaſſet quadraginta die-*

Matth.4. *bus, & quadraginta noctibus* Matth.4. B, verò Franciſcus

Chriſti

Chriſti Saluatoris noſtri veſtigijs inſiſtens, integrã Quadrageſimam ieiunio tranſegit, nec interim pluſquam panis medietatem comedit, vt affirmat Piſanus, & alij multi confor. 25. part. 2. Quinimò toto ferè anni tempore quandiu vixit ieiunio ſe exercuit, multiplices inſtituens quadrageſimas. Nam præter illam, quam in deſerto Chriſtus ieiunando abſoluit: Et vir Dei in anguſtiſſima recluſus cella; quanta poterat cibi, & potus arctitudine ſuperabat, aliam ab Aſſumptione Beatæ Virginis vſque ad Feſtum S. Michaelis in honorem ipſius Archangeli ieiunabat. Deinde vt refert Sanctus Bonauentura cap 9. Legendæ maioris. *Apoſtolos omnes, & præcipuè Petrum, & Paulum propter feruidam charitatem, quam habuerunt ad Chriſtum ſumma deuotione complexans, ob quorum reuerentiam; & amorem quadrageſimæ ſpecialis ieiunium Domino dedicabat.* Vltra quod à Feſto omnium Sanctorum, vſque ad Chriſti Natiuitatem, & maiorem Eccleſiæ Quadrageſimam, iuxtà Regulam ieiunabat. Atque adeò ſi hæc omnia ad calculos reducantur, quid aliud erit Sancti Franciſci vita, quàm perennè ieiunium? Vnde meritò dixit citato loco Seraphicus Doctor. *Non habebat aliud Chriſti pauper, niſi duo minuta, corpus ſcilicet, & animam, quod poſſet liberali charitate largiri. Sed hæc pro amore Chriſti ſic offerebat continuè, vt quaſi omni tempore per rigorem ieiunij corpus, & per ardorem deſiderij ſpiritum immolaret. Exterius in atrio ſacrificans holocauſtum, & in templo interius concremans thimiama.*

Piſanus.

D. Bonau.

S. Bonau.

Quarta Perfectio.

QVarta Chriſti Perfectio admiranda ipſius patiẽtia numeratur. Vt enim, ait, Petrus Apoſtolus. *Cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur,* Sed inſuper pro interfectoribus exorauit. Hanc etiam virtutem toto animi affectu coluit S. Franciſcus; quoniam, vt iam ſupra tetigimus, inter opprobria ſiluit, perſecutiones ciuiũ,

Saracenorum: Quinimo & germani fratris, quod duriùs eſt, hilariter ſuſtinuit. In laudibus triſtitiam, & in vituperationibus admirandam prætulit ſurditatem. Teſtem laudo S. S.Bonau. Bonauenturam cap.6. ita loquentem: *Stultum proinde iudicans mundanis extolli fauoribus, gaudebat de opprobrijs, & de laudibus triſtabatur: malebat quidem de ſe vituperium audire, quàm laudem.* Nec alio verborum blandimento viri Dei animus temperari melius poterat, quàm cum fera iniuriarum tempeſtas ſuper eum grandinaret. Et verò non ſentit opprobrij aſperitatem in terra, cuius animus eſt in S.Bonau. cœlo. *Sic autem,* ait, S. Bonauentura, *eum charitatis exceſſiua deuotio ſurſum in diuina ferebat: vt eiuſdem affectuoſa benignitas ad naturæ conſortes, & gratiæ dilataret.*

Quinta Perfectio.

QVinta Chriſti perfectio indefeſſa, & aſſidua eſt ipſius operatio. Vnde apud Ioannem cap.5.dicebat: *Pater meus vſque modo operatur, & ego operor.* Nec de manuali operatione loquebatur: quanquam & in hac fors ſe exercuit, Sanctum Ioſeph Patrem ſuum putatiuum, in arte fabrili adiuuans. Vnde apud Marc.cap.6. dicebant non- Marc.6. nulli. *Nonne hic eſt faber?* Et in hac etiam Beatus Franciſcus aſſimilari ſtuduit corporalibus exercitijs vacans: Quemadmodum filijs in teſtamento reliquit, dicens: *Ego manibus meis laborabam, & alij Fratres volo firmiter quod laborent, de laboritio, quod pertinet ad honeſtatem.*

Aalia tamen eſt operatio ſuperior, videlicet prædicatio, & animarum ſalutis ſtudium. Ad quod Chriſtus Dominus D.Matth. ſummopere intendit. Vnde apud Matth. cap.9.& Marc.6. D.Marc. dicitur. *Et circuibat Ieſus omnes ciuitates, & caſtella docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium Regni:* ſed quam laborioſus fuerit iſte circuitus intelligi non poteſt, niſi loca

Omnia

omnia numeremus quæ prædicando, & docẽdo peragrauit.

Igitur vbi primum ſuam prædicationem incepit; etſi vt plurimum Hieroſolymis ſe teneret: Inde tamen egrediens per totam Iudæam diſcurrebat. Nam prædicauit in Corozaim, quæ ab Hieruſalem per ſeptuaginta duo milliaria diſtat. In Geraſa etiam docuit, à qua tota regio Geraſenorum dicitur, Matah.8. vbi dæmones ab homine eiectos permiſit in porcos intrare, ac in mare præcipites agi. Hæc ab Hieruſalem per nouemdecim milliaria diſiungitur. In Hierico, in cuius ingreſſu cæcum illuminauit Lucæ 18. Et quindecim milliaribus ab Hieroſolymis diſtat. In Capharnaum frequẽtiſſimè prędicabat, & diutiùs ſe tenebat Matth. 4. num. 13. & ſæpè alibi, vnde propter frequentiam Chriſti patria dicebatur, vt interpretes adnotarunt. Hæc ab Hieruſalem per octoginta milliaria remouetur. Eadem etiam diſtantia ſeparatus eſt mons ille Chriſti ſermone, & quinque millium ſaturatione celeberrimus, qui vtriuſque conuiuij ſpiritualis, & corporalis felici præſagio, menſa dicebatur. In hoc etiam non ſemel prædicauit. Mare Tiberiadis, & vrbes ibi exædificatæ, qua in litore, qua è cymba prædicantem ſenſerunt. Et vt minimum locorũ huiuſmodi ab Hieruſalem diſtantia ſexaginta milliaribus perficitur. Bethſaidam per octoginta milliaria remotam Petri, & Andreæ Apoſtolorum natiuitate fauſtiſſimam, doctrina, & prædicatione felicitauit. Decalopis regio eſt multorum milliariorum diſtantia ab Hieroſolymis diſiuncta, decem vrbes complectens, in quibus etiam docuit. Cæſarea Philippi in Septentrionali Terræ promiſſionis termino conſtituta, & multis milliaribus ſeparata, doctrinę ipſius fructum percepit. Hìc celeberrima Petri confeſſio accidit, pro qua Eccleſiæ caput, & Chriſti Vicarius inſtitui promeruit. In Sichar fœminæ Samaritidis conueuerſione memoranda, & viginti ſex milliaribus diſtãte, poſt illa putei, in quo fatigatus ſederat, colloquia, duobus diebus moram traxit; & ſecuta Samaritanorum numeroſa conuerſione prædicauit, Ioan.4. Naym ſexaginta milliaribus diſtat ab Hieruſalem, in cuius porta filium

Matth.8. *Luc.18.* *Matth.4.* *Marc.1.* *Luc.4.* *Ioan.2.* *Matth.5.* *Ioan.6.* *Ioan.4.*

viduæ plangentis temporali vitæ reſtituit; & intra Vrbem omnes ad æternæ vitæ aſſecutionem ſua prædicatione excitauit Luc. 7. Mons Thabor duo ſupra ſexaginta milliaribus ab Hieruſalem diſtans Chriſto ſe transfiguranti ampliſſimum præbuit theatrum. Sæpiſſimè noctu orantem ſuſtinuit, & diù prædicanti pro ſuggeſto deſeruijt Matth. 17. In Cana Galileæ, vbi aquam mutauit in vinum, & primam ſuæ omnipotentiæ demonſtrationem edidit, etiam prædicationis fundamenta iecit. Hæc ſexaginta milliaribus, & amplius ab Hieroſolyma diſtat. In Sidone vbi curauit filiam Gananeæ, & in Tyro, vbi fœmina prædicanti applaudens exclamauit: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti*, Doctrinæ ſuæ radios ſparſit. Luc. 11. Plura etiam loca docendo, & prædicando circuiuit Dominus Ieſus, quæ innumerum eſſet recenſere: Hactenus verò numerata pedes ſemper, & diſcalceatus peragrauit. Vnde cernere eſt quantum operæ, & laboris in proſeminanda ſui Euangelij doctrina tàm exiguo tempore collocauerit. Cuius laboris, & operationis exemplum imitatus Beatus Franciſcus, nullam ferè Orbis regionem videtur intactam reliquiſſe, in qua Euangelij ſemina non ſparſerit. Anguſtus fuit illi Orbis noſter, luſtrato occidente, vt iam memorabo, ad Orientem ſe contulit, doctrinæ; virtutiſque ſplendore cum ſolis claritate certaturus.

Luc. 7. Matth. 17. Luc. 11.

Audito Dei Oraculo Franciſcus ipſum inter orandum humana voce alloquentis. *Franciſce vade repara Domum meam*. Illicò totum Orbem à ſe peragrandum animo concepit, vt vbique labantem Eccleſiam; hæc enim domus Dei eſt, ſtudioſius reſtauraret. Nec iter diſtulit: non enim ad itinerandum accingi oportebat, qui iam lumbos præcinxerat, ardenteſque lucernas manibus geſtabat. Deinde illud Pauli Apoſtoli Galatis ſcriptum recolebat. *Cùm autem placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, & vocauit me per gratiam ſuam, vt reuelaret filium ſuum in me, vt Euangelizarem illum in gentibus: continuò non acquieui carni, & ſanguini; ſed adij in Arabiam*. Et ſpeciali Dei gratia voca-

Ad Galat. 1. n. 15.

vocatum interius ſe agnoſcens, vt Chriſtum Dominum in aſſidua eius operatione imitaretur, illum velut quædam effigies Orbi repræſentare ſtuduit. Nullibi enim melius perſona, quàm imperfecta ſui imagine reuelatur. Deinde memor itinerum, & peregrinationum, quæ Dominus Ieſus animarum ſalutis ſtudio obierat, quieti & carni, ſanguiniſque obſtrictionibus vale dicens, iter arripuit. vrbes, oppida, Caſtella prædicando, exhortando, multimodeque operando percurrens, Europam, & Aſiam doctrinæ, & operationis cultura locupletauit. Quinimo ne qua Orbis pars deeſſet, vbi Chriſtum in ſe ipſo non reuelaret Africam: animo concepit, & in Marrochium proficiſci deſtinauit; vt ea in vrbe conſummato per martyrium vitæ curſu, doctrinam, & prædicationem proprio ſanguine obſignaret. Et ſanè palmam tàm ardenti ſtudio concupitam obtineret. Noluit tamen Deus, vt Barbari carnificis manus Franciſcum imaginem ſuam cruentaret.

Poſtquam verò plurimas Italiæ vrbes perluſtrauit, ac in eis operationis ſuæ monumenta reliquit: concitato curſu in Palæſtinam ſe contulit, vt loca omnia inuiſeret, per quæ Chriſtus docendo & operando tranſierat, fidemque ipſius ibi extinctam ſuſcitaret. Nec iuiſſe ſemel ſatis habuit: bis illuc iter inſtituit, diutiuſque immorari placuit, quoniam Redemptoris illic quondam viuentis, operantis, & morientis amore tenebatur, & illum labore, & operatione ſua illis gentibus reuelare ſtudebat. Quod etiam Damiatæ in Syria, in Aegypto, & alijs earum Regionum vrbibus præſtitit: per quas Palæſtinam contendens ſemel, iterumque tranſiuit.

Inde reuerſus, quia indefeſſum operandi ſtudium quieſcere non permittebat, in Hiſpaniam abijt, Et Caſtellam vtramque veterem & nouã percurrit S. Iacobi corpus Compoſtellæ inuiſit. Ad Luſitaniam ſe confert, indeque recedens in Caſtellam reuertitur. Nauarram, Aragoniam, Cataloniam perluſtrat. Nec vacuus, nec vanus Regionum, vrbium, locorumque circuitus euaſit. Vbique enim laboris, & operationis ſuæ monumenta perennãs hominum conuer-

ſiones

ſiones admirandæ, domus extructæ, Conuentus, qua Regum, qua Principum, & Dynaſtarum magnificentia, ſumptibuſque exædificati; in quibus adhuc viri Dei ſpiritus, ardenſque operandi ſtudium anhelat, & viuit. Et verò Sancti Franciſci ad Hiſpaniam acceſſum, vtpotè magnam illis regionibus vtilitatem allaturum, ſignis, ac portentis cælum, cui nouos doctriua ſua daturus erat habitatores, celebrauit. Ipſo enim Hiſpaniam intrante, vt colligitur ex ſummario Chronologico Hieronymi Bardi, anno 1213. igneæ cruces in Cælo apparuerunt. Auſpicatiſſimum planè ſignum crux erat, vt Franciſcum Crucifixi Redemptoris imaginem, & nouum Crucis prædicatorem orbi datum demonſtraret. Sed cur ignea, & non ſicut alibi multicolor apparuit? Fallar niſi ignis in Crucibus ſplendens Franciſci victoriam de Hiſpanorum animis obtinendam præmonſtrabat. Terrentur igne Leones, vt ait Plinius in Hiſtoria naturali, & nullo alio facilius quàm flamma vincuntur. Perbellè igitur qui Hiſpanos Leones, prædicatione expugnaturus, & renouaturus adibat, cruce flammea demonſtratur. Vt quemadmodum Chriſtus Orbem non ferro, ſed ligno domuit; ità Franciſcus Hiſpaniam leonibus fæcundam Cruce flammea domiturus erat, pariterque nouitati redditurus. Vtrumque enim flamma in Cruce ſplendens ſignificabat.

Plinius.

Pſalm. 96. de Chriſti in Orbem aduentu locutus Regius Vates cecinit: *Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* Sic Beatum Franciſcum in Hiſpaniã euntem, ignis in cruce ſplendens præceſſit: vt hac ratione monſtraretur, quod illuc accedente, & ibi prædicante verbis ignem ſpirantibus, Hiſpaniam peccatorum vetuſtate abſumptam renouaturus eſſet. Ignis ille, qui in forma linguarum in die Pentecoſtes ſupra Apoſtolorum capita deſcendens apparuit, mundum ad eorum prædicationem renouandum præmonſtrabat. Iuxtà illud Pſalm. 103. *Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* Porrò triplicem operationem edidit flamma Sancti Spiritus, Intellectum illuminauit; voluntatem accendit; ſenſitiui

Pſalm. 95.

Pſal. 103.

appe-

appetitus ardorem conſopiuit, omninoque extinxit. Et ſanè ignis in ſylua ſuccenſus, igne alio ex aduersò ſuccenſo reprimitur, & flammam flamma vincit, nec vltra ſerpere conſentit. Eoſdem habuit effectus Franciſci prædicatio in igne ſignificata, quandiu in Hiſpania ſe tenuit. Mentes incolarum illuminauit, voluntates Dei amore ſuccendit, concupiſcentiæ flammam abſumpſit. Ideo enim Crux ignea in cælo præceſſit euntem, vt mentibus lucem; cordibus amorem; appetitui interitum allaturus ſignificaretur. At cur ignis non in linguis ſicut in die Pentecoſtes, ſed in Cruce apparuit. Credo, quia Crux ſignum erat Franciſco familiare, maximopereque dilectum. Nihil in Franciſci ore frequētiùs Cruce audiebatur, totus ille obſignatus erat Cruce: Et quidquid vbique operabatur, Crucis meditatione perficiebat. Deinde Crux aptiſſimum erat inſtrumentum, quo Crucifixus, vel Crucifixi effigies oſtenderetur. Perbellè igitur Franciſco Hiſpaniam intraturo crux irradiat, vt illuc nouus Crucis prædicator, homo Mundo crucifixus, quinimo Dei hominis Crucifixi imago, & cum ipſo Cruci confixus accedere prænoſcatur.

Suam iterū repetiuit Italiam, facto per Gallias itinere, quas etiam doctrina, & operatione illuſtrauit; Quis enim Solem in Emiſpherio cōſtitutū illuminare, admirabileſq. operationes edere inficiabitur? Ciſalpinos, Taurinēſes, Pedemōtanos frigeſcēte charitate, pluſquam glaciali niue algētes, amoris ſui flāma, fouit, calefecit, atq. prędicationis lumine colluſtrauit. Ardebat enim pariter & lucebat Frāciſcus, vtroq. videlicet, ardore, & lumine clarus: operatione tamen à qua nunquam ceſſabat clariſſimus. Otij impatiens erat, quod verbo pariter & exēplo fugiendum edocebat, ſicut refert S. Bonauent. c. 5. maior. Legen. *Otium autem omnium malarum cogitationū ſentinam dicebat ſummoperè fugiendum, exēplo demonſtrās rebellē carnem, & pigrā diſciplinis cōtinuis, & fructuoſis laboribus eſſe domandam: Vnde corpus ſuum fratrem aſinum appellabat; tanquam laborioſis ſupponēdum oneribus, crebris cædendū flagellis, & vili pabulo ſuſtētandum. Si quem verò cernebat otioſum, &* S. Bonau.

vagum, aliorum velle manducare labores, Fratre m muſcam nominandum cenſebat. Hac Seraphici Doctoris clauſula Parentis ſui Franciſci laborioſam operationem terminare libuit. Pro qua cõſulendi ſunt Annales minorum. An. 1213, & ſæpè alibi.

Sexta Perfectio.

SExta Christi Perfectio admirabilis eſt ipſius doctrina:
Matth. 22. n. 33. *Vnde mirabantur in doctrina eius.* Quin etiam vltra
doctrinæ miraculum, magna fuit verborum, prædicationiſ-
Luc. 24 nu. 19. que efficacitas ad cordis duritiem emolliendam; *Potens in*
opere, & ſermone. In qua mirum eſt, quantum S. Franciſcus
S. Bonau. Chriſto ſimilis extiterit: Quoniam S. Bonauentura cap. 3.
maioris legendæ, hæc de illo profert: *Erant autem ipſius elo-*
quia non inania, nec riſu digna, ſed virtute Spiritus Sancti ple-
na erant, medullas cordis penetrantia: vt in vehementem ſtu-
porem audientes conuerterent. Nec ſolos rationis compotes
Franciſci verba permouebant. Aues etiam rationis exper-
tes, verborum efficaciam ſentiebant. Plurima in hanc rem
planè miraculoſa recenſet Sanctus Bonauentura c. 12. Le-
S. Bonau. gendæ maioris: Inter quæ referre placet; quod cum ali-
quando plures diuerſi generis aues ſimul congregatas
Sanctus Pater intueretur. *Alacriter,* ait, *cucurrit ad locum,*
& eas velut rationis participes ſalutauit. Omnibus verò expe-
ctantibus, ac conuertentibus ſe ad eum. ita vt quæ in arbuſtis
erant, inclinatis capitibus, cum appropinquaret ad eas inſolito
modo in ipſum intenderent, vſque ad eas acceſſit, & omnes, vt
verbum Dei audirent, ſolicitè admonuit; dicens: Fratres mei
volucres multum debetis laudare creatorem veſtrum, qui plu-
mis vos induit, & pennas tribuit ad volandum, puritatem con-
ceſſit aeris, & ſine veſtra ſolicitudine vos gubernat. Cum au-
tem eis hæc, & his ſimilia loqueretur, auiculæ modo mirabili
geſtientes cœperunt extendere colla, protendere alas, aperire ro-
ſtra, & illum attente reſpicere. Ipſe verò cum ſpiritus feruore

mirando per medium ipſarum tranſiens tunica contingebat eaſdem; nec tamen aliqua de loco mota eſt, donec ſigno Crucis facto, & licentia data cum benedictione viri Dei omnes ſimul aduolarunt. Sic totidem verbis S. Bonauentura, vbi anxius hæreo, & ſuſpenſus, quid prius admirer: Franciſci ne puritatem, & innocentiam primæua ſimplicitate coniunctam, & primi parentis ſtatum referentem, cum animalia in hominis ſocietatem ſe dabant, & ipſe impauidus eis promptè obſequentibus imperitabat? An dicẽdi efficacitatem inſolitam, hactenuſque inauditam, qua prolata ore prope diuino verba volucrum aures penetrabant pariter, ac demulcebant, & in præcordia paulatim illapſa captas, & immobiles detinebant. Itaquod abſque noui, & prorſus admirandi prædicatoris licentia recedere non auderent.

Antiquæ fabuloſitatis garrulitatem tacere iuſſit Clemens ille Alexandrinus, & quidquid de ſuo Orpheo audacter commenta eſt, & cartis commendauit, obliterandum præcepit: quia veriorem, & meliorem antiquitate Orpheum ſortita eſt Eccleſia, Chriſtum Dei filium Redemptorem noſtrũ, cuius admiranda in prædicando efficacitas, cũ ſuauitate coniuncta, plura quam Orpheus miracula edidit. Preterquã quod miracula illius mentita, & fabuloſa, Chriſti autem vera extiterunt. Non viderat Clemens Franciſcum; nec de eius dicendi virtute quidquam audierat. Multos enim poſt annos illum Dei Eccleſia ſuſcepit. Quia ſi iam tunc natum inſpexiſſet prædicantemque audiuiſſet, nequaquam Eccleſiæ gratularetur, quod vnum Orpheum Chriſtum, antiquo meliorem obtineret. Duos planè diceret Chriſtum, & Franciſcũ, ambo prædicandi efficacitate ſimiles, ambo ſermone, & opere potentes: de Chriſto prædicante dicebatur: *Nunquam ſic loquutus eſt homo*. Eadem ad Franciſcum prædicantem referre non dubitabis, ſi D. Bonauent. de Seraphici Parentis in dicendo potentia enarrantem iterũ auſcultes. Ioann. 7. n. 46.

Exinde, ait, *prædicando per loca vicina procedens, venit ad Caſtrũ quoddam nomine Albianum, vbi congregato Populo, & indicto ſilentio propter hyrundines nidificantes in eodem loco,*

magniſque garritibus perſtrepentes, audiri vix poterat. Quas vir Dei omnibus audientibus allocutus eſt, dicens: Sorores meæ hyrundines iam tempus eſt, vt loquar & ego: quia vos vſque modo ſatis dixiſtis: Audite verbum Dei tenentes ſilentium, donec ſermo Dei compleatur. At illæ tanquam intellectus capaces ſubitò tacuerunt, nec fuerunt motæ de loco, donec fuit omnis prædicatio conſumata. Nihil vltra pro ſtabilienda prædicandi virtute enarrandum ſupereſſe videbatur: Aliud tamen exemplum adiungit eodem loco S. Doctor, quod plauſu dignum cenſeo, & ideò repetendum.

In Ciuitate namque Pariſienſi ſcholaris quidam indolis bonæ, cum ſocijs alijs ſtudio diligenter intentus, dum importuna garrulitate cuiuſdam moleſtaretur hyrundinis, dicere cæpit ad ſocios. Hæc hyrundo vna de illis eſt, quæ virum Dei Franciſcum prædicantem aliquando, donec ſilentium eis imponeret, moleſtabant. Et conuerſus ad hyrundinem fiducialiter ait. In nomine ſerui Dei Franciſci præcipio tibi, vt ad me veniens continuò conticeſcas. At illa Franciſci audito nomine, quaſi viri Dei diſciplinis edocta, & ſtatim conticuit, & ipſius manibus tanquam tutæ cuſtodiæ ſe commiſit, ſtupefactus ſcholaris, ſtatim eam libertati reſtituit, & eius garritum amplius non audiuit. Hæc autem audiat, & ponderet Chriſtianus, vt agnoſcat, quam magna fuerit S. Franciſci in prædicando potentia, quantumque in ea Chriſto Redemptori noſtro, de cuius benignitate id acceperat, ſimilis extiterit. Quod Gregorius Nonus in Bulla ſuæ canonizationis conteſtatus eſt: *Prædicatione ſiquidem ſimplici,* ait, *nullis verborum perſuaſibilium humanæ ſapientiæ coloribus adornata; ſed tamen Dei virtute potenti, qui infirma Mundi elegit, vt fortia quæque confundat: non tantum mille, ſed multa millia Philiſtinorum, eo qui tangit montes, & fumigant, fauente proſtrauit; & in ſpiritus ſeruitutem redegit, carnis illecebris antea ſeruientes.*

Septima Perfectio;

SEptima Chriſti perfectio eſt gratia, ſeù luminis donum; quo Sacras Scripturas intelligebat, & alijs interpretabatur. Quod de ipſo quatenus homine accipiendum eſt; alioquin tanquam Patris Verbum ſumma ipſius, & infinita ſapientia erat, quam ſimul cum diuinitate accepit. Vnde Coloſſenſibus dicebat Apoſtolus: *In agnitionem Dei Patris, & Chriſti Ieſu, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi*. Et præterea vt homo erat, Orbi datus à Deo vt Doctor, ſicut in Ioele cap. 2. prædictum eſt. *Et filij ſion exultate, & lætamini Domino Deo veſtro, quia dedit vobis Doctorem*. Condignum erat, prorſuſque neceſſarium, vt lumen ſcientiæ infuſum acciperet, quo ſacras Scripturas intelligeret, alijſque intelligendas luculentiſſimè exponeret; vt multoties feciſſe accepimus apud Luc. c. 24. cùm euentibus in Emmaus ſocium ſe adiunxit *Et incipiens à Moyſi, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant*. Alibi quoſdam ipſum fraudulenter circumuenientes interrogans, *Quid vobis videtur de Chriſto, cuius filius eſt?* Cumque reſpondiſſent, eum eſſe Dauid filium: *Dicunt ei Dauid: Ait illis, quomodo ergo Dauid in ſpiritu vocat eum Dominum dicens: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius eſt? Et nemo poterat ei reſpondere verbum; neque auſus fuit quiſquam ex illa die eum amplius interrogare*. Meritò obmutuerunt, quis enim vlterius ei colloqui auderet, qui Apoc. 3. de ſe ipſo profitetur. *Hæc dicit Sanctus, & verus, qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit*. Et quid aliud melius clauem Dauid quàm ſcripturarum ſcientiam, & interpretationem appellaueris. Hanc clauem tradidit Dominus diſcipulis, quando

Coloſſ. 2. *Ioel.* *Luc.* *Matth.* 22. *Apoc.* 3.

in Caſtello Emmaus cũ ipſis epulabatur teſte D. Luc. c. 24. *Tunc aperuit illis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas.*

Hanc etiam dedit Sancto Franciſco, in quo ſpecialę intelligentię lumen effulſit, vt ſacras ſcripturas interpretaretur; vt abſtruſa quæque illarum profundius ita penetraret, dilucideque exponeret, vt omnem prorſus dubitationem auferret. Iniurius ero D. Bonauenturæ, niſi ipſius teſtimonio hanc veritatem comprobauero, qui cap. 11. Legend. maioris ita loquitur *Ad tantam autem mentis ſerenitatem indefeſſum orationis ſtudium, cum continua exercitatione virtutum, virum Dei perduxerat; vt quamuis non habuerit ſacrarum litterarum peritiam, per doctrinam æternæ tamen lucis irradiatus fulgoribus, ſcripturarum profunda miro intellectus ſcrutaretur acumine. Penetrabat enim ab omni labe purum ingenium myſteriorum abſcondita. Et vbi magiſtralis ſcientia forisſtabat, affectus introibat amantis. Legebat quandoque in libris ſacris, & quod animo ſemel iniecerat, tenaciter imprimebat memoriæ: quia non fruſtra mentalis attentionis percipiebat auditu, quod continuę deuotionis ruminabat affectu.* Hactenus ille.

Quid ni è tali ſchola tam eximius ſacrarum litterarum interpres euaſerit S. Franciſcus? Cui Deus inter orandum, & meditandum aperuit ſenſum, vt intelligeret ſanctam Scripturam, & difficiles in eâ quæſtiones ſciſcitantibus enodaret; Quod Senenſis quidam Doctor experientia didicerat, & non ſine admiratione prædicabit, vt citato loco refert Sãctus Bonauentura. *Interrogatus Senis à quodam religioſo viro Theologiæ ſacræ Doctore de quibuſdam quæſtionibus difficilibus intellectu, tanta claritate doctrinæ, diuinę ſapientiæ patefaciebat arcana, vt vehementer ſtuperet vir ille peritus, & cum admiratione referret; Vere Theologia S. Patris iſtius puritate, & contemplatione tanquam alis in altum ſubuecta eſt aquila volans; Noſtra verò ſcientia ventre graditur ſuper terram. Licet enim eſſet imperitus ſermone: ſcientia tamen plenus enodabat dubia quæſtionum, & abſcondita producebat in lucem. Nec abſonum ſi vir Sanctus ſcripturarũ à Deo intellectum acceperat; cùm per imitationem Chriſti perfectam veritatem*

ipſarum

ipſarum deſcriptam geſtaret in opere, & per ſancti Spiritus vnctionem plenarium Doctorem earum apud ſe haberet in corde: Hæc Sanctus Doctor, in quibus admirando claritatis fulgore irradiat intelligentiæ lumen ad ſacras ſcripturas interpretandum, quod B. Franciſcus Chriſto largiente poſſederat; ad ipſiuſque imitationem profundiſſimorum ſenſuum arcana mira perſpicuitate reuelabat. Et ideo terminus hic erit præfigendus, ad aliamque perfectionem tranſeundum.

Octaua Perfectio.

Octaua Christi Perfectio eſt extrema humilitas, cuius ſe præceptorem expoſuit, dicens apud Matth. c. 11. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Et verò Dominus Ieſus tantùm ſe humiliando abiecit, vt inferiùs in abiectione tendi non poſſe videatur. Recole apud Ioannem cap. 13. qua ratione ad diſcipulorum pedes ſe proiecerit, vt eos ablueret, quo in loco ponderauit egregiè S. Hieronymus; Propterea Chriſtum Dominum hac ſe humiliandi ratione vſum, vt homo edoceretur, quòd quantumuis ſe extremè deijceret, ſemper Chriſtum ſubtus pedes ſuos poſitum inuenturus eſſet. Atque adeo nunquam ipſi defuturum, quod ab humilitatis præceptore diſceret, & extremam ſe deprimentis humilitatem imitaretur.

Matth. 11

Ioann.

D. Hieron.

In quo, vt in ſuperioribus ſtatuimus, verum diuini præceptoris diſcipulum Franciſcus ſe præſtitit. Et propterea Luciferi locum in cælo obtinuit; vt quod improba elatiſſimi ſpiritus ſuperbia amiſerat, abiectiſſima humillimi Franciſci exinanitio conſequeretur. Fuit autem in viro Dei ſupra virtutes omnes humilitatis ſtudium, de quo locupletiſſimum eſt S. Bonauenturæ teſtimonium cap. 6. maioris Legendæ. *Omnium*, inquit, *virtutum cuſtos, & decor humilitas copioſa virum Dei vbertate repleuerat. In propria quidem reputatione nihil erat, niſi peccator: cùm in veritate ſpeculum eſſet, &*

D. Bonau. c. 6. legen. maior.

ſplendor

ſplendor omnimodæ ſanctitatis. Super hanc ſtuduit ædificare ſeipſum, vt ſapiens architectus fundamentum præiaciens, quod à Chriſto didicerat. Dicebat propter hoc Filium Dei de altitudine ſinus Paterni ad noſtra deſpicabilia deſcendiſſe, vt tam exemplo, quàm verbo Dominus, & Magiſter humilitatem doceret: Propter quod ſtudebat tanquam Chriſti diſcipulus in oculis ſuis, & aliorum vileſcere, à Summo dictum eſſe Magiſtro commemorans. Hactenus ille. Et quidem magnum in humilitate eſt, vt quiſquam apud ſe deſpicabilis exiſtat. ſummum tamen humilitatis gradum tenere dicendus eſt, qui apud alios contemptus apparere non ſolùm erubeſcit; ſed etiam totis viribus id obtinere contendit. Ita quod de ſe abiecta ſentiat, & alta ſilentio premat, humilia vero, & abiecta manifeſtet. Quemadmodum fecit S. Ioannes Baptiſta, (*Ioan. 1.*) qui interrogatus quiſnam eſſet. *Et confeſſus eſt, & non negauit, quia non ſum ego Chriſtus,* hoc eſt, vt ibi verſat Origenes, *Et confeſſus eſt, quòd non erat, & non negauit quod erat.* Mirum eſt quantum in occultandis virtutibus ſtudium collocauerit S. Franciſcus, & quanta alacritate ad manifeſtandum, ſi quos haberet defectus, proſiluerit.

Admirandum huiuſmodi manifeſtationis exemplum refert S. Bonauentura cap. 6. Legendæ maioris. Grauatus infirmitate vir Dei abſtinentiæ rigorem pro recuperanda ſanitate modicum relaxauit. Cùm autem vires aliqualiter reſumeret: quaſi iuſtæ indulgentiæ pœnitens, & opprobrij ſtudioſus intra ſe dicebat: Incongruum eſt vt populus abſtinentem me credat, & ego carnaliter reficiar in occulto. Quid igitur? Conuocato Aſſiſij populo in plurium Fratrum comitatu fune ad collum, ligato nudus cum ſolis fœmoralibus ad lapidem, vbi puniebātur malefactores cūctis ſpectantibus procedit, & ſuper ipſum conſcendens debilis adhuc, & quartanarius vigente frigore magna vocis, & animi contentione proclamauit ſe non tanquam ſpiritualem honorandum, ſed tanquam carnalem, & helluonem ab omibus contemnendum. *Igitur* concludit S. Bonauentura, *qui conuenerant tam ingenti viſo ſpectaculo admirati ſunt, & quia ip-* (*S. Bonau. c. 6. legen. maior.*)

ſius

ſius auſteritatem iam nouerant, deuotione compuncti humilitatem huiuſmodi magis admirabilem, quàm imitabilem proclamabant.

Nona Perfectio.

NOna Perfectio eſt Chriſti Domini obedientia, quam æterno Patri factus obediens vſque ad mortem exercuit. Quinimò Beatiſſimæ Genitricæ Mariæ,& Patri putatiuo Ioſeph obediuit. Lucæ 2. *Et erat ſubditus illis.* Hanc etiam incredibili affectu amplexatus eſt Sanctus Franciſcus; & ideò alijs ſubeſſe potius, quàm præeſſe ſtuduit. Nouerat enim magnum obediendi lucrum eſſe, & non parum imperandi periculum, *vt autem* (S. Bonauenturæ verba ſunt) *pluribus modis negotiator hic Euangelicus lucraretur, ac totum præſens tempus conflaret in meritum, non tàm praeſſe voluit, quàm ſubeſſe, nec tàm præcipere, quàm parere. Idcircò generali cedens officio; Guardianum petijt, cuius voluntati per omnia ſubiaceret.* Nec verò ſolius Guardiani voluntatem promptiſſimè exequi paratus erat; ſed cuiuſcunque, qui ſibi præficeretur. Vnde ſicut ſcripſit loco citato S. Bonauentura. *Dixit aliquando ſocijs inter alia quæ dignanter pietas diuina mihi conceſſit, hanc gratiam contulit, quod ita diligenter nouitio vnius horæ obedirem, ſi mihi Guardianus daretur, ſicut antiquiſſimo, & diſcretiſſimo fratri. Subditus, inquit, prælatum ſuum non hominem conſiderare debet, ſed illum pro cuius eſt amore ſubiectus; quantò enim contemptibilior præſidet, tantò magis obedientis humilitas placet.*

Luc. 2.

S. Bonau. cap 6. de obedient.

Decima Perfectio.

DEcima Chriſti perfectio donum lachrymarum, ſeù lachrymandi effectus numeratur. Nàm & ſi filius Dei eſſet, & propterea æternæ beatitudinis lætitia frueretur, à qua lachrymæ triſtitiæ indices, & compaſſionis filiæ longiſſimè abſunt. Nihilominus quoties

Luc. opportunum iudicauit vt fleret, alienæ miſeriæ compatiens lachrymis fræna laxauit. Hinc eſt, vt refert Luc. c: 19. n 41. quod vrbem Hieroſolymam aſpiciens, extremamque ipſius euerſionem mente recolens, & diſcipulis ipſum comitantibus prænuntians, illachrymari occepit. *Videns ciuitatem fleuit ſuper illam.* Iterum à ſororibus Lazari Maria, & Martha vocatus, vt fratrem ſanitati & vitæ redderet, dies aliquot expectans, venit tandem, & in monumento poſitum inuenit: cùmque à ſororibus collachrymantibus interpellaretur, earum fletui indulgens, & mundi peccata in Lazaro ſibi obiecta deplorans: *Infremuit ſpiritu, & turbauit ſemetipſum, & lacbrymatus eſt Ieſus.* Poſtremò morti vicinus preces, & lachrymas Patri obtulit ingenti clamore aſſociatas: Tantùmque apud Patrem valuerunt, vt filium in oratione lachrymantem pariter, & clamantem pro ſua reuerentia audierit; vt teſtis eſt Diuus Paulus ad Hebræos c. 1. *Qui in diebus carnis ſuæ preces, ſupplicationeſque ad eum, qui poſſet illum ſaluum facere à morte cum clamore valido, & lachrymis offerens exauditus eſt pro ſua reuerentia.*

Ioann. 11.

S. Franciſcus ad Chriſti Domini ſimilitudinem etiam lachrimarum dono gaudebat, & magno plorandi affectu tangebatur. Vnde duriſſimum ei erat à lachrymis prohiberi, quibus tenerrimè indulgebat. *Cùm enim* (vt refert S. Bonauentura cap. 5. Legendæ maioris) *ex continuo fletu grauiſſimam oculorum infirmitatem contraxiſſet, ſuadenti ſibi medico quòd abſtineret à lachrymis, ſi corporei viſus cæcitatem vellet effugere. Vir ſanctus reſpondit: Non eſt, frater medice, ob amorem luminis, quod habemus comune cũ muſcis, viſitatio lucis æternæ repellenda vel modicum: quia nõ ſpiritus propter carnem, ſed caro propter ſpiritum beneficiũ lucis accepit. Malebat ſiquidem corporalis viſus lumen amittere quàm lachrymas, quibus oculus mũdatur interior, vt Deum videre valeat repreſſa deuotione ſpiritus impedire.* Hæc viri ſãcti reſpõſio aureo S. Bonauenturæ calamo pulchrè reddita, lachrymarum donum pariterq. affectũ, quod in Franciſci corde vigebat, ita cumulatè proſequitur, vt nihil vltra adiungendum ſuperſit.

Vnde-

Vndecima Perfectio.

VNdecima Chriſti perfectio aſſiduum eſt orationis ſtudium, cui noctu, diuque vacabat. Non quia ipſe indigeret oratione, ſed vt orandi exemplũ relinqueret. Si Euangelia recolas, ferè ſemper orantem inuenies. Poſt Baptiſmũ orationi ſe dedit, Luc. 4. & apud Matth. 14. Poſtquã quinque hominum millia mirabiliter ſaturauit. *Aſcendit in montem ſolus orare.* Alibi valdè diluculo poſt multorum ſanationẽ eiectiſq. dæmonijs in deſertum locum oraturus ſeceſſit. Cũ die Sabbathi hominem aridam manum habentem curaſſet: *Exijt in montem orare, & erat pernoctãs in oratione Dei.* Apud Thabor, dum oraret, facta eſt ſpecies eius altera. Luc. 9. Ioan 17. enarrat, qua ratione ad Patrem ſemel, atque iterum pro diſcipulis orauerit. Imminente paſſione adorandum Patrem ſe contulit, vt omnes Euãgeliſtæ commemorãt. In ipſo moriendi articulo ardentiſsimas Patri ſupplicationes obtulit, vt Diuus Paulus ad Hebræos c. 5. affirmat. Tandem qui nobis orationi ſemper incumbere præcepit, dicens: *Oportet ſemper orare & non deficere* Luc. 18. Quid aliud vitam ipſius, quàm orationem continuam exiſtimare debemus? Et reuera, cùm oratio, iuxta S. Ioannis Damaſceni diffinitionem, ſit eleuatio mentis in Deum, Chriſti Redemptoris noſtri mens quocunque ipſe pergeret, vel quolibet in ſtatu illum conſideres, ſemper in Deo eleuata erat, atque adeò in aſſidua oratione verſabatur.

Luc. 4. Matth. 14. Luc. 6. Luc. 9. Ioan. 17. Hebr. 5. Luc. 18.

Verùm quemadmodum ad ſui corporis motum mouetur & vmbra; ſic etiam Franciſcus Chriſti vmbra, eodem motu ad orationis ſtudium ſe vertebat; in qua ita feruentiùs detinebatur, vt omnem ipſius vitam orationem continuam iure optimo appellaueris. Nec quidquam tantùm ſibi cordi erat, quàm orationi ſe dedere. Quapropter, vt ſcribit S. Bonau. cap. 10 Legen. maior. *Orationis gratiam viro Religioſo deſideſiderandam ſuper omnia firmiter aſſerebat: nullumque credens*

D. Bonau. c. 10. legen. maior.

ſine ipſa in Dei proſperari ſeruitio,modis,quibus poterat fratrē ſuos ad eius ſtudium excitabat.Nam ambulans,& ſedens,intus, & foris,laborans, & vacans orationi adeo erat intentus; vt illi videretur non ſolùm quidquid erat in eo cordis & corporis,verū etiam operis, & temporis dedicaſſe. In tanta verò orationis frequentia ingenti adeò animi contentione orabat; vt ſæpè in extaſim raperetur: & quaſi ſentiendi vim interim amitteret,nihil vel etiam arctiſſimè compreſſus ſentiebat S. Bonauent.loco citato verba profero. *Suſpēdebatur,* inquit, *multoties tāto contēplationis exceſſu, vt ſupra ſemetipsū raptus,& vltra humanū ſensū aliquid ſentiēs,quid ageretur ſe circà exteriùs ignorabat.Tranſiēs namq.ſemel per Burgum S.Sepulchri; caſtrū vtique populoſum: pro debilitate corporis ſubuectus aſello:obuiàs habuit turbas, in eum præ deuotione ruentes. Tractus autem, & detentus ab eis: compreſſus quoque, ac multipliciter attrectatus: inſenſibilis videbatur ad omnia; & velut ex anime corpus: de his,quæ fiebant circa ipſum nihil penitùs aduertebat.*

Quanquam verò omnis locus orationi percōmodus viro Dei eſſet,qui vbique in Deum ferebatur: nec ex locorum inquietitudine, & varietate turbationem capiebat, quominus feruentiſſimè oraret. *Mens quidem ipſius* (ait S. Bonau. S. Bonau. vbi ſupra) *in cæleſtibus fixa ſplēdoribus,varietates non ſenſerat locorum, nec temporum, nec occurrentiū perſonarum.* Attamen noctis ſilentium, & locorum ſolitudinem quærebat, Chriſti ſecutus exemplū: qui vt retulimus, noctu orabat, & relictis diſcipulis montiū ſolitudines, & deſerta quærebat orationi vacaturus. Mirum tamen eſt quot dæmonū pugnas horribiles Franciſcus in einſmodi locis ſuſtinuit: quāto conatu nequiſſimi hoſtes,vt ipſum ab oratione auerterent,ſenſibili prælio cum fortiſsimo athleta conflixerūt. At ille orationis clypeo obarmatus, omnia iniquiſſimi tela ignea extinxit: Et quò validiori impetu quatebatur, eò magis fixus, & hærens orationi inſtabat,feruētiùſq.ad Deum preces effūdebat,quouſq. tartarei hoſtes orationis potentia victi recedebant. *Vir autē* S.Bonau. cap.10. *Dei* (ſubdit S.Bonau.) *ſolitarius remanens,& pacatus nemora replebat gemitibus,loca ſpargebat lacbrymis,pectora manu tūdebat; & quaſi occultiùs ſecretarium nactus confabulabatur cum*

Domi-

Domino ſuo. Ibi reſpõdebat Iudici, ibi ſupplicabat Patri, ibi colloquebatur amico, ibi quoque à fratribus ipſũ piè obſeruantibus aliquoties auditus eſt clamoroſis gemitibus apud diuinã pro peccatoribus interpellare clementiã, deplorare etiã alta voce: quaſi coram ſe poſitã Dominicam paſſionẽ. Magni certè faciẽda eſt in viro Dei peccatorũ compaſſio, quę plus ipſũ torquere videbatur, quàm peccatores ſuamet paſsio torquebat: & ideo plus aliena crimina deplorauit, quã alij pro his, quę admiſerãt lacrymas effuderũt. Quemadmodũ de D. Paulo S. Chryſoſt. teſtatur. *Nullus ſiquidem*, ait, *tanto affectu mala propria, quam ille deflebat aliena*. *D. Chryſoſt. hom. 2. de laudibus Pauli.*

Nec in ſolis affectibus hæc S. Franciſci oratio conſiſtebat; ſed plurimi, planè q. admirãdi ex ea affectus naſcebãtur. Mortui reſurgebãt, peccatores conuertebãtur, ægris mẽtibus, & corporibus ſanitas reddebatur. Et vir Dei orãs magnetis, & ſuccini virtutẽ imitabatur: nec aliter aliorũ corpora, & corda ad ſe pertrahebat, quã lapides iſti ferrũ & paleas attrahũt. Senſit hanc virtutẽ Fr. Maſeus, quẽ S. Franciſcus inter orãdum tanto vehemẽtiſsimi ſpiritus calore incendit, vt in aërẽ ſubleuatũ poſt ſe traxerit, & inter brachia detentũ ingẽti adeò mentis dulcedine refecit, quaſi iã Paradiſi delicias prægustauerit, & nũquã aliter toto vitę decurſu ſic ſe affectũ ſẽſiſſe fateretur. Multa alia Franciſci oratio miracula, & prodigia edidit, quorũ narrationi ſuperſedeo. Duo tamen præterire nõ poſſum, quippe orationis ipſius vim, & potẽtiã sũmopere extollũt. Primum: inter leproſos, quorũ curationi vir ſanctus fratres deſtinauerat, quidã prę cęteris vlceroſior, ſanieque & putulẽtia abominãdus aderat, & quod deteſtabilius eſt à dęmone agitatus, nõ ſolũ curatores ſuos improperijs & fuſtibus onerabat, ſed etiam lethali rabie concitus Chriſto, B. Virgini, & Sãctis blaſphemias frequẽtiſsimè inferebat. Quòd cum Fratres B. Frãciſco retuliſsẽt, ille leproſũ inuiſit, blãdè q. allocutus, ait: *Deus det tibi pacẽ frater chariſſime*. Cui leproſus reſpondit; Et qualis inter tot vlcera & dolores pax mihi erit? Hortatur vir Dei, vt æquanimiter ferat & patienter, & ſi quod obſequium à ſe impendi cupiat, eloquatur, quia totum ſe libẽtiſsimè præſtiturum pollicetur. *Piſan. conform. 8. l. 1 tract. de Fr. Maſeo.*

Interim

Interim diuino afflatus ſpiritu, miſerum homuntionem à Dæmone agitatum agnouit, & ad orandum pro eo ad Deũ ſe contulit. Peracta oratione regrediens,cum leproſus fætorem exhalans intolerabilem à S.Franciſco lauari expoſceret. Annuit S. Pater: Et portata calida herbis odorata proprijs manibus purulentum, & ſanie vndique ebulliente deteſtabilem lauare cæpit. Mirum dictu: vbi primum corpus contigit, lepra Sancti Franciſci manus reuerita fugiebat. Interim tamen dum corpus manuum tactu mundabatur exterius, anima compunctionis dolore interius percuſſa ſanitatem recipiebat. Totus in lachrymas,& ſuſpiria leproſus abibat. Et dum Franciſcus aquam infundens corpus lauando ſanabat, ille animæ maculas illachrymando abluebat. Itaque lotus,& ſanus corpore pariter, & animo euaſit. Sed peracta corporis lotione, animam fletibus lauare non deſtitit. Nam per quindecim dies vberrimo lachrymarum profluuio ſuffuſus iniurias fratribus illatas, & blaſphemias in Deum, & Sanctos deplorabat, diuinamque miſericordiam precabatur, quam vt certius obtineret, peccata in confeſſione depoſuit, exhomologeſimque ſuſcepit. De quo certior Franciſcus gratias Deo egit; ſed crebreſcente miraculi fama, gloriæ fugitans inde receſſit. At verò leproſus non multos poſt dies, alia correptus infirmitate fæliciter obijt, & orante S. Franciſco in aëre ſubleuatus, & ſole ſpecioſior ipſi apparuit, dicens; Ergo ſum leproſus ille, quem Chriſtus Dominus te promerente ſanauit. Nunc ad Regnum Cæleſte perducor: pro quo, & Deo, & tibi gratias ago: Et inſuper verba addidit memoratu digniſſima, quæ rem hanc plane ſtabiliunt, prout ex legenda antiqua ab authore conformit.lib.2. fruct.5.referuntur. *Benedicta ſit anima, & corpus tuum, benedicta ſint verba, & opera tua; quia per te multæ animæ ſaluabuntur in Mundo. Et ſcias quia non eſt dies in Mundo, in quo Sancti Angeli, & Sancti, & ſanctæ Dei non referant magnam gratiam Deo de Sanctis fructibus, qui per te, & per tuum Ordinem vndique patrantur per orbem.* Quibus dictis abſceſſit, & Franciſcus incredibile

Author. conf.lib.2. fruct. 5.

dibile tali viſione, & allocutione ſolatium accepit.

Secundum prodigium orationis potentiam manifeſtans Fratri Eliæ ſecundo Seraphici Ordinis Generali Miniſtro accidit. Cùm enim Deus Beato Franciſco reuelaret, Eliam damnandum eſſe, & Religionem per apoſtaſiam deſerturum. Vir Dei hoc agnito, ipſum euitare cœpit, itaut nec colloquio, nec aſpectu dignaretur, & menſam, & viam, in qua Elias comedebat, quamque ambulando tenebat, ſedulò declinabat. Quod aduertens Elias S. Franciſcum querulosus interrogauit. Cur ita ipſum effugeret? Cui vir Dei reſpondit: quia damnatus es, & à Religione futurus apoſtata. Tunc Elias in lachrymas erumpens ad Sancti Franciſci pedes prouolutus hæc proferebat: *Pro me quæſo oue tua Dominum deprecare. Tantum enim tuis orationibus fido, vt quamuis in profundo inferni eſſem, te apud Dominum pro me preces effundente, pœnarum leuamen aliquod haberem. Quapropter Deum ora pro me. Nouit enim Dominus mutare ſententiam, ſi hominem delicti pœniteat, & correctionis diſciplinam ſuſcipiat.* His auditis, S. Franciſcus Eliæ miſertus, & compaſſione commotus, totum ſe contulit ad orandum Deum, à quo in oratione obtinuit, ne Elias damnaretur: Et ipſum vocans certiorem fecit, quod Deus ſententiam damnationis mutauerat: proindeque iam non damnandus, quamquam Religionem deſerturus eſſet. Rei veritatem exitus docuit: Nam Elias à Gregorio Nono Generalatu abdicatus Federici Imperatoris partes ſecutus eſt. Propter quod ſummus Pontifex habitu ſpoliauit, & à Religione eiecit. Dum autem ab Ordine eiectus Cortonæ moraretur, in morbum incidit, & fratris vterini, & etiam Monachi ſuaſionibus, præcipuè verò Dei impulſu literas ad Pontificem remiſit, in quibus veniam, & abſolutionem poſtulauit. Chriſti Vicarius inſpecta Eliæ pœnitentia, beneficium abſolutionis impendit, habitumque reſtitui præcepit. Verùm quia morabatur Cortonam regredi, qui abſolutionis, & reſtitutionis beneficium deferebat, & morbus augebatur, moriendique periculum imminebat, Bencius Archipresby-

Acta cōf. li.2. pract. 11. p. 2.

ter

Annal. minor. Anno Christi 1253. n. 30. ter Cortonenſis inſtante Bono Abbate de Ciglalo, coram quinque Sacerdotibus debitas adhibens cautiones, Eliam à cenſuris Eccleſiaſticis abſoluit, & Eccleſiæ reſtituit. Reconciliatione peracta Eccleſiæ Sacramenta ſuſcepit Elias, ac inter gemitus,& ſuſpiria pænitens è præſenti vita diſceſſit, æternam conſequuturus; Quod Sancti Franciſci orationi attribuendum eſt. Et verò nullibi magis, quàm in hoc Eliæ exitu orationis B. Franciſci potentia manifeſtatur: cũ ipſo orante Deus immutabile prædeſtinationis decretum mutaſſe videatur; Et quem cum impijs diſcruciandum reiecerat ad ſiniſtram, poſtmodum cum Beatis in Regno coronandum in dextera collocauit. Nec mutabilitatis damnandus, qui præuiſa S. Franciſci oratione, & futura Eliæ pœnitentia,totum negotium ſub ea conditione diſpoſuerat. Et hæc pro exaggeranda S. Franciſci orationis potentia ſint ſatis.

Duodecima Chriſti perfectio.

Rom. 5. DVodecimam Chriſti Perfectionem excellentiſſima ipſius charitas complet, quam vt D. Paulus Rom. 5. ſcripſit, tanquam aliarum perfectionum coronam apud nos amplius commendabilem, ſeù illuſtriorem fieri præoptauit. *Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Nec aliud eſt, *commendat*, quam nobilitat, & illuſtrat: Et vero non poterat non charitas dici nobiliſſima, quam idem Apoſtolus ad Epheſ. 2. nimiam dicere non dubitauit. *Propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos*. Excellit autem alia dona charitatis perfectio, quòd ſola ipſa nobiliſſimæ epitheto decoretur, eoquod Deum ad amorem noſtrum tantum adegit, vt omnem diligendi menſuram, ſiuè modum exceſſerit: proindeque nimius in amando compar- Ephes. 2. uerit. Tanti verò fecit hanc ſuæ charitatis prærogatiuam, vt D. Ioan. Apocalypſ. 1. inter Chriſti titulos ſuæ Maieſtatis

tis indices illam inſeruerit, dicens: *à Ieſu Chriſto, qui eſt teſtis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps Regum terræ, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Hæc Chriſti charitas, vt D. Paulus Corinthijs ſcripſit, omnes nos vrget, hoc eſt, ad redamandum conſtringit, & quaſi per ſummam vim amorem noſtrum extorquet. Apoc. 1. 2. Cor. c. 5.

Neminem tamen amplius vrſit; & fortiùs conſtrinxit, quàm B. Franciſcum, cuius erga Chriſtum charitas, vt ipſi amoris talionem redderet, etiam nimia dici poterat. Et re vera vt talem depinxit S Bonauentura cap. 9. Legendæ maioris. *Charitatem feruentem, qua ſponſi amicus Franciſcus ardebat, quis enarrare ſufficiat? Totus nanque quaſi carbo ignitus diuini amoris Domini excitabatur, afficiebatur, inflammabatur: quaſi plectro vocis extrinſecæ chorda cordis interior tangeretur.* Mirum planè eſt, vt quis audito ignis nomine inflammetur, & ardeat: quamuis nec videat ignē, nec flāmas cominus ſentiat. Hoc verò prodigium admiranda Franciſci charitas edere cōſueuerat. quia & ſi corporeis à Chriſto ſpatijs longiſſimè diſtaret, quia tamen amore in ipſum propinquiùs ferebatur, & ipſum amando ad ſe pertrahebat: vbi primū vox amoris aures perculerat, cordis intima penetrabat, & totum ardentiſſimo charitatis incendio comburebat. Atque adeo per miram amoris artem totus in ignem erat immutatus. Pulcherrimè hanc charitatis excellentiam deſcribit citato loco S. Bonauēt. *Chriſtus Ieſus crucifixus intra ſuæ mentis vbera, vt myhrræ faſciculus iugiter morabatur, in quem optabat per exceſſiui amoris incendium totaliter transformari. Prærogatiua quoque peculiaris deuotionis ad ipſum ab Epiphaniæ feſto vſq: ad continuos quadraginta dies, eo ſcilicet tempore, quo Chriſtus latuit in deſerto ad ſolitudinis loca declinās, cellaq; recluſus, quāta poterat arctitudine cibi, & potus ieiunijs, & orationibus, & laudibus Dei ſine intermiſſione vacabat. Tā feruido quidē in Chriſtū ferebatur affectu: ſed & dilectus illi tā familiarē repēdebat amorē, vt videretur ipſi famulo Dei, quaſi iugē præ oculis ipſius Saluatoris ſētire præſētiā: ſicut aliquādo ſocijs familiariter reuelauit.* Hęc ille. Nec ſatis habuit S. Franciſcus, vt S. Bonau.

charitatis flamma in corde accenderetur: niſi etiam ita ſuc-cenſus vitam corporis immolaret pro Chriſto, qui iam vitam cordis, hoc eſt amorem illi obtulerat. Nàm vt perbelle vetus habet acroama: *Amor eſt vita cordis, quemadmodum cor eſt vita hominis.* Iterum S. Bonauentura: *Deſiderabat propterea, & ipſe illa perfecta charitate ſuccenſus, quæ foras mittit timorem, per martyrij flammam hoſtiam Domino ſe offerre viuentem, & vt vicem Chriſto pro nobis moriente rependeret et ad Diuinum amorem cæteros prouocaret.* Hæc charitatis ſumma perfectio, in qua Franciſcus plus (credo) quàm in alijs donis hactenus recenſitis Chriſti ſimilitudinem expreſſit. Eſt enim amoris prærogatiua, vt ſimiles faciat, quos igne ſuo feliciter incendit.

S. Bonau.

§. QVARTVM.

In Sancti Franciſci magiſterio, ſchola, diſcipulatu, quædam in his omnibus Chriſti Præceptoris imago cernebatur.

MVltiformiter Chriſti ſimilitudine B. Franciſcus reliquos vitæ ſanctimonia præſtantes viros excelluit. Quoniam non tantum natiuitate, & viuendi forma, ſed etiã ſchola, & diſcipulorum numero diuino præceptori ſimilem ſe præbuit. Duodecim ad Sacrum Collegium Chriſtus Dominus acceſſiuit, quorum numerus iam antea in ſacris literis multimodè præſignatus deprehenditur. In primis duodecim filij Iacob Gen. 49. Iſraelitici Populi genitores, duodecim Apoſtolos ſignificarunt, qui doctrina Euangelica Chriſtianum Populum generarunt, vt Paulus dicebat: *Nam per Euangelium ego vos genui.* Duodecim aquarum fontes apud Helim ab itinerante Populo reperti. Exod. 15. futuros totidem Apoſtolos præmonſtrabant; qui gratiæ aquis orbem erant irrigaturi. Inter filios Iſrael duodecim Principes electi, & totius populi capita recẽſentur, Numerorũ 17. in quibus duodecim Apoſtoli Chriſtianæ gentis principes notabantur. Pro terra promiſſionis exploranda numerorum 14. duode-

Genes. 49.

1. Corint. 4

Exod. 15

Num. 17

Num. 14.

duodecim electi memorantur, qui numerus duodecim Apoſtolorum index fuit: quippe qui totũ Orbem explorarũt, vt homines in veram promiſsionis Terram, hoc eſt æternam beatitudinem perducerent. Populo Iſraelitico Iordanem; tranſeunte, duodecim in monumentum lapides eriguntur, Ioſue 4. & totidem Apoſtolos lapides firmiſſimos Chriſtus elegit, vt ſuper eos Eccleſiæ fundamenta conſtitueret. Tertio Reg. 7. mare æneum duodecim boues ſuſtentabant, hi etiam Apoſtolos ſignificabant, qui doctrinam Euangelicam mari perſimilem patientia ſuſtentarunt. In throno Salomonis duodecim leunculi per totidem gradus diſpoſiti viſebantur: Chriſti thronum iure optimo dixeris ipſius Eccleſiam, in qua Apoſtoli leonum inſtar conſiſtentes admiranda fidelibus exempla fortitudinis præbuerunt; Numer. 7. Incenſum placationis duodecim acetabulis argenteis offerebatur. Et ſanè Apoſtoli hoc numero præoſtenſi orationũ ſuarum incenſo odoratiſſimo Deum nobis placabilem reddiderunt. Et ideo D. Paulus dicebat. *Non ceſſo quotidie gratias agens, & memoriam veſtri faciens in orationibus meis.* Diem horis duodecim partitum agnouimus apud Io. c. 11. Chriſti autem fides clariſsima dies eſt, nullis errorum tenebris obſcurata. Hanc Apoſtoli duodecim horis, ideſt articulis diuiſerunt. Quid plura? cæleſtis Hieruſalem fundamenta duodecim lapidibus eriguntur, duodecimq. ibi pontes extructi erant Apocal. 21. In pectore ſummi Sacerdotis duodecim lapides pretioſi radiabãt. Nec dubium eſt, quod duodenarius iſte præfatis locis, & alibi ſæpè in ſcriptura appoſitus duodenarium diſcipulorum numerum præoſtendit, quos Chriſtus Dominus præ alijs elegit, & Apoſtolos nominauit.

Ioſue. 4. *3. Reg. 7.* *2. Paral. 9* *Numer. 7* *Epheſ. 1. 16.* *Ioann. 11.* *Apoc. 21.*

Quemadmodum verò Chriſtus Euangelicę doctrinæ magiſterium a duodeno diſcipulorum numero fuit auſpicatus, & hos primum ſibi indiuiduos in comitatu habere voluit: ſic etiam B. Franciſcum vitæ Euangelicæ ſectatorem duodenario diſcipulorum, & ſociorum numero ſibi ſimilem eſſe decreuit; vt qui vita, & doctrina Redemptoris imaginem præ-

ferebat, diſcipulos quoque & numero, & virtutibus ſimiles obtineret, ſicut ſingulos recenſendo apparebit. Deinde ſicut in Chriſti Collegio vnus extitit Iudas Magiſtri proditor, qui laqueo ſe ſuſpendit, cuiuſque locum iactis ſortibus S. Matthias occupauit: ſic inter ſocios S. Franciſci vnus reperitur, qui abiurata Seraphici protectoris doctrina, ad ſæculum ſe tranſtulit: *Ioannes de Capella* dicebatur, & ibi lepra infectus, cùm morbi acerbitatem ſuſtinere nõ poſſet, laqueo mortem ſibi peperit. Et pro eo Fr. Gulielmus Anglicus magnarum virtutum ornamentis, vir clariſsimus, vndecim B. Franciſci diſcipulis annumeratus reperitur.

Iam verò Chriſti Apoſtolos vitę ſanctitate, miraculorumque ſplendore omnes alios anteceſsiſſe quis neget? Hoc pro modulo ſuo aliorum comparatione primi S. Franciſci ſocij, ac diſcipuli habuerunt. Non auſim clariſsimis Apoſtolorum ſolibus, ſeu fulgentiſſimis ſyderibus, quibus Chriſti Sponſæ corona fabricatur, quemquam reddere paralellum. Quis enim Petro Chriſti Vicario, aut dilectiſsimo Ioanni alterius lucem ſplendoremque opponere præſumet? Tantum nanque horum virtutum fulgor alios hebetat, & obtundit, quantùm ſtellas Luna minores, quantumque alios præmit Heſperus ignis. Veruntamen Primi Franciſci ſocij licèt Apoſtolis minora ſydera extiterint: Quemadmodum nunc ſicut ſtellę fulgent in perpetuas æternitates, ſic dum vitam mortalem agerent, Eccleſiæ cælum ſapientiæ diuinæ virtutum, miraculorumque fulgoribus illuſtrarunt.

Primus S. Franciſci ſocius, Fr. Bernardus de quinta valle Scripturarum ſcientia mirificè fuit illuſtratus. Secundus Fr. Aegidius, qui velut alter Paulus tertium Cælum penetrauit. Tertius Philippus longus, cui Angelus, ſicut Iſaiæ contigit, calculo ignito labia contingens, virtutem, & loquendi gratiã tribuit. Quartus Syluester ad Dei familiaritatẽ vſque adeò euectus, vt cũ Deo velut alter Moyſes ore ad os loqueretur. Quintus Ruffinus, quem adhuc in terris agentẽ tanquã Sanctorum numero iam adſcriptum ob ſanctitatis præſtantiã venerabantur. Sextus Petrus Cathanij, quẽ B. Franciſcus ſuum

in

in Generalatu Vicariũ cõſtituit. Vnde magnarũ virtutũ dotibus clarum exiſtimo. Nec enim ſine myſterio Franciſcus Chriſti imago Vicarium pro ſe Ordini daturus, Petrum deſignauit; Quemadmodũ Chriſtus Eccleſię ſuę Petrum Vicariũ inſtituit, & virtutibus tãto muneri neceſſarijs illuſtrauit. Atque adeò Petrus Franciſci vicarius ſicut nomine ſuo, ſic etiã virtute Petrum Chriſti vicarium nõ mediocriter retulit. Septimus Fr. Leo Prophetico ſpiritu inſignitus. Octauus Fr. Maſeus humilitatis virtute ad ſtuporẽ illuſtris. Nonus, Fr. Moricus Eremiticę abſtinẽtię ſectator eximius. Decimus Fr. Barbarus. Vndecimus Ioãnes de S. Conſtantino, vterque ſocijs, & condiſcipulis, ac virtutibus nõ inferior. Neque enim è tãti Magiſtri ſchola quiſquã prodire potuit, qui donis cæleſtibus, clariſſimarumq. virtutum ornamentis decoratus nõ exiſteret. Hęc nomina diſcipulorũ S. Franciſci, hæ virtutes, ſeu potius virtutum vmbrę rudi penicillo, & præcipitãter ductę, quantùm breuitas à nobis hìc affectata ſuadet: Et quantum æui illius iniuria licuit, quòd tot clariſſimorũ virorũ virtutes ſilentio inuoluit, nec ad poſteros imitandas tranſmiſit.

Duodecim numeratos præ cæteris S. Franciſcus elegit, & licèt plures alios habuerit diſcipulos, vitęq. ipſius ſectatores, hos tamẽ pluſquã alios dilexit, & indiuiduos ſibi in comitatu adiũxit, dupliciq. ſpiritus ſui pallio cooperuit, Chriſti ſecutus exemplar, qui licet plures doctrinę ſuę lacte educauerit: duodecim tamẽ, quos Apoſtolorũ nomine inſigniuit, arctiori ſibi ſocietate copulauit, & maiora in eos S. Spiritus dona cõiecit: Vnde ipſi & ſanctitate, & miraculorum operatione præ cæteris claruerunt, ſuique præceptoris vitam, & doctrinam maiori conatu fuerũt æmulati. Atque adeo inueteratum ſceleribus Mundum, & penè deficientem, virtutum, & gratiæ robore, ac iuuentute renouauerunt: Sic Beati Franciſci duodecim priores alumni tam in vita, quàm in morte virtutum, ac miraculorum claritate inſignes extiterunt, pœnitentiæ exercitio, vitæque Euangelicæ æmulatione ad priſtinos ſuæ iuuentutis Annos reduxerunt. Et Regulam Euangelicam, quam Beatiſsimus Pater à

Chriſto

Chriſto acceperat. ipſiſque tradiderat amplectendum, ſtudioſius obſeruarunt, paternæ virtutis, vt æque Euangelicę æmulatores fieri toto animorum nixu procurantes.

Quod autem S. Franciſci Regula dictante Chriſto fuerit accepta, deque ipſius Euangelij ſubſtantia expreſſa efluxerit, indubitatum mihi eſt. Cùm enim Regulam condere decreuiſſet, Sacerdotem requiſiuit à quo ter aperiri Euangelij libellum poſtulauit, ſeu vt S. Bonauentura opinatur, idem
S.Bonau. c.3. legen. maior. Sanctus aperuit. *Franciſcus*, inquit, *ter Euangeliorum librum aperuit, trino expoſcens à Deo teſtimonio ſanctum propoſitum confirmari:* In prima apertione apparuerunt illa verba,
Matth.19 num.21. *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quę habes, & da pauperibus.* In ſecunda:
Marc.6.8 *Nihil tuleritis in via.* In tertia:
Matth.15 num.24. *Qui vult venire poſt me abneget ſemetipſum tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Vnde S. Franciſci Regulam de Euangelij medulla compactam arbitrari fas eſt. Quinimo à Chriſto conditam, & ipſius digito in Franciſci corde ſcriptam S. Brigitta lib.7. Reuelationum accepiſſe teſtatur. *Iſtius Franciſci Regula* (verba Chriſti ſunt Brigittam alloquentis) *quam ipſe incepit, non fuit dictata, & compoſita ab ipſius humano intellectu, & prudentia, ſed à me ſecundùm voluntatem meam. Quodlibet enim verbum quod in ea ſcriptum eſt, à ſpiritu meo fuit ſibi aſpiratum, & poſtea ipſe alijs regulam illam protulit, & porrexit.* Luculentum planè teſtimonium vt Seraphicam Regulam à Chriſto conditam arbitremur. Præſertim quia S. Brigittæ reuelationibus, vnde illud extraximus, Greg. IX. Nicol. III. & IV. Clemens V. & Iulius II. Romani Pontifices aſſenſerunt.

Celebre etiam eſt mutuum Chriſti, & Franciſci colloquium, quo audito nemo ambiget Dominum Ieſum Regulæ conditorem extitiſſe. Igitur Frater Helias Miniſtris, qui tunc erant, comitantibus Seraphicum parentem conuenit, & ab eis quid vellent ſciſcitatus, reſpondit Helias: Hi audientes, quod facis nouam Regulam, ad cuius rigorem expaueſcentes, eam vt nimis rigoroſam obſeruare, nec velle, nec poſſe obteſtantur. Tum S. Franciſcus vultum ad cælum

erecto Chriſtum alloqui cępit in hunc modum: *Domine, nonne benę dixi tibi, quòd ipſi non crederent mihi?* Et ſubitò Chriſti vox circumſtantibus audita è cælo intonuit. *Franciſce nihil eſt in Regula de tuo, ſed totum eſt meum quicquid ibi eſt: Et volo quòd Regula ſic ſeruetur ad literam, ad literam, ad literam, ſine gloſa, ſine gloſa, ſine gloſa.* Et inſuper addidit. *Ego ſcio quantùm poteſt humana fragilitas, & quantum volo eos iuuare, qui ergo nolunt eam ſeruare, exeant de Ordine.* Tunc Beatus Franciſcus ad circumſtantes ſe conuertens hęc protulit: *Audiſtis, Audiſtis, Audiſtis; vultis, quod iterum faciam vobis dici?* Nihil ſanè clariùs pro ſtatuendo Regulæ Authore proferendum ſupereſt. Et verò S. Franciſcus in ea condenda, tenore verborum ſemper inuariato vtens, non ſe, ſed Chriſtum ipſius authorem profitebatur. Ter enim Regulam condidit. Primam vt nimis rigoroſam Helias diſcerpſit. Secundam caſus abſtulit. Tertiam, quam nunc habemus à Summis Pontificibus confirmatam: In omnibus tamen eadem ſemper verba adhibuit. Piſ. lib. 1. conform. 9 part. 2.

Eſt autem hoc in loco ponderandum; quod accidit dum Innocentius III. oblatam ſibi à Sancto Franciſco Regulam confirmauit. Nam cùm antea maioris momenti cogitationibus detentus ad viri ſancti petitionem non attenderit ſed inſuper vt pauperē, & ignotum indignanter repulerit. Viſione tamen admonitus die ſequenti Franciſcum conquiri præcepit. Inuentus ad Chriſti Vicarium adducitur, à quo benignè exceptus, & viri Dei ſimplicis animi puritatem, ac in propoſito ſuo conſtantiam demiratus, Regulam confirmare decreuit. Executionem nihilominus diſtulit, quia nonnullis Cardinalibus nimis ardua, & ſupra humanarum virium ſpheram poſita videbatur. *Aderat autem,* inquit S. Bonauentura, *inter Cardinales vir venerandus Dominus Ioannes de S. Paulo Epiſcopus Sabinenſis omnis ſanctitatis amator; & auditor pauperum Chriſti; Qui diuino ſpiritu inſlammatus ſummo Pontifici dixit, & fratribus ſuis: ſi petitionem pauperis huius, tanquam nimis arduam, nouamq. refellimus, cùm petat confirmari ſibi formam Euangelicæ vitę,* D. Bonau. c. 3. legen. maior.

cauen-

cauendum eſt nobis, nè in Chriſti Euangelium offendamus, ſi quis intra Euangelicæ perfectionis obſeruantiam, & votum ipſius dicat contineri aliquid nouum, aut irrationabile, vel impoſſibile ad obſeruandum, contra Chriſtum Euangelij authorem, blaſphemare conuincitur. Hæc purpuratus ille pater, verè, & Chriſtiane: quibus Pontifex perſuaſus, & oſtenſa Franciſci oratione Dei voluntate, Regulam cōfirmauit, pariterque agnouit in viro Dei, & ſocijs eius adimplendum, quod paulò ante in viſione perceperat. Vt enim retulit Lateranenſem Eccleſiam iam iam lapſuram, cadentiq. ſimilem in ſomnijs aſpexit; cui pauperculus homo, nimiſque deſpectus humeros ſupponebat, & nè laberetur ſuſtentabat: aperto planè indicio, quòd Franciſcus vnà cum ſocijs, non materialem, ſed formalem Chriſti Eccleſiā Euangelicę ſuę profeſsionis Regula, Chriſto dictante, ſibi tradita ſuſtentaturus eſſet: & Apoſtolorum inſtar, ſua, ſuorumque prædicatione ſeneſcentem renouaturus.

Et verò Chriſtus Dominus ob tale obſequium ſibi à Franciſco, eiuſque ſodalitio impendendum, toto Collegio Franciſcano, in quo ſui quondam Apoſtolici Collegij imaginem intuebatur, largam, & ſupereffluentem benedictionem impertiuit. Raptus aliquando, & transfiguratus cum ſodalibus Franciſcus, vt refert Piſanus lib. 2. fruct. 3. ſingulis præcepit, vt aliquid de Deo proferrent, prout cuique à ſancto Spiritu eloqui daretur. Cùm verò viri Dei mandato obtemperantes loquerentur: Dominus Ieſus ſpecioſiſſimi adoleſcentis imaginem repreſentās, in medio eorum, ſicut olim in medio Apoſtolorum ſtetit; tantaque dulcedine ſingulos benedixit, vt cùm eam ſuſtinere non poſſent (quod cæleleſtem ſentientibus delectationem, accidere ſolet) in eſtaſi conſtituti, & nihil penitus ſentientes in terram conciderint. En Franciſcum Chriſto ſimilem, eius ſocios Apoſtolis ſimiles, vtriuſque magiſterium, diſcipulatum, legem, doctrinam, ſimilitudine pariter certantem oſtendimus. Nec ob id cauillis ſubijciemur: nam in Franciſco Chriſtus, ipſius Apoſtoli in Franciſci ſodalibus (ſi ita fas eſt loqui) iterum regreſſi

Piſanus.

greſſi ſunt ad Mundum prædicatione renouandum: & doctrina Franciſci, ac ipſius Regula de Euangelij ſubſtantia, Chriſto dictante fuit expreſſa, quam proinde diuino ſuadente oraculo Chriſti Vicarius approbauit.

§. QVINTVM.

Sanctus Franciſcus ad Chriſti æmulationem admirandum in mari ſe præbuit: ipſiuſque Transfiguratio Saluatoris Transfigurationem in pluri- mis repreſentauit.

ADmirabilis Dei potentia nullibi clarius quam in Sanctis ſuis irradiat. Et Dominus Ieſus erga dilectos ſibi Apoſtolos ſumma vtens benignitate vltrà menſuram admirandus apparuit. Quoniam nonnullis virtutem contulit, vt maiora poſſent miracula, & prodigia edere, quam ipſe vnquam ediderat, ſicuti apud Ioannem cap. 14. nu. 12. *Ioan.* euenturum promiſerat. *Opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet.* Pollitici fidem expertus eſt Sanctus Petrus, qui vt Actorum 5. num. 15. memoratur, infirmos vmbra ſanabat, quod Chriſtum peregiſſe non accepimus. *Act. 5.* Quinimò ſingularem alijs ſanctis virtutem prodigiorum operatricem indulſit. Atque adeo Sanctus Hilarion mari terminum præfixit: Sanctus Honoratus lapidem fecit medio in aere libratum, ac ſuſpenſum conſiſtere. Martinus teſte Gregorio, lapidem ſaltus edere mirabiliter effecit. Et Sanctus Benedictus ligatum hominem ſolo intuitu à vinculis liberauit. Neque hi tantum, ſed alij quibus præ nimio in ipſos amore, talem virtutem impertiuit, inaudita miracula, & prodigia ediderunt. Nulli tamen largius prodigioſam operandi virtutem contulit, quàm Franciſco: Cùm enim ſuam in illo imaginem

reddere ſtatuiſſet; omnibus admirandæ virtutis donatione antetulit. Vndè omnes ferè creatura ipſi obtemperabant: Et quod plus eſt, ſicuti cum Ioſue factum, Creator voci creaturæ obediebat. Ideoque Sanctus Bonauentura cap. 5. maioris Legendæ non immeritò dixit. *Non ſolùm creatura ſeruo Dei ſeruiebat ad nutum, ſed & Creatoris vbique prouidentia condeſcendebat ad placitum.*

Cæterum nuſquam ad Franciſci nutum creaturæ obedientia promptior extitit; quàm in mari. Licèt enim fides ei ſit infamis, & ſpontè ſuæ motibus agitetur, nec ita facilè intumeſcens conquieſcat: Nihilominus viri Dei potentia tranquillum redijt, & paccatum, quouſque orationem, & prædicationem Franciſcus abſolueret.

S. Bonau. Caietæ res accidit, vt Sanctus Bonauentura capite 12. maioris Legendæ commemorant, è cuius narratione nihil detrahere libuit. *Alio quoque tempore*, inquit, *cum famulus Dei Caietæ ſemel prædicaret in littore maris turbis præ deuotione ruentibus, vt eum contingerent: horrens Chriſti ſeruus tantùm populorum applauſum in vnam hærentem littori nauiculam proſiluit ſolus. Illa verò tanquam ſi rationis particeps motore moueretur intrinſeco, ſine aliquo remige, cernentibus, & mirantibus cunctis, ſe longiùs à terra potraxit. Cùm autem aliquanto ſpatio in maris altitudinem ſeceſsiſſet, ſtetit inter fluctus immobilis, quandiu vir ſanctus turbis expectantibus in littore prædicauit. Cùmque audito ſermone, & viſo miraculo, ac benedictione accepta multitudo recederet, nè ipſum amplius moleſtaret: nauicula proprio ductu ad terram reuerſa eſt.* Hactenùs ille.

Vidiſti maris obedientiam, & fluctuum pro Dei ſeruo famulatum? Cerne qua ratione in hoc miraculo ſimilis Luc. 5. Chriſto apparuerit: & recole quæ Sanctus Lucas cap. 5. refert. *Stabat Ieſus ſecùs ſtagnum Geneſareth*, (quod non ſemel in Euangelio mare dicitur) & turbis vndique irruentibus circunfuſus, nè ab ipſis premeretur in vnam nauim aſcendit, quæ erat Simonis, *Rogauit eum à terra reducere puſillum, & ſedens docebat de nauicula turbas*

bat. Nec dubium eſt, quòd prædicante Chriſto nauicula immobilis conſtiterit, nè crebra fluctuum iactatione prædicationem interturbaret. Iam ad Franciſcum regredere, & tibi ob oculos propone, quod ſicut Ieſus, vt turbam vndique prementem, & eius plauſum effugeret nauiculam conſcendit; paululumque à terra ſeiunctus conſtitit: Ita Franciſcus ob eandem rationem ad cymbam confugit, eaque ſine remigio à terra decedente aliquantum à litore diſtans ſe tenuit. Stabat apud Geneſareth Chriſti nauis: ſtabat apud Caietam Franciſci etiam nauis, vtraque prædicatorem ſuum continebat. Geneſarethana Chriſtum, Caietana Franciſcum, illa Redemptorem, hæc Redemptoris ſimulacrum. Vbique turbæ plaudentes auditura, & infirmitatum remedium, quia de vtroque virtus exibat, & ſanabat omnes, quæſituræ concurrebant: vbique prædicatores plauſum fugituri enauigant: Subſtratum mare vbique famulatum exhibet, vbique fluctus componit, vbique tranquillum, & ſerenum ſe exhibet. Nec mirum, quia apud Geneſareth Creatorem ſuum, cui famulari debebat, agnouit: apud Caietam Franciſcum ſui Creatoris imaginem conſpexit. Et ſicut prædicante Creatore quieuerat; cùm tamen illic vt plurimum agitari ſolitum eſſet. Sic dum Creatoris imago Franciſcus prædicaret, immobile ſtetit & pacatum. Finita prædicatione Chriſtus in altum ſeccedit à terraque ſeparatur, dicens Petro: *Duc in altum*. Franciſcus ad terram regreditur: Chriſtus poſt miraculi operationem terram deſerit, & altum diuinæ celſitudinis repetit, quia periculum non imminet, vt inanis gloriæ prurigine titilletur. At verò Franciſcus in ea celſitudine conſtitutus maris obſequium cernens, quia purus homo erat, inani gloria extolli poterat: & qui maris fluctus ſubiecerat, iactantiæ flatibus inaniter elatus ab ea altitudine corrueret. Ideo ad terram retrahitur; vt qui in mari quaſi Deum fluctibus imperantem ſe ſenſit, in terra conſtitutus hominem ſe agnoſcat: Et elementi obedientiam,

turbarum plauſum, miraculorum virtutem ad Chriſtum referat, qui tot donis, & prodigijs ſeruum ſuum cæteris clariorem reddere ſtatuerat.

Iam ad transfigurationem accedo, in qua multipliciter B. Franciſcum in oratione immutatum, admirabili ſplendore circumfuſum, in aëre ſuſpenſum, & cum alijs dulciſſimè colloquentem accipio. Nec verò S. Franciſci transfigurationes, quas referam, Chriſti transfigurationi apud Thabor omnino ſimiles extiterunt. Id enim opinari, fatuum eſt, & monumentis prodere temerarium foret. Quia Chriſtus in transfiguratione glorioſus apparuit: Et ſicut ob vnionem ad Verbum, ipſius anima Dei viſione fruebatur, & beata erat; ſic pro illo tempore dotes aliquas corpori communicauit. Hunc autem ſe transfigurandi modum ſolus Chriſtus propter viſionem beatificam animæ habere potuit. Quantùm tamen homini puro congruum erat S. Franciſcum multimodis transfigurationibus immutari conceſſit, vt non ſemel transfigurationis ipſius imaginem aliqualiter referret. Tres inter alias memoratu digniores recenſebo:

Prima ſit, quam ex maiori Legenda in 4. part. tranſtulit, & illuſtrauit Piſanus lib. 2. Conformit. 3. fruct. 3. Profectus vir Dei in Aſſiſium, vt ibi prædicaret nocte ingruente à ſocijs diſtractus in hortum Canonicorum ſeceſsit, ibique media fermè noctis hora in oratione pernoctabat. Cùm ſubito igneo curru incredibili ſplendore circunfuſus, & globo etiam igneo Solis claritatem referente quaſi incedens, domum S. Mariæ fuit ingreſſus, quam ter reflexu curru perluſtrauit: Interim eiaculatus ab igne ſplendor tenebras effugauit, & noctem immutauit in diem. Quidam orationi, ſomno alij indulgebant vigiles ſtupor inſolitus occupauit: dormientes currus circumactio, & repentinus claritatis appulſus excitauit; vtriſque aperiuntur oculi, & Patrem corpore abſentem ſpirituali effigie transfiguratum, admirandiſque fulgoribus radiantem, & diuinæ charitatis ardoribus inflammatum globo igneo impoſitum, & Solis inſtar plendentem aſpiciunt. Quin etiam è claritatis repercuſſu exteriùs, interiùſque

Piſan.

riuſque illuſtrati quidquid in cuiuſque corde latebat, palàm agnouerunt.

Iam verò Chriſti apud Thabor transfigurationis circunſtantias recolo; vt quantum S. Franciſcus in hac transfiguratione illius ſimilitudinem retulerit, agnoſcamus. Igitur, vt ait S. Lucas cap. 9. *Aſcendit Chriſtus in montem vt oraret: & facta eſt dum oraret ſpecies vultus eius altera, & veſtitus eius albus, & refulgens.* Luc. Franciſcus ad orandum ſe contulit in hortum, & dum oraret immutatus eſt, & Solem corporis, & oris ſplendore retulit, curruque igneo euectus in aërem, fratribus fulgore admirabili circumfuſus apparuit. In Chriſti transfiguratione adſtiterunt Moyſes, & Elias, Petrus, Iacobus, & Ioannes: illi vigilabant, & loquebãtur: hi dormiebant. Sic transfigurato Franciſco quidam ex Fratribus dormiebant, quidam in vigilia permanebant: Et ſicut Apoſtolos ſtupor corripuit, & nubes lucida obumbrauit; ſic Franciſci ſocios timor inuaſit, & globus igneus, ac ſplendens, qui currui imminebat claritate perfudit, mirificèque illuſtrauit. Mons Thabor ſplendore è Chriſti facie prodeunte illuſtratus eſt, & fugatis tenebris auiculæ ibi nidulantes diem feſtinaſſe ſenſerunt. Et domus Sanctæ Mariæ, in qua S. Franciſcus apparuit transfiguratus tanto radiauit ſplendore, vt Fratres ibidem adſtantes diem affulſiſſe cogitauerint. Tandem nihil hìc ad omnimodam ſimilitudinem deſiderabis, niſi quod puro homini dandum non eſt. Reliqua non caſus, ſed Dei prouidentia tulit, immutationem vultus, ſplendorem veſtium, loci claritatem, adſtantium vigiliam, ſomnum, pauorem, obumbrationem, & pro nube lucida globum igneum, qui transfigurationis teſtes illuſtrauit. Sola ſe transfigurantis vox defuit, qui deficientes erigeret, pariterque adhortaretur nè viſionem alicui manifeſtarent, ſicuti diſcipulos adhortatus eſt Chriſtus, dicens: *Nemini dixeritis viſionem.* Matth. 17. Verùm hoc transfiguratione alia repræſentandum reſeruauit, quam ſtatim ſubijcio.

Secunda viri Dei transfiguratio euenit hoc modo. Acceſſerat

ceſſerat ad quendam locum Sanctus Pater, in quo frater adoleſcens bonæ indolis morabatur. Is cùm aduerteret B. Franciſcum antè alios ad quieſcendum receſſiſſe, vt dum ipſi ſomno indulgerent, ipſe clanculum ſurgens orationi vacaret, iuxtà ipſum ad captandum ſomnum ſe proiecit, & chordam ſuam B. Franciſci chordæ alligauit; vt quid ſurgens faceret ſolicitè exploraret. Cæterum vir Dei ſomno excuſſo ſurrexit, & chordam ità cautè diſſoluit, vt ſocius dormiens nihil ſenſerit. Interim in collem vicinum denſis arboribus conſitum ſolus ſe proripuit, ac in ſummitate ipſius conſiſtens, totum ſe adorationem conuertit, in qua diuino amore inflammatus, admirabilique ſplendore irradians cum Chriſto, & Beata Virgine Maria, Sancto Ioanne Baptiſta, & Ioanne Euangeliſta, Angelorum adſtante multitudine, dulciſſimè loquebatur. Inter hæc expergiſcitur adoleſcens, & viro Dei non inuento feſtinus in collem aſcendit: Syluam ingreditur, collis cacumen tenet, ſermones, qui ſuauiter miſcebantur, auſcultat: progreditur inſpecturus quinam illi ſint, qui loquantur. Ecce tibi Franciſcum aſpicit inſolita claritate fulgurantem; Chriſtum, ipſius Matrem, & vtrumque Ioannem viciſſim loquentes, Angelis circunſtantibus, intuetur: Timore tamen conſternatus in terram ſemimortuus concidit. Finita demum oratione, & viſione recedens Franciſcus, iacentem in via fratrem pedibus offendit: (non enim præ noctis obſcuritate quidquam videbat) exanimem erigit, brachijs ſuſtentat, & ad proprium locum reportat, interim adhortatus, vt nemini quandiu ipſe viueret, viſionem illam patefacèret. Quod exactiſſimè ſeruauit: Nam viuente viro Dei nulli manifeſtauit. En transfigurati Franciſci exhortatio ſilentium imperantis, quæ in priori transfiguratione deſiderabatur. Et ſicut finita Chriſti transfiguratione. *Deſcendentibus illis de monte præcepit Ieſus nemini dixeritis viſionem, donec filius hominis à mortis reſurgat.* Matth. 17. Sic etiam transfigurationis ſuæ ſpectatorem humi proſtratum Franciſcus ſubleuauit, pariterque admonuit, vt ante ipſius mortem viſionem illam nemini detegeret.

Matt. 17.

Ter-

Tertiam commemoro transfigurationem, in qua aliquid nouitatis, & amplioris forſan admirationis appareat. Non enim inter orandum, ſed inter prandendum; non ad aras poſitus, ſed menſæ accumbens: non in ſolitudine, ſed inter epulas transfiguratus apparuit, & alios ſecum in transfiguratione rapuit Franciſcus. Inſtabat magnis precibus Sancta Clara Aſſiſienſis vt apud ſe pranderet. Vicit precum inſtantia Dei virum, petenti annuit, pranſurumque promittit; dies ſtatuitur, & locus deſignatur, videlicet Sancta Maria de Angelis. Igitur ſtatuta die conueniunt. Clara ſororem ſociam defert, Franciſcus pluribus ſocijs comitatus accedit, ſacrum locum ingrediuntur, & reuerenter colluſtrant, ſed priuſquam corpora reficiant, ſpirituali orationis pabulo animas recreant: oratione finita diſponitur menſa, Franciſcus cum ſocio, & Clara cum ſocia, menſam occupant humi ſtratam: alij in alia diſcumbunt. Fercula pranſuris apponuntur: ſed vir Dei prandium à verbo Dei faciendo exorditur; tantaque ſuauitate, & dulcedine de Cæleſtibus loqui cæpit; vt in extaſim raptus, & transfiguratus, alios item raperet, oculiſque, & manibus in Cœlum eleuatis, à ſenſu penè alienos redderet. Quin etiam dum ſic rapti exiſterent, igneus plendor Sanctæ Mariæ locum, & ſyluam ibi circum ſitam ambiuit. Vnde Aſſiſienſes, & alij circumcirca oppidani flammam aſpicientes, Sacram Domum, & ſyluam comburi exiſtimarunt: ſubindeque auxilio futuri concurrunt. Sed ecce tibi locum ingredientes Franciſcum, & Claram vna cum alijs ſpiritu eleuatos, claritate circumfuſos, & extra ſe poſitos admirabundi conſpiciunt; menſas vident intactas, & flammam, quam longe aſpexerant, eius naturæ eſſe cognoſcunt, quæ olim ardebat in rubo, non tamen ipſum comburebat. Subitò recedunt, & tales inſpexiſſe conuiuas gratulantur. Illi interim finita extaſi locum quiſque ſuum repetunt. Nec dubito, quod menſas intactas reliquerint, quia dum ſic rapti transfiguratique extiterunt, eis datum eſt edere Manna abſconditum. Et qui cæleſtes guſtant epulas faſtidioſa corporis obſonia non requirunt.

Finita

Finita Chriſti transfiguratione Apoſtoli, *leuantes oculos ſuos neminem viderunt niſi ſolum Ieſum*. In commemoratis B. Franciſci transfigurationibus, Ego ipſum ſolum intueor, ipſum conſidero, & in eo Chriſti transfigurati imaginem recognoſco, non quod eiſdem coloribus transfigurationem in Thabor factam retulerit. Hoc enim ſolus poterat, de quo Patris vox inſonuit dicentis: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*. Matth. 17. Complacuit parenti in filio, & filius ſibi complacuit in ſeruo. Non poterat tamen ſibi complacens ſeruo dare quod à Patre acceperat, nimirum, vt filius naturalis eſſet: dedit tamen, vt filij imago, ſimilitudoque exiſteret: Atque adeo quantum licuit vitæ ſuæ actionibus ſimilem oſtendit, vt iam qroſequemur.

Matth.

§. SEXTVM.

S. Franciſcus aquam immutans in vinum, & plurimos modico pane ſaturans Chriſto ſimilem ſe præſtitit.

PRimum miraculum, à quo Dominus Ieſus ſuæ potentiæ magnitudinem auſpicatus eſt, ſeque verum Dei filium oſtendit, admiranda vini in aquam facta conuerſio in Chana Galilææ recenſetur? Teſte Diuo Ioanne cap. 2. *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Chana Galilææ, & manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum*. Quam quam verò Chriſtus aquam in vinum conuertens, verum ſe Dei filium naturalem comprobarit, quod Franciſco non licuit: Dum tamen eandem elementi mutationem edidit, Chriſto ſimilem ſe eſſe demonſtrauit. In Eremo S. Vrbani nuncupata vir Dei grauiſſima ægritudine premebatur; ita quod naturam paulatim deficere ſentiebat. Tunc vt aliquantulum reficeret, vini poculum ſibi afferri poſtulauit: Reſpondent qui aderant, vinum eo in loco non inueniri. Quibus ait: afferte mihi aquam; iubenti obtemperant, & poculum

Ioan.

Legenda antiqua.

aquæ

aquæ afferunt. Quod cùm vir Dei præ manibus ſumpſiſſet, ſigno Crucis benedicens, aqua in vinum delicatiſſimi, ſuauiſſimique ſaporis immutata reperitur. Eo epoto S. Franciſcus miram expertus eſt dulcedinem, & expulſa debilitate priſtinam valetudinem recepit. Mirum planè eſt quantùm Dei potentia ad Franciſci nutum vertebatur. Plus mihi videtur Chriſtus (audacter dico) ſeruo ſuo apud eremum detuliſſe, quam matri vinum pro deſponſatis in Chana Galilęæ poſtulanti. Nam ibi ipſius petitionem cum aſperitate primo retudit; dicens. *Quid mihi, & tibi eſt mulier, nondum venit hora mea?* Ioan. 4 Licèt poſtmodum annuerit petenti, & aquã in vinũ immutauerit. At verò in eremo nulla in edendo miraculo mora interponitur: Franciſci deſideriũ nulla verborũ aſperitate retũditur: aqua profertur, & repentè fit vinũ. Nec horæ intempeſtiuitas opponitur. Quippe cùm Chriſtus Frãciſcum ſibi ſimilem reddere aquæ immutatione decreuiſſet: Vbi primum ille vinum optauit, eoque deficiente aqua proferretur, repentè fit vinũ. Quaſi diceret Chriſtus. Hæc eſt hora mea, in qua Franciſcũ eiuſdem ſigni operatione mihi ſimilem apparere decreui. Et ideo aquæ poculũ non ad Frãciſci imperiũ, ſed ad ipſius deſideriũ ex improuiſo rubeſcat, & vinum fiat, quo ſuauiter epotus cõualeſcat, & mei ſimilitudinẽ habere in primi ſigni operatione conteſtetur. Et ſicut ibi manifeſtaui gloriam meam, veruſq. Dei Filius apparui; ita Frãciſcus in hac elementi mutatione, mea imago, vel ſimilitudinis meæ ſignaculum ab hominibus agnoſcatur.

Semel tantùm, vt accepimus aquam in vinum Chriſtus immutauit, idq. ad Matris petitionem. Pluries tamẽ Franciſcus id præſtitit; ſemel vt proprię, iterũ vt aliorũ neceſsitati ſubueniret: Vbiq. tamen Chriſti imaginẽ retulit. Primam aquæ conuerſionẽ in deſerto factã receſui, ſecundã ęquè mirabilẽ profero. Cũ vir Dei in Marchia Anchonitana ſe teneret, ibiq. ad ędificandã Eccleſiã in loco Trabe animũ, operãq. adijceret; operarij prę calore ęſtiuo ſiti ardẽtiſſima premebãtur, & eã vino reſtinguere à viro Dei poſtulabãt. Ille votis annuens Fratres miſit ad caſtrũ Iouis ibi propinquũ, vt vinũ afferrent, *Legenda antiqua.*

 Quia

Quia tamen morabantur, ſitîque adurente operarij inſtabant: Franciſcus ad fontem ibi ſcaturientem properauit, oranſque, & ſigno Crucis benedicens, in vinum immutauit, quo omnes operarij largiter epoti ſitim reſtinxerunt. Et tranſacto horæ vnius ſpacio aquæ fons naturam priſtinam reſumpſit: ne quæ ad ſubleuandam neceſſitatem operarum, & oſtenſionem Chriſti ſimilitudinis deſeruierat; quæ in Franciſco temporariam conuerſionem illam operante relucebat; ad luxum poſtea, ebrietatemque verteretur, ſi pro aqua vini ſcaturigine redundaret. Sic enim Deus pro ſeruis ſuis operari aſſueuit; vt quæ ipſo dante miracula edunt, ad ædificationem, & doctrinam conferant; nec ad ruinam, deſtructionemque vertantur.

Iam alium colorem addo reddendæ ſimilitudini, quam in titulo promiſi, aptiſſimum: videlicet plurimorum ſaturationem paucis panibus operatam: In quo Dei virtus, ac potentia non minus ſplendet. Tàm improba enim eſt Mundi fames, tamque inſedata cupiditas: tam parua, & inania ipſius bona; vt plurima exaturandæ, paucorum auiditati non ſufficiant. Nuſquam enim ipſe plurimos paucis adimplere nouit, nec poteſt. Nouerat hoc, qui recenſitis apud Ioann. c. 6. quinque panibus dicebat. *Eſt puer vnus hic, qui habet quinque panes bordeaceos, & duos piſces: ſed hæc quid ſunt inter tantos?* Aptè quidem inſpecta Mundi fame, & panum paucitate. Si tamen diuinæ potentiæ magnitudinem inſpiceret, melius dixiſſet: Quid ad tot panes hæc hominum paucitas. Impletis namque omnibus, & ſaturatis cophini duodecim fragmentorum pleni ſuperfuerunt. En Franciſcum admirabili tribus tantum panibus multorum ſaturatione Chriſto ſimilẽ produco, ſicut apud antiquam legendam reperi. Habebatur Aſſiſij Capitulũ Generale annuatim apud S. Mariam de Portiuncula celebrandũ. Euntibus vero fratribus, triginta in diuerſas Orbis partes profecturi remanſerunt, in quibus Frater Monaldus, qui poſtea in Capitulo Arelatenſi, B. Antonio de Crucis titulo verba faciente, S. Franciſcum in aëre ſuſpẽſum, ac in modum Crucis extenſum benedicentem aſpexit.

Ioann. 6.

Cùm

Cùm igitur S. Pater cum filijs paulò poſt diſceſſuris epulari vellet menſam parari, & omnes ſimul diſcumbere præcepit. Tres tantũ panes domi erant, quos cùm B. Franciſcus præmanibus ſumeret: Ternario familiari, & auſpicatiſſimo ſibi numero applaudens (forſan memor, quòd hoſpitator ille Euangelicus ad excipiendum ſuum hoſpitem tres tantum ab amico panes intempeſta nocte poſtulauerit) & gratias agens Deo, frangere cæpit, & inter diſcumbentes diuidere. Mirum dictu, tàm magna ſecuta eſt panum multiplicatio vbi primum ſanctas viri Dei manus tetigerunt, vt triginta, qui aderant in illa paupertatls menſa largiſſimè refecti fuerint: & fragmenta, quæ remanſerunt, trium panum quantitatẽ notabili planè exceſſu ſuperarint. Quidni Franciſcum hoc loco Chriſti ſimilitudinem appellabo? Chriſtus in deſerto quinque panibus, quinque ferè millia ſaturauit, & collecta ab Apoſtolis fragmenta panum quantitatem exceſſerunt. Franciſcus, & ſi numero panuum, & comedẽtium impar (tres enim habuit panes, & triginta conuiuas) in eorũ tamen multiplicatione, & refectione Dei virtus nõ minor apparuit. Et fors nec plures panes, nec hoſpites Dei prouidentia habere permiſit. Quia in vtroque numero ternarius Franciſco myſticus, & amabilis elucebat. Aliam refero ſaturationem, ex antiqua legenda tranſumptam.

Ad Burgum S. Domnini in Lombardia ſe contulit Vir Dei nocte compulſus, & multis fratribus aſſociatus. Cumque ad fratrum hoſpitium diuertiſſet, & præ itineris labore famelicus aliquid ſibi, & ſocijs manducãdum apponi flagitaret: Illi ad pauperem penum recurrentes, nec panem quidem vnum inuenerunt. Verè ſui parentes filij, & Chriſti diſcipuli, qui de craſtino nõ eſſe ſolliciti didicerũt; & ideò nihil in penuarijs repoſitum aſſeruabant. Ad Patrem reuertuntur, & nihil eſſe, quo famem pellat, nec vbi conquæri poſſit affirmant. Tum S. Franciſcus regredimini, inquit, ad locũ vbi panis ſeruatur, & caniſtrum panibus plenum reperietis. Eunt, panes inueniũt, & ad miraculum obſtupentes ad menſam afferunt. Comedit S. Pater, veſcuntur & filij: omnes plane miraculoſo ſua-

S 2 uiter

uiter refecti Dei potentiam collaudant, & in parente ſuo Chriſti imaginem agnoſcunt: qui vt triginta reficeret, tres panes, vt ſupra retulimus, multiplicauit: modo vt plurimos ſaturaret, panes vbi nõ erant, mirabiliter inueniri fecit: vtrobique Chriſti ſaturationem in deſerto factam, quantum fas erat æmulatus. Sola hic deſideranda videtur ingens hominum multitudo, quæ illam Redemptoris ſaturationem amplius admirabilem effecit; & ideò ab Euangeliſtis notata eſt.

Ioann. Ioan. cap. 6. ait, *Numero quaſi quinque millia.* Luc. 9. *Erant*
Luc. *autem ferè viri quinque millia.* Matthæus, & Marcus ſimili-
Matth. *Marc.* ter eundem numerum recenſent.

Nihilominus, quod in hac occaſione defuit, alibi admirãda S. Franciſci virtus demonſtrauit. Memorandum eſt Generale Capitulũ de Caricis dictum in planitie Aſſiſiana celebratum, in quo quinque fratrum millia conuenerunt. Adfuit etiam Cardinalis Vgolinus tunc temporis noſtri Ordinis Protector, fratrumque amantiſſimus; vnde turmatim diſpoſitos cernens (ſæpe enim viſendi gratia illuc veniebat) modeſtiam, ſilentium, paupertatem, humilitatem ſingulorũ demiratus, aiebat: *Verè Caſtra Dei ſunt hæc.* Speciali tamen amore S. Franciſcum percoluit; & Pontifex creatus, ſicuti vir Dei illi prædixerat, Gregorius nonus dictus eſt, Sanctũque Franciſcum Sanctorum numero adſcripſit. Dum tamen ibi aderat vir Dei per fratrum ſtationes diſcurrens magno ſpiritus feruore verba faciebat. Diuina prouidentia fretus, paupertatiſque Euangelicæ amore inflammatus præcepit, vt omnem abijcientes ſolicitudinem nihil de cibo, aut potu cogitarent, vel poſtularent. Et quamquam B. Dominicus, qui aderat, & Franciſcum prædicantem, & fratribus ne quid peterent præcipientem audierat, imperium illud non ita prudentiæ conforme iudicauerit. Dei prouidentia, quæ in Frãciſco Chriſti ſimilitudinem efficiendo, multipliciter ludebat, Virum Dei ad ita pręcipiendum impuliſſe demõſtrauit; vt in illo agro quinque fratrum millia deportatis vndique alimentis mirabiliter paſceret. Quemadmodum Chriſtus quinque millia pauerat in deſerto. Et numerus, ſeù multitu-

do hominum, quæ in memoratis ſaturationibus deſiderabatur, in hac Aſſiſienſi compleretur. Quod cum B. Dominicus aſpexiſſet Dei prouidentiam S. Franciſco famulantem, agnouit; & ante tempus iudicaſſe pænitens, & quaſi veniam poſtulans Dei virum amanter fuit amplexatus.

§. SEPTIMVM.

Dum B. Franciſcus miracula ederet, quædam in ijs patrandis Chriſti effigies relucebat.

AEternum Parẽtem allocutus Saluator noſter, antequã ad ipſum ex hoc mundo tranſiret; & pro Apoſtolis rogans, vt ipſos in Mundo relictos ſeruaret, inter alia hæc dicebat apud Ioan. 17. *Et ego claritatem quam dediſti mihi dedi eis.* Porrò claritas hoc loco virtutẽ operandi miracula ſignificat, quam Dominus Apoſtolis contulit, & eam exercendo clari reddebantur. Sic interpretatus eſt Chryſoſtomus homil. 81. *Claritatem dicit quæ fit per ſigna.* Et ſanè claritatem huiuſmodi Apoſtolos habuiſſe, nemo eſt qui ambigat: cùm alijs etiam cõmunicatam fuiſſe videamus. Modũ tamen ſpecialẽ quo huiuſmodi claritate, ſeù virtute vtebantur B. Frãciſco ſic attẽperatum indulſit; vt non ſolũ in claritate, quod alij, ſed in modo claritatis exercẽdę Chriſti ſimilitudinẽ referret. Apud Ioan. c. 9. inuenienes qua ratione. *Præteriens Ieſus vidit hominẽ cæcũ à natiuitate.* Et diſcipulis ſuper miſeri cæcitate colloquẽs. *Expuit in terrã, & fecit lutum ex ſputo, & liniuit lutum ſuper oculos eius,* præcipienſque, vt in Natatoria Siloe ſe lauaret, obedienti illico viſum reſtituit. Ingens ad miraculũ conſecutus eſt populi applauſus, & ſanitati redditus dicebat: *A ſæculo nõ eſt auditũ, quia quis aperuit oculos cæci nati.* Multos planè cæcos illuminauerat Chriſtus. Nã inter miracula, quæ Ioanni referẽda eius diſcipulis imperauit, cæcorum illuminationem primo loco conſtituit. *Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur.* Matth. 11. Nullum tamen præter hunc ſputo illinens perſanauit. In quo neminem ex Apoſtolis, aut alijs, qui poſt illos vixere Chriſto

Ioann.
Ioann.
Matth.

ſimilem,

ſimilem præter B. Franciſcum reperio. Is enim claritate ſibi à Chriſto conceſſa cæcos plurimos illuminauit, vnde viro Dei oppida intrante fas eſſet dicere, *Cæci vident.* Speciatim verò in caſtro Beuanij oblatam ſibi puellam oculorũ lumnie orbatam vir Dei cæcos oculos ter ſputo inungens illuminauit. Cùm in Trinitatis nomine (affirmat S. Bonauentura) *Ter ipſius oculos liniuiſſet lumen concupitum reſtituit.* Poterat data ſibi claritate aliter vti: voluit tamen ſputo cæcitatem auferre, vt non ſolùm Chriſti virtutem, ſed ſpecialem ipſius exercendæ rationem æmularetur.

S. Bonau.

Eadem ratione leproſos, quorum Xenodochia libentiſſimè inuiſebat, cùm poſſet verbo ſanitati reddere, vt erga alios varijs languoribus oppreſſos vti conſueuerat, manuũ tactu perſanabat, vt Chriſtum referret, de quo memorat Matth. cap. 8. quod *Leproſus veniens adorabat eum, dicens: Domine, ſi vis potes me mundare, & extendens Ieſus manum tetigit eum, dicens volo: mundare, & confeſtim mundata eſt lepra eius.* Et cùm poſſet, ait S. Chriſoſt. homil. 26. verbo ſanare, vel imperio, ſicut fecerat Eliſeus, Nahaman præcipiens, vt ſepties in Iordane lauaretur: Noluit tamen, *Oſtendens, quòd non tanquam ſeruus, ſed tanquam Dominus curat, & tangit.* Ingredere cum Franciſco leproſorũ xenodochiũ, ibi quendam intueberis morbi contagione abſumptum, cui vir Dei ſeruiens, quemque lauans ſanum reddidit. Iterum alius, cui faciem depauerat morbus, Franciſco faciem ſuam illi iungente, & oſculum imprimente, ſanus efficitur. Quid ſibi vult hæc ſanandi ratio? Cur non orat Franciſcus, & fugatur egritudo? Cur non alio ſanandi organo vtitur, ſed tanquam Dominus curat, & tangit? An vt Dominus appareat? Abſit. Nihil enim magis ipſi cordi erat, quàm vt Domini ſeruus videretur: ſed Domino inſpirante tali conferendæ ſanitatis ratione vtitur, tangens, & ſanans; vt ipſius imaginem, & ſimilitudinem præſeferre in miraculorum operatione dignoſcatur. Atque adeò non ſolam claritatem, ſed peculiarem ipſius exercendæ rationem Chriſto ſimilem ab eo accepiſſe comprobetur. Fors etiam vt daretur intelligi

Matth.

carnem

carnem illam Beatiſsimi Patris tot ieiunijs, pœnitentijs, & macerationibus caſtigatam, & caſtam, & poſtmodum ſacrorum ſtigmatum impreſſione ſanctificatam aliquid in ſe propè diuinum habere, quo veluti organo ad edenda miracula vtebatur.

Cyrillus Alexandrinus in Ioannem expendens quo pacto Chriſtus Dominus manuum tactu miracula edebat (ſicut in cæco à natiuitate, in leproſo, & in alio, in cuius auriculas digitos immiſit, & linguam tetigit inſpicere fas eſt) ideò carnis ſuæ tactum adhibuiſſe teſtatur; vt eam oſtenderet eſſe viuificam. Verè quidem. A veritatis tamen ſcopo non aberrem, ſi in carne B. Franciſci aliquid viuificum, non ſicut in Chriſto, ſed tanquam in ipſius imagine; vel ſignaculo affirmauerim extitiſſe. Quapropter leproſos tangendo ab infirmitate liberabat, & cæcam ſputo ſanitati reſtituit. Plura in hac rem miracula producit Author Conformit. lib. 2. p. 2. fruct. 1. quorum narrationi ſuperſedeo. *S. Cyrill.* *Piſan.*

Mortuos ad vitam reuocatos commemoro, in quibus eadem ſimilitudo mortuis minimè coloribus expreſſa comparebit. Tres tantùm mortuos ſuſcitauit Chriſtus Dominus, Lazarum in Bethania quatriduum in monumento iacentem Ioan. 11. Filium viduæ in ciuitate Naim, quem in feretro ſepeliendum extra portam ciuitatis deferebant, Lucæ cap. 7. Filiam Principis, quam mors in ætatis flore demeſſuerat. Matth. cap. 9. S. Franciſcus triginta mortuos vitę reddidit: ternarium Chriſti, de cuius munere hoc veniebat, decies multiplicans. Quem numerum S. Bonauentura in vltima parte Legendæ maioris colligere incepit. Et poſtea Author Conformit. ex varijs informationibus fide dignis diligenter compleuit. Tres tantùm referam, in quibus propoſita ſimilitudo inſpicietur. In Hiſpania in vrbe, quam vulgò dicunt Ciudad Rodrigo. Anno Domini 1343. Petrus prædictæ ciuitatis Epiſcopus in langorem incidit, & à familiari ſæpiùs admonitus, vt peccata confiteretur (erat enim luxuriæ deditus) quia ipſum in nocturna viſione à dæmonibus in canum figura comparentibus dillaniandum viderat, niſi à *Ioan.* *Luc.* *Matth.* *Conformit. 40 p. 2.*

Fratre

Fratre Minore prohiberentur, qui ipſum admonuit, vt Epiſcopum ad confeſsionem hortaretur. ille tamen famuli hortamenta contemnens, nec ita properè ſe moriturum exiſtimans, confeſſionem diſtulit. Tum Frater Minor (S. Franciſcus hìc erat) quem, ipſiuſque Ordinem præcipua deuotione colebat Epiſcopus, famulum iterum admonuit, vt Dominum ſuum breui moriturum edoceret, atque ad obeundū pœnitentiæ Sacramentum adhortaretur. Pergit famulus Epiſcopum confiteri admonet. Ille mortem vicinam ſentiens, concubinam domi retentam non tamen animo dimittendi repulit, & parùm pœnitens peccata confeſſus, paulò poſt exſpirauit. Nepotes vt omnem ſupellectilem domo auferrent, mortuum per tres dies occultarunt; & quarta die ad Fratrum Minorum Eccleſiam detulerunt. In qua (mirum dictu Fratribus officium facientibus, de feretro ſurrexit. Et fugientibus cunctis, elata voce, nè fugerent exhortatus eſt: ſeque verè mortuum, & ſupremi iudicis ſententia damnatum conteſtatus. Attamen S. Franciſci meritis ad vitam reuocatum propter inſignem erga ipſum deuotionem, propter eleemoſynas, quas Fratribus largiſſimè faciebat, & propter fiduciam, qua neminem S. Franciſci deuotum perire poſſe arbitrabatur. Deinde viginti dies vitæ ſibi ad pœnitentiam peragendam conceſſos affirmauit. In quibus omnia benè moriturus diſpoſuit: Et incidente feſto tranſlationis S. Franciſci Miſſam celebrauit, qua peracta tanto ſpiritus ardore de S. Franciſco, ac de ipſius Ordine prædicauit, vt magna populi erga S. Patrē deuotio creuerit, & filios, quos antea opprobrio habebant, incredibili deuotionis ſtudio percolerent. Epiſcopus die præſtituta diſceſſit è vita, æternùm victurus. Et ſepulchro à ſe condito ſequens inſcribi iuſſit Epitaphium. *Hic iacet Petrus Diaz Epiſcopus, quem à mortuis S. Franciſcus ſuſcitauit.*

In hac Petri ſuſcitatione B. Franciſci meritis edita Lazarum mihi videor adumbratum intueri. Vterque languens, licèt Petrus alio peccati languore, cuius figura erat Lazari infirmitas vexaretur; vterque quatriduanus. De Lazaro di-

cebat Martha. *Domine iam fœtet quatriduanus eſt*. Ioan. 11. & Petrum quarto poſt mortem die iam fœtentem conſanguinei ad Eccleſiam extulerunt. Vterq. ſuſcitatus exurgit: Vterq. ſuum prædicat ſuſcitatorem. Lazarus Chriſtum, Petrus Franciſcum. Propter Lazarum à mortuis ſuſcitatum, & propter ipſius predicationem aucta eſt Chriſti fides: Nam vt teſtatur Ioan. cap. 12. *Cogitauerunt Principes Sacerdotum, vt & Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Ieſum*. Ad Petri prædicationem Sancti Franciſci cultus, ac in ipſius Religionem amor, & reuerentia mirabiliter creuit. Quid ni in Franciſco Ciuitatenſem Epiſcopum corpore, animoque languentem, & à morte quatriduanum ſuſcitatum, Chriſti Lazarum ſuſcitãtis imaginem agnoſcam? Cùm vtrumque miraculum ijſdem ferè coloribus depictum intuear. Agnoſco planè & Franciſcum in fuganda morte, Chriſti ſimilitudinem prædicare non ambigo. *Ioan. 11.* *Ioan. 12.*

Sueſſæ in viculo ad columnas dicto, filius mulieris viduę, corruente domo, ruina oppreſſus interijt, quod cùm mater agnouiſſet feſtina cucurrit, extractumque è ruina mortuum magnis eiulatibus complectens B. Franciſcum clamoroſis vocibus identidem compellabat, & filium viri Dei precibus ſuſcitandum precabatur. Ille miſeræ matris lachrymas conſpiciens, & orbitati compatiens, filium è ruina confractum, ac in fruſta penè diſſectum, & vitæ, & ſanitati reddidit, matrique ploranti, & lachriymis ſuſcitationem imploranti redonauit. In ciuitatem Naim te conuerte: Et ibi viduam plorantem, & filium ad ſepulturam inſequentem intueberis, *Quam cùm vidiſſet Dominus miſericordia motus ſuper eam dixit illi, noli flere*. Luc. 7. & conſiſtentibus qui mortuum efferebant, tacto fretro Chriſtus ait: *Adoleſcens, tibi dico, ſurge: Et reſedit, qui erat mortuus, & cæpit loqui. Et dedit illum matri ſuæ* Vtrobique viduam pro filio plorantem inuenies; vtrobique matrum lachrymas filiorum ſuſcitatores ad miſericordiam impuliſſe deprehendes. Flectitur viduæ Naim lachrymis Chriſtus, & matri filium *Luc.*

ſuſcitatum dedit. Suſana vidua lachrymis etiam filij ſui vitam à Franciſco extorquet. Itaque dum mors ab vtroque fugatur, magna inter Chriſtum Dominum, & ſeruum ipſius Franciſcum ſimilitudo conſpicitur.

In Apuliæ Montanis Caſtrum ſuper impoſitum imminet, Pommarcum vulgo nuncupatum. Hic nobilis fœmina S. Frãciſci admodum deuota morabatur: Hæc filiam habebat apprimè dilectam, quam cum mors immatura præriperet, ad Franciſci patrocinium ſe contulit: Non aliter, quam Princeps ille apud Matth. cap. 9. pro impetranda filiæ ſuſcitatione, forſan Matris ſuaſu impulſus Chriſtum Dominum requiſiuit. Et ſicut hic filiam ſuſcitari promeruit; ſic illa à Franciſco obtinuit, vt ſibi cum ſocio appareret, pariterq. vt nomen ſuum inuocaret exhortaretur. Atque adeo ſicut Princeps dixerat. *Domine filia mea modo defuncta eſt: ſed veni impone manum tuam ſuper eam, & viuet;* Ita mater diceret: Franciſce filia mea modo defuncta eſt, ſed Deo volente, teque à Deo poſtulante reuiuiſcet. Sanè reuixit: Nam mater talia repetens manu filiam apprehendit, & Franciſci meritis ſuſcitatam è terra leuauit. Cernis, vt non ſola miraculorum virtus Franciſco conceſſa fuerit, ſed inſuper peculiarem ipſius exercendæ rationem, Chriſto ſimilem obtinuerit. Nam & ſi plures mortuos ſuſcitauerit, quorum narrationi ſuperſedeo, vnum tamen præterire non poſſum: quia in alma Angelorum Prouincia noſtri Ordinis contigit, multumque vtilitatis, & doctrinæ ad morum inſtitutionem inde colligi poſſe non ambigo. Iuxtà Pennaflor oppidum, ſic hiſpanicè nuncupatum, tertio diſtans lapide viſitur Monaſterium Sãctæ Mariæ de Bethlehem de Palma eiuſdem Prouinciæ, maxima oppidanorum deuotione frequentatum. Huc pia quædam mulier ſæpius ibat, & tantam ergà Beatum Franciſcum in animo deuotionem concepit, vt ob ipſius gratiam Franciſcanos Fratres quoties illuc accedebant, hilariter, perhumanèque hoſpitaret. Cùm autem odio ſtimulata falſum teſtimonium in quandam fœminam protulerit, famæ iactura minime reſarcita è viuis exceſſit. Et ad tribunal Dei ſiſtens

ab

ab æquiſſimo omnium Iudice Chriſto Domino æternis ignibus adiudicata erat. Tum Seraphicus Pater priſtinæ deuotionis, & beneficiorum erga filios non immemor, ſupremum Iudicem, cui adſtabat, ingenua prouolutus exorauit, vt cōmiſſi criminis remiſſionem largiretur. Annuit ſupremus Arbiter: Mortua vitæ redditur: læſam mulieris famam reſtituit: quæque ſibi apud diuinum tribunal acciderant enarrans, iterum mortis debitum exoluit. Sic authenticis plurium teſtium omni exceptione maiorum teſtimonijs, iuramento confirmatis acceptum, refert Gonzaga in 3. p. pro Angelorum Prouincia Conuent. 3. In tribus tamen ſupra recenſitis miraculis Franciſcus ſimilem Chriſto ſe præſtitit, qui non plusquam tres ad vitam reuocauit: Lazarum, viduæ filium, Principis filiam: Pro Lazaro Petrum; pro Viduæ filio, alterum Sueſſonæ: Pro filia, aliam Franciſcus ſuſcitatam matri redonauit. Vbique mortis fugator, & Chriſto ſimilis apparuit.

§. OCTAVVM.

Humani cordis abſcondita perſpiciendi facultas Beato Franciſco ad Chriſti imitationem conceſſa memoratur.

SOlius Dei eſt humani cordis abſcondita penetrare. Hoc proprium ipſius Diuinitatis inſigne; vt quæ ibi latent, omnia vt D. Paulus Hebræorum 4. num. 13. dicebat: *Nuda & apta ſunt oculis eius*, qui tam magnæ ſunt perſpicaciæ, vt per omnes pectoris latebras intrent, abſtruſoſque mentis receſſus explorent. Vnde Hieremiæ dicenti; & ſciſcitanti: *Prauum eſt cor omnium, & inſcrutabile; quis cognoſcet illud?* Reſpondit: *Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes.* cap. 17. num. 10. Hinc eſt vt

Ad Hebr. 4. num. 13.

Ierem. 17.

murmurantibus intra ſe Phariſæis, quòd Chriſtus cuidam paralytico peccata dimitteret: cum hoc ad ſolam Dei poteſtatem ſpectet: *Quis poteſt*, inquiunt, *dimittere, peccata niſi ſolus Deus?* Dominus Ieſus, vt diuinitatis ſuæ fidem faceret, humanarum cogitationum ſcrutatorem ſe oſtendit. *Et cum vidiſſet Ieſus cogitationes eorum, dixit: vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Matth. 9. num. 2 Et Apocalyp. 2. num. 22. eadem vſus eſt oſtentandæ diuinitatis probatione, dicens. *Et ſcient omnes Eccleſiæ, quia ego ſum ſcrutans renes, & corda.* Gloriam ſuam, hoc eſt, diuinitatem nemini ſe daturum teſtatus eſt Dominus. Et reuera gloriam illam, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, quam Apoſtoli in eo fulgurantem inſpexerunt, nemini communicare poterat. Huius tamen gloriæ, ſeù diuinitatis ſtemma, videlicet mentis illuſtrationem, qua futura, & abſentia videntur, cordiſque occulta penetrantur, quibus placuerit impertire fas erit. Vt quoniam diuinitatem aſſequi nequeunt, diuinitatis ſigno, demonſtrationeque honorentur. Vnde dicebant nonnulli apud Iſaiam cap. 41. nu. 23. *Annuntiate nobis quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dij eſtis vos.*

Matth. *Apoc.* *Iſaiæ.*

Hanc gratiam, mentiſque illuſtrationem, ſeù prophetiæ ſpiritum à Domino Ieſu largiſſimè collatam habuit Sanctus Franciſcus, vt duobus ſupra octoginta vaticinijs à viro Dei prolatis demonſtrat in lib. conformitatum Piſanus. Tantam inſuper in internis oculis perſpicaciam ei contulit, vt ſecreta cordium rimaretur, & latentes ibi cogitationes introſpiceret. Et quem ſui imaginem; ac ſimilitudinem in Mundo relinquere ſtatuerat, proprijs, veriſque oſtentandæ imaginis coloribus illuſtrauit. Atque adeò ſicut Chriſtus, vt Euangeliſtæ referunt Matth. & Luc. 9. & ſæpè alibi, latentes Phariſæorum cogitationes introſpexit, quippe cuius diuiuæ perſpicaciæ nihil imperuium eſſe poterat. Ita B. Franciſco priuilegium indulſit, vt cordium indagator exiſteret.

Piſan. lib. 2. conf. 6. p. 2. *Matth. 9. nu. 4. Luc. 9. nu. 47.*

Plurimis hoc exemplis firmat Piſanus lib. 2. Conform. 15. quorum

quorum narrationi ſuperſedendum cenſui. Duo tantum- *Piſan. li. 2.*
modo referam. Cum aliquando S. Franciſcus cum Maſeo *fruct. 15.*
ſocio iterfaceret: præcedebat Maſeus, & ad quoddam triuium accedens conſtitit, & Franciſcum retrouenientem expectauit: Cùm autem propior factus eſſet, interrogat: quãnam ex tribus vijs arripere debebant. Tunc B. Franciſcus Maſeo præcepit, vt ſe rotaret in gyrum, quouſque capitis vertigine correptus in terram concideret, cui ſic iacenti B. Pater dicebat: verſus quem locum habes faciem ò Maſee? Ille paulũ ſe eleuans, Senas verſus reſpõdit. Illuc ergo eunt: vrbem ingrediuntur, & ſeditionibus, ac homicidijs turbatã inueniunt. Prædicat vir Dei: ponuntur arma, quieſcit tumultus: pax redit, & amicitia reſarcitur, cuius rei conſcius Vrbis Epiſcopus Franciſcum acciri iubet, honorificè excipit, ad cænamque inuitat. Poſtquam verò pernoctauerat: valde mane Franciſcus laudis humanæ fugitans inſalutato Epiſcopo diſceſſit. Dum autem iter facerent, Maſeus retro ſequebatur obmurmurans, & ſecum iterans; Quid bonus iſte, ac ſimplex egit? Namme velut puerum in orbem agi præcepit; & Epiſcopum, à quo ita beneuolè, honorificeque fuit exceptus, inſalutatum reliquit, nec vnum proferens verbum, quo gratiam referret. Percuſſit poſt hæc cor ſuum Maſeus, & murmurationis pænitens, ſeque grauiter inſimulans omnia rectè, & Deo inſpirante facta cõfitebatur. Dum autem hæc in corde agitaret, Franciſcus ad eum conuerſus, dicebat: vt quid ò Maſee mala in corde tuo cogitabas? Quæ modo mente tractas recta ſunt, à Deoque inſpirata: ſed prior obmurmuratio cæcitatis, & ſuperbiæ plena erat, & dæmone ſugerente in corde prognata. Obſtupuit Maſeus, & Sanctum Franciſcum cordis indagatorem exiſtere, latenteſque ibi cogitationes explorare deprehendit.

Recole nunc Phariſæum in menſa de Chriſto in corde murmurantem, quòd ſe à peccatrice tangi permitteret. *Dicebat intra ſe, hic ſi eſſet Propheta ſciret vtique quænam, & qua-*

& qualis eſt iſta mulier, quæ tangit eum, quià peccatrix eſt. Luc.7.num.40. Et quamquam intra ſe loqueretur, Chriſtus, cui patefacta ſunt humani pectoris abſcondita, murmurantẽ redarguit. Recole etiam quod refert Matth.cap.9. num.2. de Phariſæis, qui propter paralyticum in Sabbato ſanitati redditum in corde murmurabant. *Et cùm vidiſſet Ieſus cogitationes eorum dixit, vt quid cogitatis malà in cordibus veſtris?* Vbi hominum cordæ ſibi patentia, omninoque retecta demonſtrauit. Omnia hæc ad B. Franciſcum reflecte Maſeum inſpice ſecretò murmurantem, quòd ſe in orbem agi præciperet, quòd admiſſus ad Epiſcopi menſam, nec grates egerit, nec recedens vale dixerit. Franciſcum audi occulta ſecùm iterfacientis ſuſurria penetrantem, ac ſi palàm, & in os proijcerentur: Et cernes, non ſolùm alieni cordis exploratorem fuiſſe, verùm etiam in hoc Chriſtum Dominum, cuius in eo ſimilitudo enituit, aliqualiter retuliſſe. Atque adeo non in ſola occultorum exploratione (quod alijs etiam datum eſt) Chriſto ſimilis exitit, ſed in euentibus, eorumque circunſtantijs vmbras intueberis, è quarum repercuſſu aliquam tibi videberis ſimilitudinem videre, quæ tibi Chriſtum cordium ſecreta cognoſcentem repræſentent.

Secundum exemplum mihi ſubminiſtrat Frater Ruffinus, ille de quo S Franciſcus aliquando ſocios allocutus, hæc dixit: *Videtis vos illum Fratrem, Dominus mihi reuelauit, quòd anima eius eſt de tribus ſanctioribus, quas Deus habet nunc in hoc Mundo*. Is igitur antequam ad hoc perfectionis culmen aſcenderet à dæmone illuſus à Franciſci ſodalitio recedere ſtatuit, de viri Dei ſimplicitate obmurmurans, idiotam appellans, pariterque inſimulans, quòd per hoſpitalia leproſorum ſæpe diſcurrendo, ſocios ab orationis ſtudio retrahebat. Quamquam verò à Sancto Franciſco, cui hæc nota fuerunt, accerſitus, peramanterque exceptus reſipuit, ac in viri Dei ſocietate degere ſtatuit: Nihilominus à dæmone iterum tentatus reſiliuit: nec ampliùs cum Franciſco, & ſocijs incedere volebat. Satanas enim in An-

gelum

gelum lucis ſe transfigurans ipſi perſuaſit S. Franciſcum eſſe de numero damnatorum; & ideò ſocietatem ipſius omnino deſerendam, nec vltra cum tali homine congrediendũ. Et quanquam hæc omnia occultè ſecum tractaret, identidemque repeteret: Quid mihi cum filio Petri Bernardonis (Franciſcum intelligebat) qui & pater eius eſt damnatus? Omnia cordis indagator Franciſcus agnoſcebat, & Fratrem Maſeum miſit, qui errantem reduceret. Pergit ille, & Ruffinum inueniens, ad pium parentem euocat. Renuit venire, reſpondetq. Quid mihi cum Franciſco? Quid cum Petri Bernardonis filio vtroque damnato? Perſuaſus tamen à ſocio rediјt ad parentem, à quo benignè fuit exceptus, & agnouit quo pacto abſens omnia viderat, & cordis ipſius occulta penetrauerat. Vnde & reſipuit, ſeque dæmonis ſuggeſtione deceptum intellexit.

En iterum in hac cordis exploratione Chriſti ſimilitudinem oſtendo. Legendum apud Luc. cap. 6. num. 8. quomodo *Phariſæi intra ſe murmurabant, & obſeruabant Chriſtum, vt accuſarent eum*: Si in Sabbato curaret hominem manum aridam habentem. *Ipſe verò ſciebat cogitationes eorum*. Ecce tibi Ruffinus obmurmurat, quòd Frãciſcus ad leproſorum hoſpitalia diuertat, & latens in ipſius pectore murmuratio viro Dei manifeſtatur: murmurans blandè corrigitur, ſalubriterque reuocatur. Iterum Phariſæos contemplare; & videbis in pectore detrahentes, ac intra ſe dicentes Chriſtum pactum cum dæmone inijſſe, ac in ipſius virtute dæmones expellere. *Murmurabant, & dicebant, hic non eijcit dæmones niſi in Beelzebub principe dæmoniorum. Ieſus autem ſciens cogitationes eorum*, blandè redarguit, & ſe à tali calumnia liberum manifeſtauit. Propè ſimilia cum parente ſuo egit Ruffinus, damnatum, & dæmoniorum iam numero adſcriptum aſſirmauit. Licèt verò hæc interiùs, vel abſente viro Dei protuliſſet: omnia tamen nuda, & aperta fuerunt oculis eius, quibus Dominus Ieſus non ſolùm perſpicaciam contulit, vt ſecreta cordium penetraret, ſed inſuper voluit, vt dum hæc à Franciſco peragebantur, quæ- Luc.

dam

dam ipſius Redemptoris imago cerneretur. Plura in hanc Piſan.l.2. rem exempla refert Piſanus lib.2.conformit.14. & paſsim conſor.14. alibi. Et ſanè ex tam frequenti futurorum, & abſentium cognitione,& cordium penetratione (qualem repetitis toties actibus S.Franciſcum habuiſſe deprehendimus) in promptu eſt exiſtimare, hanc mentis illuſtrationem, & gratiam cordis humani ſecreta explorandi permanentem,ac ſtabilem in eo fuiſſe: nec vllos acceſſus habuiſſe, vel receſſus, ſicut de alijs legimus, quibus ad tempus talis gratia concedebatur, vt etiam in hac ſtabilitate, & permanentia Beatus Franciſcus Chriſti ſimilitudinem oſtentaret.

§. NONVM.

Chriſto Domino noſtro, vt Orbis Creatori omnia famulabantur elementa: & Franciſco ipſius imaginem referenti, eundem exhibebant famulatum.

Elementorum obediētiam iam olim Chriſtus hominem præludens in fornace Babylonis dedicauit. Tribus enim pueris in eam coniectis Nabuchodonoſor in medijs Daniel.3. flammis quatuor illæſos, & incedentes aſpexit. Daniel 3. *Ecce ego vidi quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt. Et ſpecies quarti ſimilis filio Dei.* Porrò ſacrarum litterarum interpretes, quartum virum, quem in fornace Rex viderat, Verbum diuinum ſpeciē tenus in hominis figura recognoſcunt: Vnde iam tunc elementa ipſum reuerebantur. Et ſicut poſtmodum verus homo factus, elemento aquæ, & aëris imperabat. Vnde Matth.6. alij admirantes ſciſcitabantur. *Qualis eſt hic, quia mare,* num.27. *& venti obediunt ei?* Ita homo quoad ſpeciem tantummodo apparens, elementorum in igne obedientiam iure ſuo, vt Daniel 3. Creator exigebat. Et ideo, *Excuſſit flammam ignis de for-* num.50. *nace, & fecit medium fornacis, quaſi ventum roris flantem.*

Et

Et quod ibi in humana tantum ſpecie dedicauit, in Beato Franciſco poſtmodum compleuit; Cui ignis ardor ros erat, & prunas non aliter tractabat quàm roſas. Niſi fortè cum Diuo Bernardino Senenſi quartum illum ſimilem filio Dei etiam S. Franciſcum intelligere placeat. Qui iàm tunc in figura, imperium, quod in elementis habiturus erat, in igne exercebat. Et ſanè congruum erat vt ignis nobilius cæteris elementum imperanti Franciſco prius obedientiam præſtaret; vt in eo viri Dei imperium clarius eluceret. D.Bernar. tom. 2. ſerm. 60.

Multoties ad Franciſci præſentiam vires ſuas amiſiſſe viſus eſt ignis. Prouocatus olim in Federici Imperatoris palatio ad libidinem vir Dei, nudum ſe in ardentes prunas coniecit, indeque illæſus, ac ſi roſis incubaret erigitur. Rurſum Saracena exhortante fœmina, vt ſibi ad luxuriam conſentiret, flammas amplectitur: Et non ſolum vim earum non ſenſit; ſed in hortatrice libidinis flammam extinxit. Quid mirum? Iam in Babylonis fornace didicerat ignis ad Franciſci famulatum vires ſuas amittere. Crucem corpori impreſſam geſtare cupiens, fratri præcepit, vt candenti ferro illam ſibi aperiret; Nec vllam tunc Moleſtiam, aut ignis læſionem ſenſit, cùm repetito identidem ferro carnem aperiens ſulcaret. Cuiuſdam fratris caputium ab habitu diſutum in ignem proijci imperauit: Flamma verò partem illam habitus etiam alieni reuerita, & viri Dei imperio famulata, intactam reliquit; licet per magnum temporis ſpatium ibi iacuiſſet. Itaque non ſoli Franciſco parcebat ignis, ſed propter ipſius obedientiam rebus alijs parcebat. Et ſicut olim trium adoleſcentum veſtes intactæ remanſerunt, nec ignis ardorem ſenſiſſe dicuntur; *Quoniam nihil poteſtatis habuiſſet ignis in corporibus eorum, & capilus capitis eorum non eſſet aduſtus, & ſarabala eorum non fuiſſent immutata, & odor ignis non tranſiſſet per eos.* Sic caputium illud permanſit illæſum, nec flammæ afflatum, odoremue corripuit.

Aër igni vicinus, & naturæ dignitate proximus eumdem

etiam obſequium Sancto Franciſco præſtitit. Cum aliquando per Venetas paludes obambularet, & præ obſcuritate incedere nō poſſet, vnico verbo vir Dei clarum reddidit cælum, & perſpicuum, ſicut in quinta parte legendæ memoratur. Quin etiam Montis Aluernæ ſummitatem, & circumuicina nubium denſitate obſcura, & frequentibus grandinis tempeſtatibus obnoxia liberauit, eximiæque ſerenitati poſt receptionem ſtigmatum reddidit. Et ſicut hic grandinantem aërem, & pluuioſum repreſſit; ita in loco de Azone, cùm magna ſiccitas vigeret, frumentique inopiam minaretur, prædicante, populumque exhortante, vt dominicam orationem, & Angelicam ſalutationem ſemel recitarent, aer in copioſiſſimam diſſolutus eſt pluuiam, & magna deinde fructuum vbertas prouenit.

Mobile elementum eſt aqua: & tamen vt Franciſco obediret, Caietæ (vt retulimus) immobilis ſtetit, eadem viro Dei obtemperans formam immutauit, & in vinum tranſiuit, quin etiam in deſerto, vt ſitientem reficeret (imperante Franciſco) è ſilice mirabiliter erupit. Itaque vt Dei ſeruo tria hæc Elementa ſeruirent, vel naturam mutabant, vel amittebant.

In Terra non minorem inuenies famulatum. Hæc in domo cuiuſdam medici diſſecta, & hiulca appoſitis in ſciſſura Franciſci capillis ita conglutinata eſt, vt nullum ſectionis indicium videretur. Hæc etiam aridum Sancti baculum, quo ipſam concuſſit, & effodit, mane germinans reddidit: Et arbor facta eſt hucuſque foliorum viriditate perſeuerans. Nec ſola tantum elementa recenſitam viro Dei obedientiam præſtiterunt: Sed etiam quæ in elementis degunt ipſi obtemperabant. Ex aëre Aues ad ipſius imperium volatum, garrulitatem, cantum non ſemel depoſuerunt: & iterum eo licentiam concedente, reſumpſerunt. Nonnunquam manſuetudinem præferentes ſupra caput ipſius circumuolabant, & quaſi plaudentes ſcapulis inſidebant. In aqua natatilia quoque famulabantur, vt piſces & ranæ, quas cum aliquando coaxentes in quo-

dam

dam lacu tacere iuſſerit, nec ipſum prædicantem impedirent, ſubitò ſiluerunt: Et Franciſco recedente, nuſquam auditæ ſunt coaxationem edere, quouſque illac regrediens licentiam conceſſit; vt iterum coaxarent, qua obtenta magnum ſtrepitum ediderunt. Animalia quoque terreſtria obediebant. Formicæ ipſo mandante è quercu receſſerunt, cui innixus prædicare inceperat, oues, lepores, cuniculi cicures, & manſueti ad ipſum ſine pauore diuertebant, & libenter morabantur. Quin etiam lupum ita cicurem, & manſuetum reddidit, vt cum ouibus incedens, eas non tangeret; quinimò cum eis luderet, vt refert Piſanus lib. 2. fruct. 1. Chriſto Domino in Mundum veniente, lupus cum agno accubaturus erat, ſicut Iſaias promiſerat, dicens: *Habitabit Lupus cum agno* cap. 11. En Franciſco in terris agente idem apparuit miraculum, vt ſimilitudo, quam cum Chriſto habebat, cerneretur. Et lupus, qui ad præſentiam Redemptoris feritatem depoſiturus Prophetæ oraculo prædicebatur, viſo Franciſco, & in eo Redemptoris imagine, feritatem exuit, manſuetudinem induit, & cicur factus cum ouibus pro viri Dei obedientia ſtabulabat. Multus in recenſendis huiuſmodi exemplis eſt Author Conformit. lib. 2. par. 2. fruct. 1. Legat qui volet; & pro omnium elementorum, ac in eis degentium obedientia ad ſatietatem exempla reperiet.

Piſan.

Iſaias.

§. DECIMVM.

Communis hominum applauſus, & bonor Franciſcum ſequebatur, vt olim Chriſtum, cuius in Franciſco ſimilitudinem reuerebantur.

INter clariores titulos, quibus Nicolaus Pontifex huius nominis Tertius Beatum Franciſcum meritiſſimò decorauit: ille mihi videtur illuſtrior, quo Dei virum Principem inclytum, regale ſignum deferentem nnncupauit. Vnde Princeps Dei Frãciſcus, & ſignifer incredibili locorum, ad quæ pergebat applauſu excipiebatur. Non aliter filij Heth in terra Chanaam venientem illuc Abraham humaniter exceperunt, & ſepulturæ locum gratis elargiti ſunt, dicentes:
Gen. 23. *Audi nos Domine princeps Dei es apud nos.* Geneſ. 23. Itaque Principis Dei nomenclatura profuit Abrahamo aduenæ, & peregrino, vt præcipuo honore ab Hethæis coleretur. Pari ratione Frãciſcus Dei Princeps, & ſignifer cùm ad Chriſti imitationem Oppida, prędicãdo circũiret Principis nomen profuit: Bononiam accedens incredibili à Bononiẽſibus honore fuit exceptus: Nam vbi primum fama percrebuit, virum Dei illuc accedere, ſicut olim Chriſto Hieroſolimam
Marc. 6. intrante. *Commota eſt vniuerſa ciuitas, dicens, quis eſt hic. Populi autem dicebant.. Hic eſt Ieſus Propheta à Nazareth Galilææ.* Matth. 21. ita Bononienſis ciuitas quaſi à fundamentis excita commoueri cæpit. Et tam magna populi applaudentis concurſatio facta eſt, vt Franciſcus terram minimè contigeret: ſed prementium vndique manibus elatus, veluti curru triumphabundus in vrbem veheretur. Dum autem ſic procederet non ſemel dicebant. *Quis eſt hic?* hoc eſt, magnus eſt hic. Franciſcus iſte eſt, Princeps Dei apud nos. Tantum namque valet illa interrogatio *Quis eſt hic?* Alij nouum mundi florem dicebant, & Dei Angelum ſe videre, & audire teſtabantur. Cùm verò ad vrbis plateam, acceſſiſſet,

ceſſiſſet; ibi conſiſtens, in ea populi frequentia, cuiuſque ſexus, & ætatis concionem habuit. Et de peccatorum pęnitentia tanto ſpiritus ardore fuit elocutus; tamque potenti verborum acumine audiėtium corda penetrauit, vt quidam in lachrymas & ſuſpiria ſoluerentur, alij in ſtuporem acti viri Dei ſapientiam, virtutem, dicendique efficaciam prædicarent. In quo Franciſcum Chriſto aſſimilatum agnoſco. Nam cùm olim apud Hieroſolymam Dominus Ieſus turbis prædicaret: adeò magnus conſequutus eſt populi applauſus, vt quidam admirabundi dictitarent. *Vnde huic hæc omnia? Et quæ ſapientia, quæ data eſt illi, & virtutes tales, quæ per manum eius efficiuntur?* Marc. 6. Non aliter Bononienſes intrante in vrbem Franciſco, admirabiles ipſius virtutes contemplati, & communem populi præ lætitia geſtientis commotionem intuentes quęrere potuiſſent. *Vnde huic hæc omnia?* Quibus reſponderi poſſet, quod Frater Leo in carta ſuper Franciſci caput è cælo deſcendente conſcriptum inſpexit, nimirum. *Hic eſt gratia Dei.* Matth.

Dubitandum verò non eſt, eum, quem diuinæ gratiæ habitaculum Chriſtus effecerat ſummo ab omnibus honore habendum. Præſertim quia Dei gratiam in Franciſco inhabitantem ſignis, & mirabilibus illuſtratam aſpiciebant. Vnde virtutum odore illecti omnis ætatis, ſexuſque poſt ipſum ferebantur. Et beatum ſe quiſque reputabat, ſi hominem, vt dicebant nouum, & Mundo cælitus datum cernere, audire, & tangere potuiſſent. Vnde deſertis domibus ad ipſum quocunque pergeret, feſtinanter concurſabant. Quod de Chriſto Redemptore noſtro meminit Lucas cap. 6. *Et omnis turba quærebat, eum tangere, quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.* Et Ioan. cap. 6. multitudinem ad Chriſti ſequelam propter miracula ab ipſo edita impulſam commemorat. *Et ſequebatur eum multitudo maxima, quia videbant ſigna quæ faciebat.* Teſtem appello Reatinam vrbem, ad quam cùm Franciſcus, vocante Vgolino Hoſtienſi Epiſcopo, accederet. Tanta populi multitudo confluxit, vt intrantem Dei virum honorificis acclamationibs ſalutaret, exciperetq.

& vrbem ingredi non potuerit. Quin etiam honorem illum ſibi impenſum effugiens, ad Eccleſiam ab vrbe duo milliaria diſtantem ſe contulerit. Idem etiam apud Senas, Caietam, & alias vrbes eueniſſe refert Author. Conform. lib. 2. fruct. 16.

Nec ſola plebis multitudo hac honoris præſatione erga Franciſcum vtebatur. Magnates etiam viri, & Orbis Principes illum honorabant. Nec fideles tantùm, ſed à fide abhorrentes Dei virum mirificè colebant, ſummiſque honoribus proſequebantur. Romam venietem Cardinales, & alij Eccleſiæ Principes inuiſebant, honorabant, reuerenterque alloquebantur. Aegypti Sultanus depoſito faſtu, feritateq. exuta totus ad manſuetudinem compoſitus, Franciſcum benignè excepit, gratam præſtitit audientiam, oblatiſque muneribus apud ſe diutius commorandum inuitauit. Commune omnibus erat hoc honoris obſequium viro Dei frequenter impenſum. Vnde Frater Maſeus non equidem inuidens, ſed admiratus dicebat: *Vnde tibi, vnde tibi, vnde tibi. Totus te Orbis inſequitur, omnes quærunt te videre, & audire, & tibi obedire.* Quæris vnde Franciſco tantus honor? ipſum contemplator, & Chriſti in eo imaginem cernes. Proindeque admirari, & quærere deſiſtes, cur adeo ab omnibus honoretur. Ideo enim Orbis tam impensè colit Franciſcum, quia in eo ſui Redemptoris ſimilitudinē veneratur.

Recolendum eſt, quod viro Dei accidit per Burgum S. Sepulchri, caſtrum certè populoſum tranſeunti. Nam cum præ debilitate aſello vectus incederet. Turba quaſi Chriſtum apud Hieroſolymam pullo aſinæ equitantem, & triumphantis inſtar feſtiuis Solymeæ gentis plauſibus exceptum videre ſibi viſa eſſet, ad Franciſcum feſtina cucurrit, magniſque acclamationibus venientem excepit. Tanta erat frequentis populi concurſatio, vt vbique compreſſus, & ſe inuicem prementium occurſu conſtrictus incedere non poſſet. Franciſcus interim mente abſortus, quaſi nihil ſentiēs, hos plauſus, has gratulantis populi voces non audiebat. Et ideo ſicut olim clamantibus pueris, & dicentibus: *Hoſanna filio Dauid*. Quidam Chriſto dicebant. *Audis quid iſti dicunt*.

Sic Franciſco in illo humilitatis triũpho dicere fas eſſet: *Audis quid iſti dicunt?* Et reſpõderet planè non audio. Ita cũ ibi inceſsit, quaſi corpus exanime deferret, nihil audiuit. Et ſi quid audiuiſſet, totũ ad Chriſtũ honoris authorẽ retuliſſet.

Et ſanè quotieſcunque aliquid ſibi laudis & honoris impendi intuebatur, totum ad Deum referre conſueuerat. Cõtigit aliquando, vt in ciuitate Interamnenſi ſimul cum ſocio iter faceret. Cùmque Ciuis obuiam factus viro Dei applauderet, manuſq. & pedes reuerenter oſcularetur: Socius quaſi indignatus, quòd S. Franciſcus cultum illum ſibi impendi ſuſtinebat: tanquam honoris appetitorem acerbè redarguit. Cui vir Dei manſuetè reſpondit: Non tantũ reuerentiæ iſte exhibet quantum deberet. Qua reſponſione ſtimulatus frater amplius indignari viſus eſt. Tum Sanctus Pater ſocij indignationem iterata huiuſmodi reſpõſione repreſſit. Attẽde frater: Cultus, qui mihi exhibetur, totum in Deũ authorem refero, & humilitatis, ac indignitatis meæ conſcius, homines, non me ipſum, ſed in creatura ſua Deum colere, ac venerari recognoſco. Nec inde quicquã veluti propriũ mihi vendico. Non aliter, quàm ligni ſimulacrum, vel pictura, in quibus Chriſtus, ſeu B. Virgo honoratur, quidquam ex tali honore ſibi adſcribunt. Vera quidem, & humilis reſponſio: humilis, quia omnem cultum, ac honorem ſibi ab hominibus impenſum ad Deum referebat, à quo prorsùs acceperat, vt ita impensè coleretur. Vera, quia Franciſcus Chriſti plagati viuum extitit ſimulacrum. Vnde quidquid cultus, & reuerẽtiæ ei exhibebatur, non ipſi, ſed Chriſto, cuius ſimulacrum erat, præſtitum reputabat. Quinimo præ humilitate ſeipſum reſpectu Dei minus, quàm picturam, & lignum arbitrabatur. Atque adeò ſoli Deo gloriam, & honorem reddẽda eſſe, ſibi verò confuſionem, & verecundiam quamdiu inter mũdi huius miſerias ageret attribuenda fatebatur. Plurima, & prope admiranda honoris, & plauſus Sancto Franciſco cõmuniter præſtiti exempla referre potuiſſem. Videndus conformitatũ Author locis citatis, & ſæpè alibi, in quibus relatis affatim exemplis hanc materiam illuſtrat.

§. VNDE-

§. VNDECIMVM.

Sacra Beato Franciſco ſtigmata imprimuntur, vt ſicut internam Chriſti ſimilitudinem iam habebat, ſic eandem in corpore ſignatus exterius repræſentaret.

DVpliciter ad Chriſti ſimilitudinem figurari quiſque poteſt, interiùs ſcilicet, & exteriùs: cùm ad eam vitæ rationem ſe componit, vt virtutum coloribus, & gratiæ luminibus Chriſti imaginem animo referat, & corpore nonnulla portet inſignia, quibus Chriſto configuratus appareat. Vtramque retulit Franciſcus: Nam ad Chriſti imaginem virtutum exercitio ſe ſtudioſius confinxit. Et Chriſtus quaſi talionem redderet, externa quædam ſigna in Beati Franciſci corpore impreſſit, quibus ſibi configuratum, & exteriùs ſimilem demonſtrauit. Hæc verò ſigna Chriſti ſtigmata fuerunt, quorum impreſſio admiranda, prodigioſa, & prorsùs inaudita dicenda eſt. His enim titulis, ſpecioſiſque nominibus plurimi, & grauiſſimi authores illam condedecorarunt. Præibit ad hanc rem B. Amadæus in raptu 4. in quo ab Archangelo Gabriele hæc verba ſibi dicta commemorat. *Pater veſter Franciſcus in monte cùm clauis in manibus, ac pedibus inſignitus admirabili modo Domini Saluatoris paſſionem renouauit. Quod fuit præcipuum ſingulare, & inauditum donum.* D. Bonauentura in legenda cap. 16. *Nouum, & ſtupendum miraculum* dixit. Alexander IV. in Bulla, quæ incipit *Grande*. Et habetur in firm. trium Ord. Tract. 1. p. 2. *Grande, ac ſingulare miraculum, quo B. Franciſcum omnium Sanctorum ſplendor, & gloria Dominus Ieſus Chriſtus mirabiliter decorauit.* Cardinalis Baronius in Martyrolog. 17. Septembris. *Miraculum immenſum*. Cardinalis Bellarminus concione habita Louanij in Dominic. Sexageſ. apud Henri-

B. Amad.

Alexand.

Baron.

Bellarm.

Henricum ſedulium in Elogijs S. Franciſci. *Hoc ſignum*, inquit, *omnium maximum, ac ſingulare, & quaſi prodigium prodigiorum Sacra illa Stigmata fuerunt.* Epiſcopus Aquitanenſis ſerm. *6.* de S. Catharina de Sena cap. 3. & ſerm. 44. de Sac. Stigmat. Sancti Franciſci cap. 2. *Inter miracula grandia noſtræ fidei Franciſci conſignatio ſupremum obtinet gradum.* *Epiſcopus Aquitanenſis.*

Fuit autem hoc priuilegium non ſolùm nouitate, & raritate magnum, ſed etiam ſingularitate æſtimandum. Quia nulli præterquam Beato Franciſco datum eſt. Et plurimi pro hac re faciendum eſt S. Antonini à Florentia teſtimonium, qui titulo 24. cap. 2. §. 3. expreſſis verbis id aſtruit. *S. Anton.* *Quoddam*, inquit, *ſingulare conceſſum fuit B. Franciſco, quod nulli inter natos mulierum legitur fuiſſe donatum. Et hoc eſt impreſſio Stigmatum ſacrorum. Quamuis enim Paulus dicat de ſe ad Galatas 6. Ego Stigmata Domini IESV in corpore meo porto. Nullus dicit quod habuerit corporaliter Paulus ſigna Paſſionis in manibus, & pedibus, & latere: ſed dicuntur Stigmata, paſſiones multæ, & afflictiones, quas patiebatur. Dicitur etiam de aliquibus deuotis hominibus, quod ſentiebant magnum dolorem in manibus, & pedibus, & latere, ac ſi haberent ibi vulnera; ſed tamen non ita expreſſa corporaliter, vt in Beato Franciſco.* Et verò D. Pauli Stigmata plagarum Chriſti impreſſiones non extitiſſe, ſed verberum, vel catenarum, quibus conſtrictus fuerat, cicatrices, ſentiunt interpretes. Videndus Haymon in cap. *6.* ad Galatas, vbi ita. *Et Beatus Apoſtolus ſtigmata, ſiue notas ferebat, quæ pro Chriſto ſuſtinuerat: quia adhuc plagæ virgarum, & lacerationum in corpore eius parebant, & quomodo catenis fuerat aſtrictus, & per plateas tractus.* *Haymon.*

Modus autem, quo facta eſt ſacrorum Stigmatum impreſſio inſolitus planè, & omni admiratione ſuperior extit, vt ex circumſtantijs in ipſius narrationibus contentis patefiet. Duas inuenio fide dignas. Aliam tres Socij B. Franciſci contexuerunt. Aliam verò dedit Sanctus Bonauent. c. 13.

Legendę maioris, quę in officio ſtigmatum ab Eccleſia probato circunfertur. Sociorum narrationem ſubijcio. *Cùm Beatus,* aiunt, *Franciſcus in latere montis Aluernæ quadrageſimam Beati Michaelis Archangeli ieiunaret. Quodam mane dùm oraret ibi, miram dùlcedinem diuinam abundantius ſolitò cæpit ſentire. Et vidit de Cælorum ſublimitate Seraph ignitas alas, & ſplendidas habentem, & mons cernitur inflammari. Appropinquante illo, vidit inter alas IESVM Chriſtum crucifixum, & vehementer obſtupuit, mæroremque compaſſionis ſuper Chriſto paſſo, & gaudium ſuper eius gratioſo aſpectu mens eius incurrit, vt dicitur in legenda. Et cùm arcana verba ſibi reuelaſſet; tandem dixit: Para te Franciſce faciam in te mirabilia. Et ille: Tu ſcis Domine, quia paratus ſum ad omnia tua mandata. Tunc extendit manum ſuam dexteram ſuper Beati Franciſci manum dexteram ponendo: ad cuius contactum Franciſcus vulneratus in manu, doloroſa voce exclamauit. O Domine IESV, & cecidit in terram, & ſic attonitus, & ſtupens aſpiciebat Chriſtum. Cui ſtupenti ait Chriſtus: Surge Franciſce extende aliam manum, Et fecit ſimili modo in ſiniſtra manu eius, & iterato ille cecidit in terram exclamans. Ad quem Deus iterum: ſurge Franciſce, para te. At Ille ait: Domine mi paratus ſum. Et Dominus poſuit pedes ſuos ſuper pedes Beati Franciſci. Et ille plagatus repente exclamauit, & cecidit in terram. Tandem dixit iterum Dominus. Franciſce ſurge, vt perficiam in te, quæ diſpoſui mirabilia. Franciſcus autem ait: Domine quis poterit ſuſtinere tales dolores? Cui Dominus: quid feciſſes tunc, ſi verbera, & ſpineæ coronæ punctiones, alapas, ſputa, & alias pænas, quas ego pro hominibus ſuſcepi, ſuſtinuiſſes? ſurgens ergò Franciſcus, dixit quid iubes? Paratus ſum. At Ieſus amplexans illum iunxit latus lateri B. Franciſci, & ſtatim impreſſit plagam lateralem. Tunc Franciſcus exclamans: O pie IESV, cecidit in terram quaſi ſemimortuus, & Chriſtus interim diſparuit. Beatus autem Franciſcus iacuit in terra vſque ad horam nonam. Tunc frater Leo ſuperueniens, & videns proſtratum leuauit eum, &c.* Hæc ibi.

Primus itaque Sacrorum Stigmatum explorator extitit frater Leo. Hic florentes roſeo ſanguinis colore plagas ante omnes admirabundus inſpexit. Diſparente namque viſione, & B. Franciſco in terra procumbente, ſicut adnotauit S. Bonauentura loco ſupracitato, Sacra Stigmata comparuerunt. *Statim namque*, ait, *in manibus eius, & pedibus apparere cæperunt ſigna clauorum, quemadmodum paulò ante in effigie illa Crucifixi conſpexerat. Manus enim, & pedes in ipſo medio clauis confixæ videbantur: clauorum capitibus, in interiori parte manuum, & ſuperiori pedum apparentibus, & eorum acuminibus exiſtentibus exaduerſo, erantque clauorum capita in manibus, & pedibus rotunda, & nigra: ipſa verò acumina oblonga, retorta, & quaſi repercuſſa, quæ de ipſa carne ſurgentia, carnem reliquam excedebant. Dextrum quoque latus quaſi lancea transfixum rubra cicatrice obductum erat. Quod ſæpe ſanguinem ſacrum effundens tunicam, & fæmoralia reſpergebat.*

Tota hæc hiſtoria metro eleganter reddita inuenitur in Miſſali Romano Lugduni excuſſo anno 1526. in ſequentia Miſſæ Stigmatum Beati Franciſci, vbi ita.

TVnc alta vir Ierarcha
Venit ecce Rex Monarcha;
Pauet iſte Patriarcha
Viſione territus.
Defert ille ſigna Chriſti,
Cicatricem confert iſti,
Dum miratur corde triſti
Paſſionem tacitus.
Sacrum Corpus conſignatur,
Dextrum latus perforatur,
Cor amore inflammatur
Cruentatum ſanguine.
Verba miſcent arcanorum,
Multa clarent futurorum,
Videt ſanctus vir dictorum

Myſtico ſpiramine.
Patent ſtatim miri claui,
Nigri foris intus flaui.
Pungit dolor pœna graui,
Cruciant aculei.
Ceſſat artis armatura
In membrorum apertura:
Non impreſſit hos natura,
Non tortura mallei.
Signa Crucis, quæ portaſti,
Vnde Mundo triumphaſti,
Carnem hoſtem ſuperaſti
Inclyta victoria.

Hæc vera Stigmatum enarratio eſt, in quorum prodigioſa impreſſione, quemadmodum cap. 4. huius libri §. 3. ex Diuo Bernardino Senenſi, & Authore confirmatum recenſuimus, duodecim miracula interuenerunt, quæ ibi legenda non repeto. Ibi etiam Aggæi Prophetiam cap. 2. *In die illa dicit Dominus exercituum: Aſſumam te Zorobabel ſerue meus, dicit Dominus, & ponam te quaſi ſignaculum, quia te elegi, dicit Dominus exercituum*, de B. Franciſco literaliter intelligendam eſſe comprobauimus. Nunc in commemorata Stigmatum impreſſione adimpleri viſa eſt. Tunc enim vir Sanctus Dei ſignaculum, ſeù Chriſti ſimilitudinem accepit, cùm per Chriſti crucifixi operationem plagas in manibus, pedibus, latereque imprimi ſenſit; & cor nouo amoris incendio inter dolorem, & compaſſionem conflagrare expertus eſt. Et planè congruum erat, vt quem Chriſti amor in ipſum interius transformauerat, ſimilemque reddiderat; Chriſtus impreſſo Stigmatum ſignaculo, externam ſimilitudinem largiretur.

D. Bernar. tom. 2. ſerm. 60.

§. DVO-

§. DVODECIMVM.

Chriſtus Dominus, & non alius Beato Franciſco pretioſa Stigmatum ſigna proprijs manibus excuſſit; ſicut iam Zachariæ vaticinio fuerat prænuntiatum.

POſtquam Tertullianus Africano ingenio, nobili, & verè Romano calamo in libro de Reſurrectione carnis, omnia, quæ in ipſam Deus contulerat beneficia depinxit, qua ratione, *manuum ſuarum operam, imperij ſui curam, afflatus ſui vaginam, molitionis ſuæ Reginam, liberalitatis ſuæ hæredem, Religionis ſuæ Sacerdotem, Teſtimonij ſui militem*, eò celſitudinis euexit, vt inſpirato in ea vitæ ſpiraculo ad ſui imaginem, & ſimilitudinem compactus homo, Dei opus pariter, & pignus ſurrexerit. Cuncta inaniter carni data, niſi vltimam adhiberet manum, & reſurrecturam efficeret, conteſtatur. *Auſim dicere, ſi hæc carni non accidiſſent, benignitas, gratia, miſericordia, omnis vis Dei benefica vacuiſſet* Liceat nũc Tertulliani ſententiam ad noſtrum deflectere inſtitutum. Nam ſi poſtquam Chriſtus Dominus tantum collocauit ſtudium, vt Beatũ Franciſcum ſuæ militiæ primipilum, ſuæ paupertatis hæredem, amoris ſui pignus, Eccleſiæ ſuæ reparatorem, Theſauri ſui cuſtodem, ſui fauoris impendium, ſuæ prouidentiæ curam, gratiæ luminibus, & virtutum coloribus adornauerit. Poſtquæ floridam, & regiam ipſius imaginem interius depinxit: & natiuitate, vita, magiſterio miraculis ſibi ſimilem fieri ſtuduit. Auſim dicere, Chriſti fauor gratia, benignitas, amorque beneficus vacuiſſet, niſi vltra hæc, externam corporis ſimilitudinem, Sacra Stigmata proprijs manibus imprimendo largiretur. Hæc eſſet Franciſci magnitudo, hæc beatitas, quod Chriſti manibus contrectaretur. *Phidiæ manus Iouem olympicum*, vt ait Tertullianus, *ex ebore molitur, & adoratur, nec iam beſtia deus eſt, ſed ſummum Cœli culmen: non quia Elephantus, ſed quia*

Phidias

Phidias tantus. Artificis itaque præſtantia, & magnitudo imagini reuerentiam, & magnitudinem conciliat. Cùm ergo ſtatueret Chriſtus in Franciſco viuam ſui imaginem Eccleſiæ relinquere: oportebat, vt manus artificis imagini proficeret: atque adeò ipſemet Chriſtus proprijs manibus contrectans ſigna ſimilitudinis imprimeret. Exindeque Franciſcus ſummum Eccleſiæ culmen teneret; non quia ipſe tantus: ſed quia Chriſtus viui ſimulacri artifex tantus.

Iam mihi videor B. Franciſcum cælitibus adſcriptum filio ſuo laico loquentem audire, & gloriantem quod talem ſibi gratiam Chriſtus impenderit, vt tactu ſuo dignum effecerit, & ſuæ paſſionis ſigna proprijs manibus ſculpſerit; ſicut Annales Minorum referunt; & Author Conformit. fruct. 31. *Chriſtus*, ait, *ſicut vulnera in Cruce ſuſcepit, ita manibus ſuis benedictis in corpore meo impreſſit, primò manibus, deinde pedibus, poſtea lateri vehementiſsimo corporis cruciatu*, Hæc filio S Pater, anno 1282. Cui iam in cælo degenti gloriari expediebat, & diuini fauoris beneficia recenſere. Satis Beatus quod adhuc in terris agens in Chriſti manus deuenerit, & ab eis tactus ſimilitudinem acceperit. Terram finxit Tertullianus *Iam nunc gloriantem, quòd illa puſillitas, limus in manu Dei quæcunque ſunt peruenit, ſatis beatus & ſi ſolummodo contactus*. Satis Beatus Franciſcus & ſi ſolo Chriſti contactu dignus eſſet, nedum, quod ex eo paſſionis ipſius ſigna, ſimilitudinemque percepit.

Annal. an. 1224. nu. 16. Piſanus. confor. 31.

Tertull. de Reſurrect.

Et quidem fauorem hunc ipſi conferendum vaticinatus eſt, vt aliqui ſentiunt, Zacharias cap. 23. *Ecce lapis, quem dedi coram IESV. Super lapidem vnum ſeptem oculi ſunt: Ecce ego cælabo ſculpturam eius, ait Dominus exercituum, & auferam iniquitatem terræ illius in die vna*. Diuus Hieronymus ad hunc locum, Prophetiam in litterali ſenſu de Chriſto ipſiuſque paſſione, & plagis in Cruce ſuſceptis exponit. Hoc tamen non vetat, quominus in eodem ſenſu de B. Franciſco ſtigmata ſuſcipiente poſſit intelligi: Nam quæ primò perſonæ conueniunt; Secundo loco ipſius imagini quomodolibet aptari poſſe quis inficiabitur. Igitur cum B. Franciſcus

Armenta ſerm. ſtigmat. Sancti Franciſci

Chriſti

Chiſti plagas ſuſcipiendo ipſius imago, & ſimilitudo extiterit. Quid mirum? Vt quæ de Chriſto plagato accipiuntur, etiam de B. Franciſco plagis conſignato accipienda ſtatuamus? Præſertim cùm prophetiæ verba ita videntur à ſancto Spiritu dictata; vt citra violentiam de Chriſto, & Franciſco viciſſim exponi valeant, vt ſingula percurrendo planum fiet.

Ecce lapis quem dedi coram IESV. Hoc eſt, Ecce Franciſcus coram IESV datus, & poſitus, vt ab eo contactus ſtigmata accipiat. Nec abſonum eſt, vt Franciſcus lapidi, ſeu petræ nomine præmonſtratus intelligatur. Nam vt refert Author Conformit. lib. 1. conform. 1. Ioachimus Abbas petræ nomine vaticinatus eſt Franciſcum in Eccleſiam aduenturum, ter ipſum nominans petram. Primò petram dicit fortem, duriſſimam, & inſecabilem. Secundò petram de Valle virginis. Tertiò petram litã oleo indeficienti. Quoquo modo hęc vertas, ſẽper tibi petrę nomine Frãciſcus aptiſsimè deſignatus occurret. Petram fortem illum recognoſces; quia vt dura ſilex, adamaſque fortiſſimus Eccleſiæ datus, Mundum ineffabili fortitudine vicit, animę hoſtes pluſquam adamantino robore comminuit, & perſecutionum tentamenta indomabilis ſuperauit. Petram duriſsimam, quam nec carnis blandimenta, nec auræ popularis lenocinia, nec Principum gratia, fauorque emollierunt. Petram inſecabilem, quæ diuidi, & partiri non potuit. Licuit enim Franciſco illud conſtantiæ elogium ſibi vſurpare, quod D. Paulus ad Roman. c. 8. n. 38. non inaniter gloriabundus proferebat. *Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neq. Principatus, neque virtutes, neque inſtãtia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto IESV Domino noſtro.* Deus immortalis? Quæ oppugnatorum cohors tam numeroſa producitur & à nullo ſuam victum iri cõſtantiam profitetur. Neminem illum à Dei amore, cui firmiter hærebat agglutinatus ſeparaturum ſperat. Non minorem (audacter dico) meũ in hoc Seraphicum parẽtem agno- Piſanus.

ſco. Nihil in illo obfuit ad Dei amorem. Petra fuit inſecabilis, quam nemo diuidere, & à Chriſto, ipſiuſque Vicario, cui promiſit obedientiam, potuit dimouere.

Fuit deinde hæc petra de Valle virginis, quam ſtudioſiſſimè colebat Et vallem eſſe Spoletanam credo, vbi Portiunculæ domus, in qua primùm huiuſmodi petra Eccleſiæ fundamento ſubſterni viſa eſt, cùm prima Ordinis Minorum hìc iacta ſunt fundamenta. Tertio petra eſt lita oleo: quia Franciſcus IESV nomine, quod oleum eſt effuſum delibutus, præ deuotionis affectu, & teneritudine totus in dulcedinem effluebat. Pro ſuperi! in tali duritie tantam ineſſe dulcedinem quis non miretur? Hinc liquabatur amore: inde Marpeſiæ cautis inſtar duritie obrigebat. Hinc mellitus, & oleatus verba dabat plena dulcedine, vt mulceret affectus: inde quaſi ſilex ferro tactus pro verbis ſcintillas, pro dulcedine ignem euibrabat, quo perſecutores incenderet. Sic tamen mirabiliter factus, & Chriſti manu compoſitus, vt haberet Eccleſia, *Vnde ſugeret mel de petra, & oleum de ſaxo duriſſimo*. Deuter.32.

Coram IESV datus eſt lapis; quia Franciſcus ab interno ipſius conſpectu nunquam recedebat. Semper illum orando intuebatur; vt quem ore tenebat dum loquebatur, in corde intra ſe reflexus aſpiceret. Maximè tamen coram IESV datus, cùm ab eo ſacris ſtigmatibus eſſet exornandus. Tunc Dominus coram ſe poſuit, & gratiſſimo recreauit aſpectu; vt videntis ſe pulchritudine delinitus, quantùm doloris ſentiebat in corpore dum ſacra vulnera imprimerentur: Tantùm dulcedinis in mente perciperet, dum ſuorum ſtigmatũ ſculptorem IESVM in ea Seraphini ſpecie pulcherrimum intueretur. Adfuit enim Chriſtus Franciſco, ſeque illi cominus aſpiciendum, & contrectandum exhibuit. Vnde eſt illud S. Bonauentura in Legenda maiori cap. 13. *Cumque celerrimo volatu perueniſſet ad aeris locum viro Dei propinquum, apparuit, inter alas effigies hominis Crucifixi in modum Crucis manus, & pedes extenſos habentis, & Cruci affixus*. Et paulò poſt ſubdit. *Lætabatur quidem in gratioſo aſpectu, quo à*

Chriſto

Chriſto ſub ſpecie Seraphim cernebat ſe conſpici. Verè ergo coram Ieſu datus lapis affirmatur, quia gratioſo ipſius aſpectu exhilaratus deſcribitur.

Super lapidem vnum ſeptem oculi ſunt. Oculos lapidem hunc aſpicientes, vel Dei oculos intellige, qui ab amore directi in Franciſcum ferebantur: vel Mundi oculos accipe, quos admiratio rapuit, ac in virum Dei ſacris ſtigmatibus inſignitum, Chriſtique imaginem redditum conuertit. Ita nonnulli interpretantur. *Ecce ego cælabo ſculpturam eius*. Quid clariùs dici potuit, vt Sancti Franciſci ſtigmatizatio Chriſti manu facta intelligeretur. Cælauit ipſe lapidem, cùm manus manibus, & pedes pedibus, laterique latus iungens Franciſco ſtigmata impreſſit. Nec ſigna tantùm externa impoſuit, ſed vulnera effodit, quæ manus pedes, & latus penetrarunt, & dolorem pariter, ac ſanguinem expreſſerunt. Quod innuiſſe videtur Hebraica Lectio, in qua habetur: *Ego aperiam ſciſſuram eius*. Et ſeptuaginta. *Ego fodiam foueam*, quod in idem recidit. Et ſtigmata non ſigna ſolùm, ſed vulnera patula, & penetrantia extitiſſe manifeſtat.

Quod autem Chriſtus (vt hæc prophetiæ interpretatio manifeſtat) ſtigmatum Sancti Franciſci author fuerit, & lapidis huius pretioſimi ſculpturam proprijs manibus cælauerit; indubitatum eſt. Et plurimorum Pontificum atteſtatione conſtat (vt referunt Munimenta Ordinis tract. 1. pag. 21. & 27. & Rodriguez in noua compilat. priuil tom. 1.) Gregorius IX. Alexander IV. Nicolaus III. Sixtus IV. & Sixtus V. ſuis diplomatibus id ſtatuerunt. Quos tam numeroſa Scriptorum cohors poſtmodum ſecuta eſt, vt omnes faſtidioſum ſit enumerando recenſere. Tres tantùm refero, D. Bonauenturam cap. 13. & cap. 16. Legend. maioris, & in opuſculo de ſex alis Seraphim. Et in Apolog. pauper. D. Antoninum Florẽtinum 3. part. tit. 24. c. 1. §. 3. & D. Bernardinum Senenſem de Euangelio æterno to. 2. ſerm. 60. Perbelle igitur interpretabimur, quòd Vates Chriſti nomine de Franciſco locutus, dixerit. *Ego cælabo ſculpturam eius*.

Quia ipſe ſtigmatum B. Franciſci author, & ſculptor ſolus extitit: & proprijs manibus ſuæ Paſsionis inſignia impreſſit.

S. Ioannes Damaſc. Nicephor. Venerandam Chriſti Redemptoris imaginem, quam olim Edeſſeni maximo deuotionis affectu percolebãt, non humano penicillo expreſſam, ſed diuina operatione extractam fuiſſe S. Ioannes Damaſcenus libro 4. de Orthodoxa fide, & Nicephorus Calixtus libro 2. tradiderunt. Et ita ſenſiſſe videtur Summus Pontifex Leo, cuius verba in ſecunda Synodo Nicena referuntur. *Eccleſiam*, inquit, *petiui, & venerandam imaginem non factam hominum manu adorari, & venerari à populo vidi*. Qua verò ratione id euenerit, præfati Authores commemorant. Cùm Abagarus Edeſſenorum Rex magno efferretur ſtudio Chriſti effigiem obtinendi: pictorem apprime peritum Hieroſolymam remiſit. Qui propriam Redemptoris figuram coloribus redderet, & ad Regem deportaret. Cùm autem artifex in Chriſti Domini conſpectum ſe dediſſet, & arrepto penicillo opus aggrederetur: maieſtate, & ſplendore, quem facies illa hominis Dei eiaculabatur, perculſus, hæſit: nec manum vltra mouere potuit. Tunc diuinus Saluator vt pio Regis ſtudio indulgeret: linteum picturæ paratum reſumpſit, & faciei leuiter applicans, propriam exculpſit imaninem, Regique deportandam artifici tradidit.

Languebat amore, & Chriſti videndi deſiderio flagrabat Sponſa, & viuam ipſius imaginem requirebat, vt Sponſi abſentiam ſolaretur. Quid ille? Franciſcum accepit, in quo ſibi mirum in modum complacuerat, & illum veluti candidiſsimum, & mundiſſimũ puritatis, & ſanctitatis linteum ſibi applicans, ſeque illi adiungens, ſua ſtigmata impreſſit, & ita roſeis decorum ſtigmatibus viuam ſui ipſius crucifixi imaginem effecit: nulli præterquam ſibi huiuſmodi miniſterium delegans. Vnde congruit egregiè vatis oraculum. *Ego cælabo ſculpturam eius*. In quo ſingularis prærogatiua elucet, quam Bernardinus de Buſtis in Roſario 2. part. ſer-

Bernard. de Buſtis. mone 27. graficè depingit. *Dedit autem* (inquit) *Chriſtus*

ſua

ſua ſtigmata Beato Franciſco, tanquam veſtimenta camerario ſuo dilectiſsimo, & tanquam inſignia ſua nuncio ſuo fideliſſimo, & tanquam vexillum ſuum ſtrenuiſſimo capitaneo, vt omnes eum ſecurè ſequantur per viam pœnitentiæ.

Et auferam iniquitatem terræ illius in die vna iſta dies eſt in qua Dominus IESVS ſua ſtigmata in carne B. Franciſci imprimens, illam terræ nomine non immeritò ſignificatam purgauit, & igne diuino omnem in ea peccati maculam abſumpſit. Quod mihi inuiſiſſe videtur S. Bernardinus Senenſis de Euangelio æterno ſerm. 60. vbi ad Rubum apud montem Oreb ardentem, & incombuſtum alludens, ita fatur *Ibi ardet Rubus, & non comburitur ſpina: quia in illa lege concupiſcentia ardet, & non remittuntur peccata. Et hæc reuelauit Dominus Moyſi. Hic* (ideſt in monte Aluernæ) *ardet apparens IESVS, & conſumit in Franciſco omnis peccati ſcoriam.* Verè quidem. Nam Dominus IESVS ſtigmata ſculpens Beato Franciſco, ſuique amoris incendio illum inflammans, ſibi ſimilem & veluti deificum contactu, & flamma reddidit. Vnde omnia peccata venialia ab eo abſtulit: & impoſterum communiuit nè in alia ſaltem deliberata incideret. Quinimo peccati fomitem in materia caſtitatis extinxit, quemadmodum de S. Benedicto ſtatuit D. Gregor. lib. 2. moral. cap. 2. & de D. Thoma Aquinate plurimi cenſuerunt. Et verò in præſagium, quod per ſtigmatum impreſſionem ſedanda eſſet in Franciſci pectore concupiſcentiæ tempeſtas; poſtquam in monte Aluernæ celebrata eſt ſtigmatizatio, ingens grandinis tempeſtas ceſſauit, quæ totum montem, & adiacentia loca, & vineas annis ſingulis deuaſtabat. Et ſanè congruum erat, vt qui externa plagarum ſimilitudine Chriſtum referebat in corpore, interna ſanctitate, & munditia eundem repræſentaret in mente. Ideoque ſtigmatum ſculptor IESVS in forma Seraphim apparuit ſigillum portans, & flammam: ſigillum quidem plagarum, vt externam inderet ſimilitudinem: flammam, vt vel minimam peccati labeculam abſumeret. Et quantum fas eſſet interiùs ſibi ſimilem in cordis munditia perficeret. Atque adeo Terra illa

Audal. Minor. ann. 1224. n. 14

Piſan. l. 3. conform. fruct. 3.

illa beatiſſima iam ſigillata diuinæ operationi aptiſsima redderetur. Non latuit Franciſcum hæc Chriſti in tali forma ipſum ſtigmatizantis diſpoſitio, vt apertè tradidit S. Bonauentura cap.13. Legendæ maioris, *Intellexit tandem*, inquit, *ex hoc, Domino reuelante, quod ideo huiuſmodi viro ſic diuina prouidentia ſuis fuerat præſentata conſpectibus, vt amicus Chriſti prænoſceret, ſe non per myſterium carnis, ſed per incendium mentis totum in Chriſti Crucifixi ſimilitudinem transformandum.*

Nec verò cuiquam mirum videbitur B. Franciſcum ad hunc perfectionis gradum aſcendiſſe, per Chriſti, in quem ſe transformauerat, ſimilitudinem: Si Doctori eximio Franciſco Suario aſſentiatur docenti tom.2. in 3.p.quæſt.37. Diſputat.17 ſect.2. Beatum Franciſcum poſt ſuam vocationem ſecundùm totum conatum gratiæ ſemper vſque ad mortem operatum fuiſſe. Meritò quidem: Nam propterea idem Doctor aſtruit, ibidem, Beatiſsimam Virginem ex toto gratiæ conatu ſemper operatam, quia nihil in ea fuit, quod impediret, aut retardaret, quominus diuinæ gratiæ cooperaretur quantùm poſſet. Non enim habuit fomitem, vel quamlibet in potentijs deordinationem. Et eandem operandi prærogatiuam Angelis conceſſam Doctores vt plurimum fatentur. Cùm igitur in B. Franciſco per Stigmatum impreſſionem, & transformationem in Chriſto, peccata omnia venialia de præterito fuerint ablata, & immunitas de futuro conceſſa, nè in alia ſaltem deliberata incurreret: Et inſuper in certa, ac determinata materia, videlicet caſtitatis fomes fuerit extinctus, atque adeò impedimentum amotum, quominus diuinæ gratiæ reſponderet: Quid mirum ſi eum exinde ſecundùm totum gratiæ conatum ſemper operatum, & in Chriſti Crucifixi ſimilitudinem exteriùs, & interiùs transformatum fuiſſe ſtatuerimus.

§. DECI.

§. DECIMVMTERTIVM.

Chriſti imago per Stigmatum impreſsionem in Franciſco effloreſcens perpetua eſt, ac indelebilis. Vnde in eo reſurrecturo, & inter cælites conſtituto ſplendidior remanebit.

CONueniunt ſuo munera largitori, & ſicut ipſemet ſtigmatum ſculptor IESVS æternitatis attributo gaudet, ita voluit, vt arma ſua, & ſimilitudinis inſignia Franciſco impreſſa cum æternitate decertarent. Non commodauit equidem cum hoſte pugnaturo, vt olim Saul arma ſua Dauid ad gigantis duellum profecturo contulit, iterum reſumpturus, ſed inuariabili donationis decreto ſtabiliuit, vt Franciſcus ſibi ſimilis, & in vita mortali: & poſt reſurrectionem, ſacra præferens Redemptoris inſignia monſtraretur. Biennium à ſtigmatum impreſsione vixit plagatus, teſtimonium ſanguine perhibente, quem linteolis adhibitis, præterquam à veſpere diei Iouis vſque ad totum Veneris diem, in paſſionis Dominicæ memoriam reprimebat. In eo iam vita functo eadem Chriſti inſignia permanſerunt, fæliciſſimo præſagio, quod cum eis ad æternam vitam eſſet rediturus. Fallar niſi hoc mihi ſonant Diui Bonauenturæ verba, ex Legenda maiori capite decimoquinto huc tranſcripta. *Beato namque viro*, ait, *migrante à ſæculo, ſpiritus ille ſacer domum æternitatis ingrediens, fontiſque vitæ hauſtu plenario glorioſus effectus, expreſſa quædam incorpore futuræ gloriæ ſigna reliquit, vt caro illa ſanctiſsima, quæ crucifixa cum vitijs in nouam iam creaturam tranſierat, & paſſionis Chriſti effigiem priuilegij ſingularitate præferret, & nouitate miraculi reſurrectionis ſpeciem præmonſtraret.*

Author conform. lib. 3. fruct. 31.

Nec ſolius futuræ Reſurrectionis imago in ſtigmatum impreſſione effulſit, ſed inſuper quędam B. Franciſci innocētię,

ſancti-

ſanctitatis, & magnitudinis conteſtatio iudicanda eſt. Nàm propterea Chriſtus ſuum B. Franciſco ſigillum impreſſit, quia eum veluti ceram candidiſſimam, & charitatis incendio mollem, transformationeque aptiſſimum reperit: Vnde Franciſcum aſpiciens rubentibus plagis inſignitum, nihil aptius dixeris, quàm quod Henricus de Vrimaria ſerm. 3. de Sancto Franciſco verè, & eleganter dixit: *In hoc euidenter apparuit, quod Beatus Franciſcus fuit ſigillatus Bullæ ſummi Pontificis, & conſignatus vexillo, & charactere ſummi Regis per impreſſionem Deifici ſtigmatis.* Itaque Chriſti vexillifer in Eccleſia militanti conſtitutus eſt B. Franciſcus. Et poſt reſurrectionem perſeuerantibus in eo plagis, Sanctorum Princeps in triumphanti Eccleſia reputabitur. Quinimo Beatam Vrbem Hieruſalem ſupremi Regis Curiam Sacrorum Stigmatum decore, & ſplendore colluſtrabit. Et quidem poſt Reſurrectionem ſacra Stigmata in Franciſco permanſura, S. Bernard. Senenſ. in Euangelio ęterno a. 2. cap. 13. & Mayronius ſerm. de Stigmat. tradiderunt, quos in ſacro Pancarpio ſecutus Abraham Bzouius Dominicani Ordinis, ita fatur: *Venerandus nobis B. Franciſcus ſtigmata Domini Ieſu in ſuo corpore portabit; & ſecum illa cælo inferet, quibus velut ſtellis fulgentiſſimis irradians, ſupernam Hieruſalem illuſtrabit in ſæcula.*

Iam verò non noua, nec inſolens aſſertio iudicanda eſt, in qua ſtatuimus B. Franciſcum cum Sacris Stigmatibus reſurrecturum, quoniam S. Auguſtini, S. Ambroſij, & plurium Theologorum placito maximè congruit. Qui in rediuiuis ſanctorum corporibus vulnerum cicatrices, & verberum liuores permanſuros exiſtimant. Vnde caro B. Laurentij flammis exuſta, & S. Stephani lapidibus rupta, in ipſis reſurgentibus perſeuerabit. Corporum tamen pulchritudinem mirificè augebit ſplendor, quem igneæ maculæ, lapidum tunſiones, verberum, & flagellorum ſulci colore ſanguineo florentes eiaculabuntur. Quinimò partam de carnifice victoriam huiuſmodi trophæis, & triumphi monumentis in corpore relictis, amplificabunt. Et non ſine voluptate

Auguſt. lib. 22. de Ciu. Dei cap. 20. Ambr. lib. 10. in luc. Suarez tom. 2. in 3 p. q. 54. diſp. 47. ſect. 2.

luptate Martyres, & alij in cæleſti beatitudine ſuarum victoriarum indicia vicissim ſpectabunt. Vt egregiè depinxit S. Auguſtinus lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 20. *Neſcio* inquit, *quomodo ſic afficimur amore martyrum, vt velimus in illo regno in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices; & fortaſſe videbimus: Non enim deformitas in eis, ſed dignitas erit; Et quædam quanuis in corpore, non corporis, ſed virtutis pulchritudo fulgebit.* Et quemadmodum Chriſto reſurgente carnem eius refloruiſſe, Regius vates decantauit. Pſalm. 27. *Refloruit caro mea,* quia quinque plagæ, veluti quinque pulcherrimæ roſæ, in manibus, pedibus, latere effloruerunt, ſic martyrum caro in extremo mundi die reflorebit, & vulnera fulgentia lætiſſimi flores apparebunt. Atque ex his conſtat, B. Franciſcum reſurgentem ſtigmata portaturum, quæ in ipſius corpore ad Chriſti ſimilitudinem, veluti quinque fulgentiſſimi Soles radiabunt. Quod non mediocri applauſu Curię cæleſtis inhabitatores ſpectabunt; quia in Beato Franciſco quinque ſtigmatibus inſignito, perfectiſſimum Chriſti exemplar intuebuntur, & in eo veluti in ſpeculo, fulgentiſſimas quinque ipſius plagas omnium redemptionem, ac trophæum, maxima cum delectatione conſpicient. Et quemadmodum Chriſtus plagarum ſplendore irradians, obiectum erit, quod corporeum Beatorum aſpectum recreabit, & ipſi ex plagarum contemplatione mirificè delectabuntur: eo quod malorum ſuorum remedium in eis admirentur; Ita B. Franciſci ſtigmata aſpicientes ijdemmet Beati, diuinique prototypi ſimilitudinem, & viuum Deifici illius ſignaculi exemplar intuentes, *ſignum Dei viui*; non parum delectationis percipient. Quinimo (audeo dicere) in Franciſci plagis, in quibus veluti in ſpeculo, Chriſti plagæ relucent, neſcio quid plus iucunditatis reperient. Nimirum plagarum authorem IESVM, qui manu propria B. Franciſcum ſtigmatibus decorauit. Cum tamen plagas ſuas Iudæorum rabie indignationeque inflictas ſuſtinuerit. Ex quo Beati mirum in modum ad Redemptoris ſui laudem excitabuntur. Quia B. Franciſcum

Pſalm. 27.

Apoc. 7.

proprijs

proprijs condecorans inſignibus, ita ſibi ſimilem reddidit, vt perfectum ſui ipſius ſimulacrum extiterit. In quo (teſte Ludouico Granatenſi to. 5. de ſanctis concione 2. D. Franc.) maximum eluxit amoris indicium. *Si igitur*, ait, *veſtium, & armorum donatio pro maximo argumento amicitiæ in ſanctis literis memoratur: quale (quæſo) fuit? Non veſtem, aut arcum, aut gladium, quæ extra corpus ſunt: ſed ipſa ſacrorum vulnerum ſtigmata, quæ Chriſtus Dominus in corpore ſuo geſtabat, in amici ſui corpus transferre?* Verè quidem magnum fuit, & nunquam ſatis commendandum diuini amoris argumentum: & prodigioſa ſtigmatum (vt mox dicemus) impreſſio, inauditum continet diuinæ voluntatis affectum.

§. DECIMVMQVARTVM.

Similitudo per ſtigmatum impreſſionem Franciſco data tam in vita, quàm in morte prodigijs clarvit.

TRes in B. Franciſci ſtigmatibus diſtinguendi ſunt ſtatus; primus in vita; ſecundus in morte; tertius in reſurrectione, de omnibus in ordine ſuo tractabimus.

Primò in vita cenſeri debent prodigioſa: quoniam, vt optime aduertit Robertus de Leuio Aquinatenſis Epiſcopus ſerm. de ſtigmat. S. Franc. cap. 2. inſolitum fuit prodigium, & ſingularitate admirandum quod vir Dei per biennium ſic plagatus vitam producere potuiſſet. (Cùm tamen Chriſti plagæ proxima mortis ipſius cauſa extiterunt) quin medicamen aliquod, vnguentum vè adhiberet. Et inſuper remedio deſtitutæ perpetuum odorem, pro incorruptionis admirandæ teſtimonio exhalabant. *Non enim*, ait, *potuiſſet per naturam viuere duobus annis plagatus in quinque locis ſpaſmoſis, ex quibus continuò fluebat ſanguis cum dolore vehementi, non ſolum corporis, ſed & cordis, ex memoria paſſionis Dominicæ, nec vſus eſt pro tanto tempore aliquo vnguento,*

to, vel medicina, ſed tantum pannis reſtinguebat ſanguinem manantem: Quem ſexta feria liberè prodire ſinebat. Et quæ miraculum augebant, erant illæ plagæ odore fragrantiſſimo, ex quibus nulla vnquam putredo. aut immunditia profluxit. At cur incorruptionis prærogatiua non gauderent? Quæ non tantum vlcera, & plagæ erant, quàm portæ Chriſti manibus in corpore B. Franciſci adapertæ, vt cor amore exæſtuans flammarum incendium exhalando mitigaret, ſicut egregiè philoſophatus eſt S. Bernardinus Senenſis ſerm. 6. a. 2. cap. 3. tom. 2. *O quanto amore,* inquit, *Franciſcus ardebat, cui ampliſſimi cordis regio non ſufficit: quin ipſa flamma amoris euaporaret per quinque corporis ſui aperturas.* Nec amoris tantum portas pretioſa ſtigmata dixerim: ſed quinque talenta B. Franciſco tradita, vt Eccleſiam repararet, iure optimo nuncupauerim. Nam quemadmodum Chriſtus quinque plagis in corpore ſuſceptis captiuum mundum, & perditum tanquam talentis quinque redemit. Sic alia quinque talenta, videlicet ſtigmata Franciſco dedit, vt illis collabantem Chriſti domum, hoc eſt, Eccleſiam reſtauraret. Perbellè in hanc rem exclamat lib. 2. de contemplatione Marcus Marulus. *O felicem ſeruum, cui Dominus tradidit quinque talenta, vt quibus ille perditum reparauit mundum, hic labentem repararet Eccleſiam.*

S. Bernar.

Dum autem ſacra ſtigmata in vitæ ſtatu prodigijs clarerent, à multis conſpecta ſunt, vt refert S. Bonauentura cuius hæc ſunt cap. 13. maior. leg. *Viderunt enim dum viueret fratres plurimi, qui licet eſſent propter ſanctitatem præcipuam viri per omnia fide digni. Tamen ad omne dubium amouendum: ſic eſſe, ac ſe vidiſſe tactis ſacroſanctis iuramento firmarunt. Viderunt etiam ex familiaritate, quam cum viro ſancto habebant aliqui Cardinales: laudes ſacrorum ſtigmatum; proſis, & hymnis, & antiphonis, quas ad ipſius ediderunt honorem veraciter inſerentes; qui tàm verbo, quàm ſcripto perhibuerunt teſtimonium veritati: Summus etiam Pontifex Dominus Alexander cum populo prædicaret coram multis fratribus, & me ipſo affirmauit, ſe dum ſanctus viueret*

D. Bonau. c. 13. leg. maior.

ſtigmata illa ſacra ſuis oculis conſpexiſſe.

Secundò, in mortis ſtatu, prodigioſa miraculorum claritate Franciſci ſtigmata effulſerunt: quia ipſo emortuo mirum exhalabant odorem,& roſeo colore vernabāt,hauſta à Chriſti ſculptoris manu incorruptionis virtute, quàm in totum corpus mirabiliter transfuderunt. Hæc veritas oculatiſſimorum teſtium aſſertione patuit. Nam, vt S. Bonauentura cap.13. legendæ maioris affirmat. *Viderunt in morte pluſquam quinquaginta Fratres, virgoque Deo deuotiſſima Clara cum cæteris ſororibus ſuis, & ſæculares innumeri, ex quibus, quemadmodum ſuo loco dicetur, quamplurimi; & oſculati ſunt, & contrectauerunt manibus ad teſtimonij firmitatem.* Quæ vt maior eſſet, & diuturnior, non ad paucos, ſed plurimos annos in de mortuo corpore recentes, & incorruptæ ſtigmatum aperturæ, quaſi tunc mucrone perforatæ extitiſſent, ſuaue olentiam ſpirantes, & ſanguine madentes permanſerunt. Vidit Anno Redemptionis noſtræ 1449. Nicolaus Pontifex huius nominis quintus. Viderunt etiam Pontificem comitati Cardinalis Aſtergius tit. Sancti Euſebij; Epiſcopus quidam Gallicus apud Pontificem magna pollens authoritate, Petrus de Noceto, Guardianus Aſſiſias, & tres alij, quos è conuentu ſocios delegerat. Igitur omnes hi, vt morti proximus teſtimonio indubitabili depoſuit Cardinalis Auſtergius (& referunt Annal. Minor. ann.1230. nu.3. Ribaden.tom.1. in vita S. Franc. 4. Octobris, & alij) in Pontificis comitatu ſacra ſtigmata in lacrymas effuſi,& prę deuotionis teneritudine liqueſcentes inſpexerunt. Cardinalis Auſtergij depoſitionem huc non transfero, ſed ſeruata rei ſubſtantia, & veritate ad breuiores terminos reduco. Statuta hora locum ſepulchri adeunt, in quo pretioſiſſimus ſeraphici corporis Theſaurus ſeruabatur: Lapides amouentur: ſeptemdecim marmorei gradus deſcendentibus pateſcunt, per quos magno ſilentio cùm deſcendiſſent, oſtium ferreum inuenerunt, quod tres ferreæ catenæ ex ordine obſerabant,& inductis clauibus mox apertæ, ingredienti Pontifici aditum præbuerunt.

Annal. minor. ann. 1230. n.4 Ribadeneira tom. 1. in vita S. Franc.

Ille

Ille ſolus ingrediens ante pedes ſancti corporis humiliter procumbens, ſic vbertim flebat, vt ploratus à foris ſtantibus audiretur. Corpus autem illud ſacrum B. Franciſci ſupra baſim marmoream erectum ſtabat, facie ad occaſum tendens, & oculis eleuatis in cœlum; manus item ſimul iunctas, qualiter fratres gerere ſolent, habitus manicæ cooperiebant. Et totum corpus ita erat incorruptum, quaſi prima die eſſet depoſitum; ſicque lucidos, & ſplendentes habebat oculos, vt nulla ad viuos eſſet differentia; & inſuper odorem ſuauiſſimum exhalabat. Poſtquam verò Pontifex à lachrymis, & gemitibus aliquantulum temperauit, ad B. Franciſci pedes iterum ſe proiecit, & veſtimenti fimbriam extollens pedes detexit, in quibus ſacra ſtigmata radiabant: Nam vt Aſtergius oculatus teſtis concludit. *Erat in pedis ſancti medio foramen cum ſanguine ita recenti, ac ſi tunc mucrone pes fuiſſet confoſſus, huius quidem rei aſpectu ſingultus magnus omnes arripuit. Et quis cogitare poſſet animi motionem? Animum prædeuotione liqueſcere? alienari ſenſum? & vires totas deſtitui? Omnes autem ante receſſum è loco oſculum dedimus ſancto pedi; omneſque pariter ob odorem refocillati ſumus. Pes verò alius fimbria habitus operiebatur, nec nobis viſum fuit illum violenter arripere. Manus ſimiliter perforatæ vt pedes cernebantur, recentem ſanguinem oſtendentes. O igitur memoria profunda noſtræ Redemptionis in ſeruo intueri, quæ in Redemptore prius fuerunt! O igitur ſacra vulnera, & dulci oſculatione digna, quæ poſt humanum lapſum in remedium data ſunt. Et quis noſtrum, qui ibidem aderamus auſus fuit amplius ſacrum corpus tangere, niſi ſolus ſummus Pontifex, ipſe enim manus illius pretioſas oſculatus eſt, oſculumque ſacro ori dedit. A quinta verò noctis hora, vſque ad vndecimam illic manſimus ſuauiſſimo odore repleti. Cùm verò à narrantibus nuntiatum fuit nobis diem prope eſſe, doluit quam maximè: Viſum enim fuerat nobis per horam ibi fuiſſe.* Hactenus ille. Itaque non ſolum ſummus Pontifex Nicolaus Quintus, ſed etiam Cardinalis Auſtergius, & ſupra memorati ſacrorum ſtigmatum ſpectatores extiterunt. Quamquam præ re-

uerentia tangere non ſunt auſi : vidiſſe oſculari, & ſuaueolentia delectari ſummopere gratulantes. Non poſſum tamen Pontificis affectum non demirari, qui præter lachrymas, & ſingultus in talem animi præ teneritudine liqueſcentis affectum prolaſus eſt, vt oſculum mortuo in facie impreſſerit, ſi tamen mortuus reputari debet, in quo tot vitæ, incorruptioniſque inſignia perennabant. Et ni fallor, hucuſque perſeuerant, & ad vltimum Iudicij magni diem permanebunt.

Nec mirum videri debet, vt ita futurum mihi perſuadeam. Nam multos poſt annos alij viri Principes Sancti Franciſci corpus cernere voluerunt, & in eodem quo retuli ſtatu, pari deuotione, & admiratione conſpexerunt: Inter quos memoratur Sixtus quartus Pontifex maximus, Aegidius Carrillius Albornozius Cardinalis Hiſpanus, Dux Mediolanenſis, Franciſcus Sforza, & viri quidam Aſſiſiates; In quibus Galeotus à Galeotis de Biſtochio ad annum 1509. vna cum fratre Iulio à Leccio Conuentus Cuſtode, & fratre Iuliano Colloſtate ſacriſta, qui noctu ſacrum aperuerunt theſaurum, & incredibili voluptate delibuti negotiatoris inſtar Euangelici non pretioſam vnam margaritam inueniſſe contenti; ſed corpus illud incorruptum, erectum, odoratum, recentibus ſanguine, & rubicundis ſtigmatibus perforatum inuenerunt. Cuius rei teſtimonium Galleotus moriens filio reliquit, & in Conuentu Sanctæ Mariæ Angelorum aſſeruatur. Ex quo Annales Minorum tranſcripſere, ſicut ibidem Anno 1230. numero 5. perlegimus.

Annal. minor. ann. 1230. n. 5.

§. DE-

§. DECIMVMQVINTVM.

Chriſtus reſurgens apertas in corpore plagas, & penetrantes retinuit: ſicque in B. Franciſco reſurrecturo ſtatuet, vt ſtigmata eodem modo perſeuerent; & tam in Cœlo, quàm in finibus ad plagarum retentionem intentis, Chriſto ſimilis videatur.

MOrte triumphata Chriſtus animam, quam pro nobis in Cruce poſuerat, iterum reſumens, quinque vulnerum ſigna,& foramina in corpore glorioſo noluit abolere: ſed qualia clauis in cruce confoſſus ſuſcepit, aperta, penetrantia, & profunda reſeruauit, tanquam victoriæ monumenta, quibus Reſurrectionis ſuæ gloriam illuſtraret, & nouam corporis ſui laboribus dignitatem afferret. Vnde irridenda eſt Porphyrij cæcutientis impietas, qui Redemptoris noſtri plagas in corpore glorioſo retentas, non veras, ſed fictas, apparenteſque, extitiſſe auſus eſt effutire. Alioquin, vt impius obiectabat, magnum fuit impotentiæ, imbecillitatiſq. argumentum, quod reſurgens plagarũ cicatrices curare non potuiſſet. Inanem Hęretici argutationẽ profert D. Aug. epiſt. 49. in hunc modum. *Si poſt Reſurrectionẽ ſtatus beatus futurus eſt: quid ſibi vult cibatũ Chriſtum fuiſſe, & vulnera monſtrauiſſe? ſed ſi propter incredulũ fecit: finxit? ſi autem verum oſtendit: ergo in reſurrectione accepta futura ſunt vulnera.* Exiſtimabat impius Chriſto defuiſſe virtutem, vt in corpore ſurgente vulnera deleret, vel ſi deleuit, fictionis arguere nitebatur, qui diſcipulo credere renitenti non veras, ſed fictas, & apparentes plagas oſtendit. Ex eadẽ impotẽtia, quã alij pari hebetudine Chriſto imponebant, vt refert Beda ad cap. vlt. Luc. contra reſurrectionis noſtræ veritatem arguebant. *Si*, aiebant, *Deus veſter nec ſibi inflicta à Iudæis vulnera curare præualuit qua temeritate putatis cum veſtra de puluere membra ad integrum reſtauraturum?*

D. Auguſt. Epiſt. 49.

Beda in cap. vltum. Lucæ.

Futilis

Futilis tamen eſt huiuſmodi argumentatio, nec niſi à fungoſis, & hebetibus proponi poterat. Quoniam ſi Chriſtus poteſtatem habuit, vt ſeipſum à mortuis excitaret; multò meliùs à corpore plagas auferret. Quod ſi apertas ibi reliquit: propriæ voluntatis opus, ac libera diſpoſitio reputanda eſt, non infirmitatis neceſſitas, aut impotens naturæ fragilitas. Cùm etiamſi iterum moriturus reſurgeret; non parum potentię oſtentabat plagas relinquens, cum quibus vitam longiùs producere ſtatuebat, ſicut ſupra de Beati Franciſci ſtigmatibus aſſeruimus, cum quibus non naturali virtute, ſed diuina potentia per biennium vitam protraxit. Hinc eſt vt Doctores communi aſſenſu ſtatuant, Chriſtum Dominum poſt reſurrectionem in manibus, pedibus, & latere plagarum foramina ad aperta, & penetrantia reliquiſſe. Ita cen-
Abulenſ. ſuit Abulenſis Paradoxo 5. cap.25. & 26. cui recentiores
Suar. *Caietan.* ſubſcribunt, Suarez 3. part. tom. 2. quæſt. 53. art. 4. Caietan.
Ianſen. ibid. Ianſen. cap. 147 Concord. Tolet. in Ioan. cap. 20. & alij,
Tolet. *Cyrillus.* quibus præiuit D. Cyrillus lib. de fide ad Theodoſ. circa finem: vbi ita habet. *Poſtquam Thomas manus in latus, & digitos in clauorum foramina intuliſſet: ſtatim exclamauit, Dominus meus, & Deus meus.* Eodem etiam reſpicit illud D.
Greg. Naz. Gregorj Nazianzeni orat. 42. vbi dicit, *Manſiſſe clauorum impreſſiones.* Euthymius quoque in Ioannem, ait: *Thomam vidiſſe loca clauorum, & latus Chriſti apertum.* Quæ omnia
Ioan.20. congruunt Euangelio, in quo Ioan. cap. 20. de Thoma locutus, hæc habet: *Niſi videro in manibus eius fixuram clauorũ, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius non credam.* Quæ verba propterea ab Apoſtolo Thoma videntur prolata, quia ab alijs diſcipulis de Magiſtri Reſurrectione confabulantibus audierat, Chriſtum cum plagis, & clauorum foraminibus, ac rupturis
D. Chryſol. ſurrexiſſe. Huc fortè reſpexit D. Petrus Chryſologus ſermone 18. verba illa Chriſti pertractans. *Videte manus meas & pedes meos*, & ipſum diſcipulos ita alloquentem introducit. *Quia grauatis oculis caput adhuc reſpiſcere non poteſtis, videte carnis vulnera; oculus non videt, videat tactus digiti*

veſtri intrent veſtigia clauorum: manus veſtræ alta vulneris exquirant: Aperite manuum foramina, ſulcate latus, renouate vulnera: quia negare non poſſum diſcipulis ad fidem, quod inimicis in pœnam ſæuientibus non negaui. Palpate, & vſque ad oſſa inquiſitores ardui peruenite; vt vel oſſa carnis aſtruant veritatem: & me eſſe ipſum, vel vulnera ſeruata teſtentur. Tandem poſtquam Chriſtus Thomam exhortatus eſt, vt digitis plagas, & latus manu exploraret, dicens: *Infer digitum tuum huc, & mitte manum tuam in latus meum.* palàm oſtendit clauorum, & lanceæ aperturas ibi remanſiſſe, per quas exploratoris manus, digitique immitti poſſent; de quibus egregiè philoſophatur S. Petrus Chryſolog. ſerm.76. *Dominus*, inquit, *eandem redit in carnem, vulnera reportat, ipſa clauorum foramina reſumit. Et ipſa facit teſtimonia ſui corporis, ſuæ reſurrectionis indicia, quæ ſuæ fuerant contumeliæ Paſſionis.* Quemadmodum igitur Chriſtus reſurgens, veras plagarum aperturas, & foramina conſeruauit: Sic etiam B. Franciſcus, vt ſupra ſtatuimus, cùm ſurrexerit, ſtigmata ſua, & ſtigmatum hiatus, penetranteſque rupturas in manibus, pedibus, & latere retinebit; vt in omnibus imago ſuo reſpondeat prothotypo, & figura conformis exiſtat figurato. *D. Chriſol.*

Seruauit ergo Dominus Ieſus in corpore reſurgente ſuorum vulnerũ, non ſigna tantùm, ſed aperta victoriæ monumenta, quæ in manibus, pedibus, latereque ſplendidiùs radiabant. Plurimæ verò & graues admodum cauſæ à Sanctis Patribus, ſacræ Theologiæ Doctoribus, & ſcripturarum interpretibus afferuntur, ob quas vulnerum cicatrices reſurgens conſeruauit. Nonnullas proferemus, quæ ponderoſiùs examinatæ prærogatiuam oſtentabunt Beato Franciſco reſurrecturo concedendam, vt cum Chriſto in aëra obuiam rapiatur, ipſius cum ſtigmatibus reſurgentis imaginem portet; ſicut iam in mortali vita patientis ſimulacrum vulnera ſuſtinens retulerat.

Prima cauſa ob quam Chriſtus in corpore ſuo glorioſo plagas retinuit, illa eſt, quam Sanctus innuit Auguſtinus epi-

ſtola

ſtola 49. Nimirum, vt victoriæ inſignia, trophæique monumenta conſeruaret: & arma, quibus dæmonem in Cruce vicerat, finito iam prælio glorioſus oſtentaret.
D.Auguſt. *Sunt*, inquit, *in corpore veſtigia vulnerum tanquam tituli gloriarum*. Non abludit Santus Ambroſius in capite vlti-
D.Ambroſ. mo Luc. dicens: *Talem ſibi Pater ad dexteram locat, trophæum noſtræ ſalutis amplectens*. Bernardus ſermone tertio de reſurrectione ait, *Intrauit Dominus ad diſcipulos, oſtendens manus, & latus, ſicut ſolent in ſignum virtutis clypeorum foramina monſtrari*. Sacratiſſimum Chriſti corpus clypeum dices pulcherrimum quinque locis in morte perforatum, & in reſurrectione quinque roſis diſtinctum, vel quinque Solibus fulgurantem. Hæc autem vulnera, velut arma, & trophæa in proprio corpore, quaſi è templi tholo ſuſpendens conſecrauit, vt perpetuam triumphi de hoſtibus parti memoriam oſtentaret. Tamque diuturna erit in Beatis triumphi memoria, quam ipſorum Beatitudo, in qua rutilantes in Chriſti corpore plagas inſpiciunt, & in eis ſuæ Beatitudinis pretium adamabunt.

Huius autem gloriæ elogium, ac trophei decus nulli Sanctorum, præterquam Beato Franciſco viſus eſt impertiri, cum quo ex docti cuiſdam arbitrio, apud Iſaiam
Iſaias. capite 48. locutus hæc ait. *Ecce excoxi te, ſed non quaſi argentum: Elegi te in camino paupertatis: propter me, propter me faciam, vt non blaſphemer*; *Et gloriam meam alteri non dabo*. Planè Franciſcum in mortificationis, omnimodæque ſui ipſius abnegationis fornace Deus excoxit. Et quidquid in eo terrenum erat, penitus abſumpſit. Quia verò argentum igne concoctum præſtantiùs, lucidiùſque euadit; idcircò ait: *Excoxi te, ſed non quaſi argentum*. Eo quòd alia ratione longè diuerſa Franciſcum excoxit, nimirum, in perfectiſſimæ paupertatis ſequela. Id enim ſignificat illud, quod ſequitur: *Elegi te in camino paupertatis*. Dum autem Franciſcus in paupertatis, aliarumque virtutum obſeruantia, perfectionem Euangelicam oſtentauit;

Chriſti

Chriſti honori, ac dignitati conſuluit; omnemque blaſphemiæ aditum occluſit. Nè quis obijcere poſſet, quod legem condidiſſet, quam nullus mortalium obſeruare poſſet: proindeque legislatorem, vt nimis auſterum, & parum prudentem blaſphemando impeteret. Ideò ſubiunxit: *Propter me, propter me faciam, vt non blaſphemer*. Poſtrema verba ad Franciſcum præcipuè diriguntur. Cui Chriſtus plagas ſuas gloriarum, & triumphorum elogia conceſsit, quæ ſunt *quidam tituli gloriarum*. Et cùm in ſolum Franciſcum ampliorem contulerit dignitatis cumulum, & gloriæ choragium: Adiecit: *Et gloriam meam alteri non dabo*. Qua planè gloria Franciſcus apud cælites conſpicuus Chriſtum aſſociabit, ipſiuſque ſimilitudinem referet, & hac ſola quodcunque ſuperabit celebritatis encomium, & ſupra omnem dignitatis apicem euehetur. Siquidem Rex Regum, & Dominus Dominantium, mortis victor, infernique triumphator Ieſus, inſpectantibus Beatis, victoriarum ſuarum trophæa, & armorum inſignia, in Franciſco collocat, & quaſi in ſublimi loco, victorum more ſuſpendit. Vbi quantum præ alijs Franciſcum diligat apertiſsimo probat amoris indicio. Et quem paupertate, & cæteris virtutibus Chriſto ſimilem Mundus cum admiratione ſuſpexit. Cælum Chriſti ſimilitudine, decorum, tropheis clarum, victoriarũ inſignibus illuſtrem maxima cum iucunditate intueretur. Pulchrum eſt eſt in hanc rem illud Marci Maruli lib. 2. de contemplat. cum Beato Franciſco colloquium *Vt cuius paupertatem, manſuetudinem, humilitatem fueras imitatus. Eius etiam beatiſſimæ paſſionis ſigna in manibus, in latere, in pedibus referres*. S. Bonauent. in Apolog. Pauper. c. 3. ad Euangelicæ perfectionis cuſtodiam hoc refert beneficium. *Proinde*, ait, *dignè huic pauperculo ſacro, qui perfectionem Euangelicam ſeruauit, & docuit in apparitione Seraphica ſtigmata ſua Deus, tanquam ſigillum approbatiuum impreſſit*. Marc. Mar. S. Bonau.

Secunda: quinque vulnerum cicatrices, poſt deuictam mortem, Chriſtus ſuo reſeruauit in corpore, vt ijs quaſi feneſtris cor ſuũ, & pientiſſima erga hominem viſcera manife-

Bernard. ſtaret. Quod D. Bernardus ſerm. 61. in cantica diſertiſſimè notauit. *Patet*, inquit, *arcanum cordis per foramina corporis: patet magnum illud pietatis Sacramentum: patent viſcera miſericordiæ Dei noſtri. Quidni viſcera per vulnera pateant? In quonam enim clarius, quàm in vulneribus tuis Domine eluxiſſet quòd tu ſuauis, & mitis, & multa es miſericordiæ*. Eodem etiam aſpectu permiſit, vt in glorioſo Beati Franciſci corpore ſacra ſtigmata conſeruarentur; Vt quemadmodum Chriſti plagæ ipſius erga hominem amoris indices erant: Ità Franciſci vulnera ipſius in Chriſtum, & Chriſti in ipſum amorem prædicarent. Vnde eſt Alfon. de Oroſco. illud Alfonſi de Oroſco in annotatione Beati Franciſci. *O priuilegium ſingulare, ò vere magnum diuini amoris ſignum. Non clauis ferreis: non lancea dira: ſed enſe charitatis, & dilectionis ſtupendæ Chriſtus vulnera ſua depinxit in dilecto ſuo Franciſco*. Deinde in corpore adaperta mirandam animæ transformationem teſtarentur: Et quem in corde dulciſſimis amoris vinculis catenatum retinebat patentibus plagis quaſi feneſtris oſtenderet. Fallar niſi hoc mihi S. Bonau. ſonant verba illa D. Bonauenturæ ex legenda maiori cap. 9. tranſumpta. *Chriſtus Ieſus Crucifixus intra ſuæ mentis vbera, vt myhrræ faſciculus iugiter morabatur, in quem optabat per exceſſiui amoris incendium transformari*. Flagrabat amoris igne Franciſcus. Et quia ignis in corde accenſus abſcondi non poteſt: neceſſe fuit, vt apertis in corpore vulneribus proderetur.

§. DECIMVMSEXTVM.

Alij fines recenſetur, quorum aſpectu Chriſtus plagas ſuas retinuit, & in Franciſco ſtigmata velut in imagine ſua conſeruabit.

VOlupe eſt, vt quæ aliquando pertulimus frequenter meminerimus. Et ſiquæ paſſionis monumenta ſuperſint,

perſint, alijs oſtendamus, vt aſpiciendo beneficia, & victoriæ trophæa, & gratias nobis referant. *Et benè apud memores veteris ſtet gratia facti.* Ideò Chriſtus in cælo plagas ſuas retinuit, vt perpetuam in cæleſtibus Redemptionis memoriam conſeruet, earumque aſpectu ad agendas ſibi gratias impellat. Author mihi eſt Haymon cap. 20. in Ioan. *Signa,* inquit, *vulnerum obliterare noluit Dominus, vt electi, qui aſſumuntur in patriam cæleſtem, videntes eaſdem cicatrices in corpore Redemptoris ſui, indeſinenter ei gratias agant.* Beda ad citatum Ioan locum, eandem inculcat rationem, dicens: *ſeruauit ſigna mortis, vt ſua morte redemptis, quam miſericorditer ſint adiuti; propoſitis ſemper eiuſdem mortis innouet indicijs. Ideoque miſericordias Domini in æternum cantare non ceſſent.*

Hinc apertiſſimum eruitur argumentum, quo præcellentiſſima B. Franciſci prærogatiua demonſtratur. Et dùm ad Chriſti ſimilitudinem quinque ſtigmata reſurrecturus conſeruabit, quantum in Redemptorem ſuum fuerit transformatus aſpicietur. Deinde propria ſtigmata in Beato corpore deferens, Redemptoris Paſſionem ab Beatorum memoriam reuocabit, ipſorumque aſpectibus indiſinenter ſubijciet. Et præterea incitamento erit, vt dum in Franciſco Chriſti ſtigmata proprijs manibus impreſſa, & in Redemptore plagas ſuas contemplantur: in Franciſco viuum Chriſti vident ſimulacrum, & in Chriſto ſuarum victoriarum inſignia venerentur. Atque adeo vtriuſque aſpectu recreati Chriſtum in Franciſco, & in Chriſto Franciſcum perenniter laudabunt. Et mutuo amborum conſpectu Dominicæ paſſionis memoriam retinebunt, quam velut diuinarum miſerationum fontem per quinque fulgentiſſima vulnera ſcaturientem delectabiliter contemplabuntur.

Quinimo (dicere auſim) aliquid laudis, & præconij in Franciſci ſtigmatibus cernent, quod in Chriſti vulneribus non reperient. Etenim omnia quinque ſtigmata dolorem Franciſco pepererunt. Non ſolum dum ipſi infligerentur, ſed per biennium, quod cum ijs vixit. At verò Chriſti pla-

gæ non omnes illum diſcruciarũt: Nam laterale vulnus mortuo iam inflictum, nullius cauſa fuit doloris. Et proinde, vt patiendi amantiſſimus, dum plagas glorioſa ſuæ paſſionis
Pſalm. 21. monumenta recenſeret, dicens: *Foderunt manus meas, & pedes meos*, lateris vulnus ſilentio ſuppreſſit, ac ſi illud non accepiſſet: eo quod nullum doloris ſenſum expreſsit. Et voluptatem, ac delectationem abſtulit, quam pro hominibus dolorem ſuſtinendo perciperet. Vnde poſt reſurrectionem ſuſcepta de Thomæ incredulitate occaſione, remanentes in
Ioan. 20. corpore vulnerum cicatrices refricare voluit. Incredulum qui dixerat: *Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locũ clauorum, & manum meã in latus eius, non credam*, exhortando apud Ioan. cap. 20. *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum*. Non poterat certè in corpore glorioſo dolorem iterum ſentire: Volebat tamen nouæ digitorum fixionis aſpectu delectari. Nam Thomæ digiti vice clauorũ, vulnera perforabant; & manus inſtar lanceæ, cuius figuram extenta repræſentat, latus penetrabat. Et quod dolori deerat, voluptati, & repræſentationi ſatis habebatur. Nam digiti præteritam clauorum perforationem repetebant. Ita enim accipienda ſunt illa verba: *In locum clauorum*. Hoc eſt, digitos huc pro clauis intromitte: Delector enim hac fixionis repreſentatione; quia verò dum miles lanceam dirigeret, vulnus, minitaretur, cor ferrũ penetraret, Chriſtus iam mortuus, nec feriendi conatum, nec haſtæ venientis impulſum vidit, nec vulneris dolorem ſenſit: Iam glorioſus Thomæ manu, in qua lanceam videbat, feriendi impulſum, & conatum referre voluit, exhortatus. *Mitte manum tuam in latus meum*. Vt quod tunc patiendi deſiderio, dolorique defuerat, nunc ad delectationem ſupereſſet. Amori tamen nihil ſatis eſt: nihil minus ſeipſo. Et ideò non contentus lateris apertionem hac oſtentatione repetere, quia vtrobique patiendi, & dolendi voluptate carebat: aliam adinuenit. Seraphicum Franciſcum, quem ſibi transformando vnanimem reddiderat, in latere vul-

nerat,

nerat, dolorem ibi acerbiſſimum exprimit, vt quoniam in proprio corpore vulnus ſuſcipiendo non doluerat, in vnanimis ſui corpore dum feriretur, doleret. Atque adeò iam quinque ipſius plagæ doloris prærogatiuam obtinerent. Et Franciſcus de vulnere dolens Chriſti amori quodam modo indulgeret, & dolorem, qui ipſi in ſuſcipiendo laterali vulnere defecerat, aliqualiter commodaret. Quod in cæleſti patria contemplantes Beati non poterunt non Sancti Franciſci excellentiam demirari, qui ſtigmatibus quinque inſignitus, & Chriſti imago redditus, ipſius amori indulſerat, dum in vulnere laterali Chriſti in hac parte Vicarius dolorem ſenſerit, quem ille iam mortuus non perceperat.

Secundò noluit Chriſtus corporis ſui vulnera abolere; ſed lanceæ, & clauorum foramina reſurgens retinuit, vt idem corpus, quod in Cruce fuerat ſuſpenſum, reſurrexiſſe comprobaret. Ita cenſuit Diuus Chryſoſtomus Homilia octuageſima ſexta in Ioannem. *Vt ipſum*, inquit, *Dominum crucifixum fuiſſe, & neminem alium pro eo reſurrexiſſe intelligas*. Diuus Cyrillus: *Paſſionis*, ait, *notas Chriſtus retinuit, vt Reſurrectionis myſterium rectè intelligamus: non aliud corpus reſurrexiſſe credentes, quàm quod cruciatum mortuum fuit*. Et verò plagarum cicatrices in corpore remanentes non ſolùm corpus illud vnum, idemque eſſe demonſtrabat: ſed inſuper amoris perſeuerantiam teſtabantur. Amantium enim mos eſt; vt cùm primùm eos amoris impenſi pœnitet, omnia dilectionis pignora & cordis monumenta abolere velint. Nec quidquam impenſius oderunt quàm ſi antiqua dilectorum officia ad memoriam reuocentur. Nedum quos pro ipſis labores obierunt. At verò Chriſtus cujus erga nos amor mnes alios vicit affectus Vulnera retinuit, vt ea in ipſius corpore aſpicientes, certi redderemur, quod eodem affectu, quo pro hominibus in cruce obierat eundē reſurgēs in corde retinebat. Ac proinde nō vereretur homo, quod in vitā regreſſus Redēptor amorē amitteret, quo impellente mortem pro homine pertule-

D. Chryſoſt.

pertulerat, qui iniuſtè de Redēptore querebatur dicēs apud Iſaiam cap. 49. *Dominus oblitus eſt mei.* Mendax planè querimonia, quam Dominus aptiſsima ratione refellit. *Quomodo obliuiſcar tui, quia in manibus meis ſcripſi te.* Scripturam memoriæ remedium, & picturam amoris ſuſtentaculum perbellè dixit Antiquitas. Quomodo igitur obliuiſci poterat, aut non amare? Qui in manibus ſcribendo, & amatum depingendo, memoriæ remedium, & amoris ſuſtentaculum requiſiuit. Prætereà ſtrenuiſsimi inſtar Ducis non poterat non eos in memoria retinere, pro quorum liberatione vulnera ſuſceperat. Quę ideo conſeruauit, vt ea inſpiciendo, illos, quorum cauſa acceperat, recordaretur. Magnum Hectorem in poſtremo Troiæ conflagrantis excidio Mantuanus Aeneæ loquentem, & vulneribus, quæ ibi acceperat cruentatum introducit, vt patriæ amorem indicaret, pro qua vulneratus occubuerat.

Iſaias. 49.

Aeneid. 2.

Vulneraq. illa gerens, quæ circum plurima muros
Accepit patrios.

Simili demonſtratione nixus eſt hominis Redemptor ipſum reddere ſecutum, quod ab ipſius memoria nunquam excideret, vtpotè quem in manibus depinxerit, & pro eo retenta in Reſurrectione vulnera ſuſceperit; quæ linguarum inſtar Chriſti amorem, & memoriam proclamabant. Et videtur innuiſſe Rupert. lib. 13. in Ioan. dicens *Singulæ plagæ, vel percuſſiones grandem vocem habuerunt, & omnia pro nobis iuſta locuta ſunt.* Quid ni? B. Franciſci ſtigmata totidem linguas dixerim, quæ magna de ipſo & admiranda eloquantur; cùm in ipſius reſurgentis corpore radiabunt. Porrò cum ſtigmatibus vir Sanctus reſurget. Vt quemadmodum plagæ in Chriſto reſurgēte, ipſum eumdem eſſe, qui in Cruce obierat teſtabantur: ita perſeuerantes in Beato Franciſco poſt ſuam reſurrectionem ſtigmatum cicatrices, coram cælitibus proclament illum eundem eſſe Franciſcum, qui in monte Aluernæ Chriſti manibus admirādum ſtigmatizationis beneficium acceperat. Et quemadmodum Chriſtus ſuum erga humanum genus amorem, perennemque memo-

Rupertus.

riam profitebatur, dum hominem in manibus perforatis ſanguineo colore deſcriptum geſtabat. Ita in Chriſto viciſſim, & Franciſco mutui amoris, perpetuæque recordationis monumentum viſebatur: Nam Chriſtus dicere poterat Franciſco: *In manibus meis deſcripſi te.* Quia ibi Franciſci imago clarius quàm aliorum Sanctorum imagines elucebat. Et S. Franciſcus gloriari iure optimo poterat, quod Dominus IESVS ſe ipſum in Franciſci manibus ſcripſiſſet. *In manibus meis ſcripſit ſe.* Quid aliud quæſo fuit ſtigmata ſua Franciſco impertire, quàm ſuam imaginem Franciſci manibus exprimere? Vnde quicunque illum plagis decorum, & vulneribus Chriſti inſignem intuerentur, Redemptoris imaginem ibi relucentem cernerent, & ſpecialem Franciſci prærogatiuam nulli conceſſam admirarentur.

Tertio Plagarum ſuarum foramina in corpore rediuiuo retinuit; Vt eiuſmodi ſignis in extremo iudicij die hoſtes ſuos Chriſtus redarguendo confunderet. Quod D. Auguſt. epiſt. 49. ſcriptum reliquit. Et huc planè reſpexit Zacharias dicens: *Aſpicient me, quem confixerunt* cap. 12. Hoc eſt, vulnera quę mihi intulerunt, in corpore glorioſo remanentia conſpicient, & eorum aſpectu confundentur. Ideo enim ad iudicium accedens ſtigmata portabo, vt ea hoſtibus meis oſtendens, ipſos confundam. Ad hunc modum cum eodem Auguſtino lib. 20. de ciuitate cap. 37. Hieronymo, Theodoreto, Ruperto, eum locum interpretes communiter verſant. Etiam olim Hippolitus Martyr oratione de conſumat. mundi conſeruationem ſtigmatum in glorioſo Chriſti corpore ad hoſtium in iudicio confuſionem retulit: Et propterea. *Non ſolum quinque vulnera, ſed etiam caput ſpinis redimitum, & pretioſam ipſam crucem eſſe in die iudicij conſpicienda,* teſtatur. Hippolito aſſentitur Cæſarius Arelat. homil. 23. dicens: *Illa clauorum ſigna bonis ſalutaria, malis terribilia, vſque ad iudicij diem non delentur.* Nec etiam peracto iudicio delebuntur, ſed quæ tunc ad impiorum terrorem, & confuſionem ſeruierunt, poſtea per æter-

D. Auguſt. Zach. 12.

D. Hieron. Theodor. Rupert.

S. Hippol. Cæſarius Arelat.

nitatem

nitatem Beatis ad gratiarum actionem,& Redemptoris laudem conducent.

Reſurget etiam cum ſtigmatibus S. Franciſcus, & in extremo iudicio cum eis Sole ipſo ſplendidioribus apparebit. Et ſicut impij ad plagarum Chriſti aſpectũ terrebuntur, & confuſione operientur: Ita Franciſci ſtigmata inſpicientes duplicem habebunt confuſionem: Quia cum Chriſtus Dominus Franciſco plagas ſuas impertiuerit, vt in ipſo Paſſionis ſuæ memoriam in hominibus penè obliteratam renouaret,ad ſuique amorem ſtimulos adderet; ſicut perbellè philoſophatus eſt Gulielmus Aretinus Epiſcopus. *Deus cunctæ*, inquit, *creaturæ prudentiſſimus gubernator Sanctiſſimorum Chriſti ſtigmatum iam abolitas à fidelium cordibus cicatrices, in corpore ſtrenui militis Beatiſſimi Confeſſoris Franciſci victorioſiſſima fluxerunt inſignia Paſſionis*. Hinc in iudicio Franciſcum vulneribus inſignitum producens, cum impijs diſceptabit: eo quod Paſſionis ſuæ memoriam abiecerint,Redemptorem obliti: qui ad refricandam memoriam Paſſionis ſimulacrum ipſius effecit B. Franciſcum, quem tunc aſpicientes confuſione afficientur: & ideo ſtigmata conſeruabit. Quinimò non ab re erit opinari S.Franciſcum ante communem reſurrectionem ad viuos cum ſtigmatibus rediturum; vt Antechriſto, & Chriſti hoſtibus ſe opponat, & fideles Redemptoris ſui imaginem in Franciſco aſpicientes, in ipſius fide perſeuerent, cùm tempora inſtabunt adeo periculoſa; vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi. Et ideo forſan B. Franciſcus tanquam Reſurrectionis candidatus, integer recentibus plagis, ſtans, & oculis apertis quaſi viuus dormientis inſtar perſeuerat.

§. DECIMVMSEPTIMVM.

Chriſti cum diſcipulis vltimò cænantis imaginem imitatus eſt Franciſcus; & in alijs morituri prælu-dijs ei ſimilis fieri ſtuduit.

QVamquam omnes B. Franciſci, dum viueret conatus, eò præcipuè tendebant, vt quantum fieri poterat, quoddam Chriſti ſimulacrum in vitæ ſuæ actionibus exprimeret: Præcipuo tamen ſtudio, & conatu actiones illas fuit æmulatus, quas morti vicinus edidit Chriſtus; in quibuſque maiora ſuæ dilectionis argumenta demonſtrauit. Et ideò, ſicut, *ſciens Ieſus quia venit hora eius; vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem*. Ioan. 13. cænam cum diſcipulis celebrauit; *Ioan. 13.* & quos viuens ſemper dilexerat, moriens amorem ſuum erga illos prouexit, vltra quod intendi non poſſet. Tantundem enim valent illa Ioannis verba. *Cùm dilexit ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*. Ita Seraphicus Pater die Iouis mortis ſuæ præſcius, quę Sabbato ſequenti poſt veſperum accidit, ſicut viuens magno ergà ſuos amore flagrabat: ſic ad Chriſti ſimilitudinem, moriturus maiora ſuæ dilectionis indicia præbere inſtituit. Vnde omnes, qui in loco aderant conuocari præcepit, ſecum poſtremò cænaturos. Adſunt illi, menſæ accumbunt, panes afferuntur. Quos cum S. P. præ manibus ſumens benedixiſſet; in plures iuſſit particulas diuidi, & propria manu ſingulis ſuam porrexit, exhortatus, vt in amoris ſignum totam manducarent. Cænæ illius admirabilis vmbram, quam moriens Chriſtus celebrauit, intueris. Et verè vmbra eſt; Nam ibi Dominus Ieſus ſub illo pane, quem diſcipulis porrexit, ſacratiſſimum corpus ſuum diſcipulis manducandum præbuit, vt diſcedens cum ipſis maneret, ſicut antea dixerat. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in eo*, vt

ſuam illis vitam largiretur, nec iam propriam, ſed Chriſti vitam viuere putarentur. *Et qui manducat me, ipſe viuet propter me*; vt eos ſibi vnanimes redderet, vt vnus ſecum ſpiritus fierent; vt ei, & ſibi inuicem adhærentes, à mundo, vbi relinquebantur, ſuperari non poſſent. Ideò *dilexit in finem*, hoc eſt iuxtà Græcum, in *victoriam*: Quia paſti corpore ſanctiſſimo, & pretioſo ſanguine epoti clariſſimam de mundo victoriam eſſent adepturi.

Porrò, S. Franciſcus ſeipſum non poterat ſuis manducandum ſub pane porrigere: Hoc enim ſola poterat diuina ſapientia. Quid tamen faciebat, dum illum in particulas diuiſit, benedixit, manu propria ſingulis porrexit: alloquens vnumquemque, & tenerrimè diſceſſurus complectens? Planè Chriſtum cænantem, ſeipſum ſub pane ſuis dantem, loquentem, amplexantem, valedicentem quantum poterat æmulabatur. Nec vana, nec vacua fuit iſta æmulatio. Nàm panis ille manibus ſeraphicis contrectatus, & benedictus, incredibilem habebat virtutem. Vnde ſeruatus à quodam ex cænantibus magna edidit miracula. Iam verò parentis amplexus, contactus, iam iam diſceſſuri verba quid non efficerent? Vidit prodigi parens filium longè venientem: feſtinus è domo egreditur; *Cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum*. Lucæ 15. Guarricus Abbas ſerm. de prodigo hos patris amplexus, hæc oſcula contemplatus, ita inquirit. *Porrò quid faciebat cum ſic ſuper illum affectabat, amplexabatur, oſculabatur?* & reſpondet: *ſe illi communicabat, ſe illi inſinuabat, ſe illi inſpirabat, vt vnus ſecum ſpiritus fieret*. Hæc ille. Quæres, quid Franciſcus in hac Chriſti dum cum diſcipulis cænaret, æmulatione faciebat? Reſpondeo: ſe illis panem porrigendo inſinuabat ſe illis complectendo communicabat, ſe illis loquendo inſpirabat: vt vnus ſecum ſpiritus fierent. Et quot diſcipulos, tot Franciſcos in mundo relinqueret, mundi triumphatores. O vtinam adeſſe potuiſſem, & ſeraphicum parentem cum ſuis cœnantem, loquentem, tenerrimoque affectu amplectentem intueri liceret, vt eximiam dilectionem, humilitatem per-

Luc. 15. *Guarric.*

ſectæ Chriſti imitationis ſtudium, meus poſt hac ſpiraret affectus. Sed quoniam tot bonis frui datum non eſt, iuuat in his recenſendis immorari. Et ideo aliam Franciſci cænam commemoro, non impari præfatæ æmulationis ſtudio celebratam.

Vehementi equidem ſtudio Chriſtus Dominus efferebatur ſacratiſſimam cum diſcipulis cænam celebrandi, antequam pateretur, vt ipſis inter cænandum affirmauit, dicens. *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum antequam patiar*. Luc. 22. n. 15. Quia tamen præſtitutum erat ab æterno, paſſionis, & cænæ tempus, nec paſſionem accelerare, nec cænam poterat anteuertere; Et vtraque ſemel tantùm æterna præſtitutione celebranda erat. Ideò cænandi deſiderio, & patiendi amore ſtimulatus, mirificè angebatur, vt etiam diſcipulis dixit. *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor vſque dum perficiatur*. Luc. 12. num. 5.

Non ambigo S. Franciſcum diſſolui, & eſſe cum Chriſto ardenter admodum cupijſſe, ſed priuſquam ex hoc mundo tranſiret ad Chriſtum, ad ipſius imitationem cum fratribus ſuis, quos mirificè diligebat, cænam inſtituere voluiſſe. Quia tamen hora tranſitus differebatur: vt ſuum falleret deſiderium, multoties cænam inſtituit, Chriſti paſſionis memoriam recolens, & fratribus ſuis clariora exhibens dilectionis argumenta. Quod fecit in monte Subaſio, in quo die Iouis in hebdomada maiori, conuocatis fratribus, vt cum eis Dominicam cænam celebraret; & deinde ſimul veſcerentur. Aberat Ruffinus, & requiſitus venire renuit. Mirum eſt quali propter hoc turbatione affectus fuerit S. Pater, & quam maximam in corde mæſtitudinem ſenſerit, vt poſtea Ruffinum alloquens teſtatus eſt. *Quare*, ait, *frater Ruffine tantam mihi triſtitiam dediſti; Et ter vocatus ad tantam ſolemnitatem venire noluiſti?* Non triſtabatur Franciſcus, quod ſuam menſam à Ruffino contemni cerneret, vel aliquam ſibi proditionem ab eo moliri pertimeſceret: ſed quia ipſum tanta gratia priuari, & forſan perire dolebat.

Cænantibus cum Chriſto diſcipulis, ipſe de Iuda qui paulò poſt è menſa diſceſſurus erat, locutus, magnam in facie turbationem oſtendit. *Cùm hæc dixiſſet Ieſus turbatus eſt ſpiritu, & proteſtatus eſt.* Ioan. 13. num. 21. Et turbatur, ait, hoc
Ioan. 13. loco S. Chryſoſtomus, *Non quòd tradendus eſſet, ſed quod ille perierat.* Hæc eadem erat in Franciſco triſtitiæ cauſa. Porrò timebat nè Ruffinus ab eo ſeparatus in perditionem abiret. Et ideo renuentem venire ſumpta præ manibus Eucharistia, quæſiuit, traxit, amanterque reduxit. Vbicunque Franciſcum cum Fratribus cęnantem inueneris aliquã Dominicæ cænę ſimilitudinem deprehendes, ſi quæ vbique acciderunt vigilanter expendas. Non enim bis tantùm, vt retulimus hoc egit, ſed quotannis dum vixit. Cùm Chriſti paſſionis memoria recolebatur, peracta cũ Fratribus primò Eucharistica cæna, cùm ipſis de pane, quem diximus benedicto manducabat: vt hac ratione Chriſto, cuius inſpiratione hæc faciebat, ſimilis appareret, & fratres ſuos ea paternæ dilectionis oſtenſione coſtringeret.

§. DECIMVMOCTAVVM.

Sanctus Franciſcus moriens Chriſto morienti ſimilis apparuit.

DEſinentis picturæ modum includere rarum ſucceſſu artis inuenitur, & in vltimis lineis artificum præſtantia commendatur. Hactenùs in exprimenda B. Franciſci ſimilitudine, qua viuens cunctis vitę ſuę actionibus Chriſtum retulit viuentem elaborauimus. Iam morientis ſimilitudo proponenda, & vltima picturæ noſtræ linea adhibenda eſt, vt feliciter includatur. Nec dubium, quod accedẽte mortis vmbra, vitæ imago, & ſimilitudo floridior euadat. Quoniam vmbrarum ductus colores peruenuſtant, & imaginum proiectus efficiunt. Vnde fatua nimis pictura eſt, in qua colores ſapienter vmbris permixti non adhibentur. Et ideo poſt de-

pictam vitæ ſimilitudinem, qua Beatus Franciſcus Chriſto viuenti ſimilis extitit, mortis ſimilitudo producenda eſt: Vt vtrobique Redemptoris viuentis, & moriẽtis imaginem retuliſſe comprobetur. Atque adeo ſimilitudinis effigies ex vitæ coloribus & mortis vmbris compicta pulchrior, & præſtantior effloreſcat.

Cognita ſui tranſitus hora B. Franciſcus (quemadmodum ſuam Chriſtus prænouerat) Fratribus accerſitis, habitu vſq. ad fæmoralia ſe exuit, & planè nudus remanens ſuper nudã hũmũ ſe proiecit. Hic delicatiſſimè recubans. Ioannis Euãgelium, quod incipit ab eo loco, *Ante diem feſtum Paſchæ* ſibi recitari pręcepit: in quo dilectiſsimus Ioannes candidiſſimi amoris cigni Ieſu iam iam morituri exequias celebrauit. vt hac lectione ſuo è vita diſceſſu Franciſcus Chriſtum repræſentaret diſceſſurum. Et cuius viuentis imago fuerat, morientis ſimilitudinem referre ſtudioſius pręoptauit. Quod Sanctus Bonauentura cap. 14. Legendæ maioris eleganter depinxit. *Voluit certè per omnia Chriſto crucifixo eſſe conformis, qui pauper, & dolens & nudus in Cruce pependit. Propter quod & in principio conuerſionis ſuæ nudus remanſit coram Antiſtite, & in conſummatione vitę nudus voluit de mundo exire.* Nouerat Chriſtum morti propinquum proprijs ſe veſtibus denudaſſe, vt ita exutus præluderet qua ratione antequam in Crucem ageretur, à militibus eſſet ſpoliandus. Et cut ibi nudus per aliquod tempus pependit. Ita Franciſcus, antequam moreretur nudari voluit: Et ſic nudus ipſo præcipiente tamdiu perſtitit, quamdiu milliarij ſpatium lenter confici potuiſſet, vt Chriſti nudi in Cruce pendentis imaginem referret. Nec verò ad ſimilitudinis integritatem quidquam defuiſſe videtur: Latus apertum, ſanguineo colore purpurabat: Manus & pedes perforati, clauiſque transfixi viſebantur. Pulchra eſt Sanctus Bonauenturæ deſcriptio in eodem loco. *Erat autem ſimilitudo clauorum nigra quaſi ferrum, vulnus autem rubeum, & ad orbicularitatem, quandam carnis contractione redactum, Roſa quadam pulcherrima videbatur. Et paucis*

Ioan. 13.

D. Bonau.

inte-

interiectis concludit. *Cùm igitur in candidiſſima carne claui nigreſcerent: plaga verò lateralis vt vernans roſeus flos ruberet: mirandum non eſt, ſi tàm formoſa, & miraculoſa varietas iucunditatem, & admirationem contuentibus ingerebat.* Sola Crux deerat, quam tamen vir Dei decuſſatis manibus expreſſit; vt Crucis habitu, nuditate corporis, plagarum cicatricibus, clauiſque extantibus Chriſti mortui, & in Cruce pendentis ſimilitudinem exprimeret: Quemadmodum ipſius viuentis ſimulacrum vitæ ſuæ actionibus repræſentauerat: Vnde exclamat loco citato S. Bonauentura. *O vere Chriſtianiſſimum virum, qui & viuens Chriſto viuenti, & moriens morienti, & mortuus mortuo perfecta eſſe ſtuduit imitatione conformis, & expreſſa meruit ſimilitudine decorari.*

Non inficiabitur veritatem, qui Aſſiſiatis populi ad mortuum confluentis inſpectores oculos conſultum ibit. Hi namque in mortuo Franciſco Chriſti mortui imaginem viderunt. Nec vidiſſe tantum ſatis fuit: oſcula ſacris ſtigmatibus videntes impreſſerunt. Et ſicut olim diſcipuli IESV magiſtri aſpectu non contenti, ipſum ad fidei certitudinem manibus contrectarunt; vt Ioan. Epiſt. 1. cap. 1. teſtatur. *Ioann.* *Quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ.* Sic Aſſiſiates ad fidei teſtimonium ſacra ſtigmata explorarunt, manibus identidem contrectantes. In quibus miles quidam nomine Hieronymus, antea incredulus, ſacra vulnera diligentius explorauit, clauos ibi extantes ſæpius remouere intentans; Quo certior de miraculo redditus, credidit: & magnum ad fidem poſteris faciendam emolumentum comparauit. Ita ſcriptum reliquit S. Bonauentura cad. 15. legend. maior. *Vnus autem ex eis miles quidam literatus, & prudens Hieronymus nomine; vir vtique famoſus, & celeber, cùm de huiuſmodi ſacris ſignis dubitaſſet, eſſetque incredulus, quaſi Thomas, feruentius, & audacius coram fratribus & alijs Ciuibus mouebat clauos, ſanctique manus, & pedes, & latus manibus proprijs contrectabat, vt dum vulnerum Chriſti veracia illa ſigna palpando contingeret, de ſui, & omnium cordibus omne dubieta-*

tis vulnus amputaret. Propter quod, & ipſe inter alios huius veritatis tam certitudinaliter agnitæ teſtis conſtans poſtmodum effectus eſt. Et tactis ſacroſanctis iuramento firmauit. Hæc ille. Vbi meritò Thomæ incredulitatem repræſentatam agnouit. Narrantibus enim diſcipulis, ſe Dominum vidiſſe à mortuis excitatum; Thomas neutiquam ſe crediturum teſtatur, niſi videat, & digitum in locum clauorum immittat, & manu lateris vulnus exploret. Vidit, tetigit, explorauit, credidit, & ipſius incredulitas ad fidei noſtræ firmitatem profuit: Quemadmodum egregiè docuit Sanctus Gregorius homil. 26. in Euangel. *Non hoc*, ait, *caſu, ſed diuina diſpenſatione geſtum eſt. Egit namque miro modo ſuperna clementia, vt diſcipulus ille dubitans, dum in magiſtro ſuo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera ſanaret infidelitatis. Plus enim nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quàm fides credentium diſcipulorum profuit: quia dum ille ad fidem palpando reducitur, noſtra mens omni dubitatione poſtpoſita in fide ſolidatur.* S. Bonau.

Super Chriſtum mortuum factus eſt in Hieruſalem planctus magnus, & doluerunt ſuper eum, ſicut dolori ſolet in morte primogeniti. Teſtes fœminarum lachrymæ, quæ ipſum è Cruce depoſitum proſequebantur, & magnis eiulatibus ad tumulum deferebant. Teſtis Magdalenæ fletus, *Quæ ſtabat ad monumentum foris plorans:* Nec Angelorum aſpectu aut colloquio conſolationem recipiebat. Poſtquam è vita diſceſſit Franciſcus, diſcipuli vberrimo lachrymarum profluuio ſuffuſi amantiſſimi Præceptoris corpus in feretro reponentes ad ſepeliendum portabant: Interim Iacoba de ſeptem ſolijs Romana fœmina pietate inſignis, & Franciſci deuotiſſima in lachrymas effuſa procedentes comitabatur: Quouſque ad S. Damianum ventum eſt, vbi Beata Clara vnà cum Monialibus in mortui parentis tenerrimos amplexus illachrymans ruit, & ſacra ſtigmata deoſculando clauum deuoto, ſed inani conatu reuellere intentauit. Tandem proripuit ſeſe, & dolens in Conuentum recepit, fratribus interim mortuum cum fletu ad ſepulchrum comitantibus. *Lachry-*

S. Bonau. *chrymabantur*, ait S. Bonauentura cap. 15. legen. maior. *filij pro ſubtractione tàm amabilis patris: ſed & non modica perfundebantur lætitia, dum deoſculabantur in eo ſignacula ſummi Regis. Miraculi nouitas planctum vertebat in iubilum, & intellectus rapiebat indaginem in ſtuporem. Erat quippe tam inſolitum, tamque inſigne ſpectaculum, conuenientibus omnibus, & firmamentum fidei, & incitamentum amoris: audientibus verò admirationis materia, & excitatio deſiderij ad videndum.* Quid ni videndi illius ſtudio efferentur, in quo Chriſti Redemptoris mortui imaginem aſpiciebant. Nunquam planè aſpectum ſatiarent; nec antea auelli potuerunt, quam ſacrum Corpus apud S. Gregorium ſepulchro interim reconditum, oculis inter gemitus, & ſuſpiria fletu liqueſcentibus ſubtraheretur. Vnus autem ex ijs, qui aderant, & flentes ſuis lachrymis comitabantur feretro, in quo S. Franciſcum portabant, hæc duo carmina affixit.

Hic expirauit, qui mundum ſuppeditauit,
Qui ſacram mentem direxit in omni potentem.

Hic planè ſiſtendum erat, & calamus ſepulchrali ſilentio tumulandus. Marci tamen Maruli lib. 2. de contemplatione exclamationem affectu plenam funebris inſtar Epicædij calamo, è lachrymis madenti ſubſcribo. *O' Beate Pater Franciſce, vidiſti fulgentem Saluatoris noſtri crucem; Vidiſti Sanctum Seraph, à quo ſeraphicus dici meruiſti. Inde tibi ſingulari quodam priuilegio Dominicæ crucifixionis cicatrices corporaliter vindicaſti, vt cuius paupertatem, manſuetudinem, humilitatem fueras imitatus, eius etiam Beatiſſimæ Paſſionis ſigna in manibus, in latere, in pedibus referres: Et cum Paulo gloriari poſſes; dicens: Chriſto confixus ſum Cruci, viuo autem ego, iam non ego: Viuit verò in me Chriſtus: mihi autem abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo: Ego enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto. O felicem ſeruum, cui Dominus tradidit quinque talenta, vt quibus ille perditum reparauit mundum, hic labentem repararet Eccleſiam.* Hactenus ille. Et planè B. Franciſcus viuens Eccleſiam reparauit; iterum

repa-

reparaturus, cum ante communem Reſurrectionem forſan rediuiuus exurget, vt cum Enoc, & Helia Antechriſto ſe opponat, ipſumque interficiat. Nàm cum D. Paulus de Antechriſto locutus, dixit. *Quem Dominus IESVS interficiet ſpiritus oris ſui*. S. Franciſcum reſperiſſe arbitror, quem oris Chriſti ſpiritum non immerito dixerim. Quippe cui Dominus IESVS ſe inſinuauit, quem in ſe per amoris incendium transformauit: Et quem ſicut viuentem, & morientem ſibi ſimilem effecit, itaut in Reſurrectione eandem ſimilitudinem præferat priorem alijs ſuſcitabit. In cuius præſagium adhuc integer, recentibus plagis, tenera & molli, viuentis inſtar carne perſeuerat, anticipatam promittens Reſurrectionem, & ius oſtendens, quod ſibi, ſuæque Religioni Chriſti ſimilitudine ad Theſaurum Terræ ſanctæ poſſidendum acquiſierat. Terræ autem ſanctæ hęreditas, neſcio an aliquibus iuſtius quā Minoritis obueniat, de quibus non incongruè dicetur: *Vos eſtis gens ſancta, populus acquiſitionis:* quia ad acquirenda loca ſancta videntur deſtinati, vt ea in extremis Mundi temporibus obtineant, & contra Antechriſti perſecutionem, vt milites ſtrenuiſsimi conſurgant. Quod Iacobus de Vitriaco S. R. E. Cardin. in hiſtoria Occid. cap. 32. verbis expreſsit diſertiſsimis. *Hic eſt*, inquit, *fratrum Minorum ſanctus ordo, & Apoſtolicorum virorum admiranda, & imitanda Religio, quos Dominum contra perditionis filium Antechriſtum, & eius profanos diſcipulos credimus in diebus nouiſſimis ſuſcitaſſe. Qui lectulum Salomonis tanquam fortes Chriſti milites ambiendo de porta ad portam cum gladijs tranſeundo ſuper muros Hieruſalem conſtituti ſunt Cuſtodes.* Hæc ille de Franciſci filijs, qui tali parente, & ductore in Chriſti ſimilitudine præeunte Terræ ſanctæ poſſeſſores fieri meruerunt. Quemadmodum hactenus eiuſdem ſimilitudinis argumento deduximus, & ſequenti §. clarius oſtendemus.

2. ad Theſſal. 2.

§. DECIMVM NONVM.

Chriſti ſimilitudo, quæ in B.Franciſco naſcente, viuente, morienteque enituit, maius ipſi ius contulit, vt præ alijs Sanctorum Locorum theſauri ſpiritualis poſſeſſor exiſteret.

DIuina lege cautum erat in Deuteronomio cap.25. vt duobus fratribus ſimul habitātibus, ſi vnus ex eis abſque liberis diſcederet, alter vxorem viduam connubio ſibi adiungeret, & quaſi hæreditaret; vt ex ea filios ſuſcipiens, fratris vita functi ſemen ſuſcitaret. *Quando habitauerint fratres ſimul, & vnus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri; ſed accipiet eam frater eius, & ſuſcitabit ſemen Fratris ſui.* Mortuus eſt IESVS in Cruce pro hominum ſalute ſuſpenſus, dilectiſsima ipſius Sponſa vrbs erat Hieruſalem iuxtà Pſalmographum Pſalm. 45. verſ. 3. *Fundatur exultatione vniuerſæ terræ mons Sion. latera Aquilonis ciuitas Regis magni*, vbi in Hebræo, pro *Ciuitas Regis magni*, habetur, vt ad eum locum tradidit Lorinus, *Pulchra vt ſponſa*. Talis enim erat Hieroſolyma quandiu fidem coluit, & caſtam Deo ſeruitutem exhibuit; & ideo non ſemel ſponſæ nomine in ſacris Prophetarum oraculis prædicatur. Mortuo autem ſponſo ſuperſtes lugens, ac mœrens. *Facta eſt quaſi vidua Domina gentium.* Threnorum 1.nu.1. Congruum ergo erat, vt iuxtà legem in Deuteronomio ſancitam mortui ſponſi frater viduam ſibi ſpirituali iungeret matrimonio, & & Terræ ſanctæ poſſeſſionem adiret, vt de mortui fratris ſemen, hoc eſt fidem, ſeu Dei verbum ſuſcitaret. Quamuis autem Chriſtus in multis fratribus primogenitus extiterit, vt D. Paulus Roman.8. dicebat, & ipſemet Dominus non ſemel diſcipulos ſuos appellauit. *Ite nuntiate fratribus meis.* Quinimo Tertullianus lib. de carne Chriſti noſtrum omnium fratrem dicere non erubuit, *In vuluam ergo Deus verbum*

Deuteron.

ſuum

ſuum detulit bonum fratrem, vt memoriam mali fratris eraderet. Nemo tamen (audeo dicere) tam Chriſti frater extitit, quàm Franciſcus; nullus Chriſto coniunctior, nullus maiorem cum illo ſimilitudinem retulit. Siquidem in ſolo Franciſco ſacris ſtigmatibus inſignito Chriſti perfecta ſimilitudo viſebatur. Vnde nõ immeritò Frãciſcus appellabitur *Signaculũ ſimilitudinis* Ezech. 28. Hoc eſt Chriſti qui Patris imago eſt, ac ſimilitudo, & B. Franciſcus huius imaginis, ac ſimilitudinis ſignaculum extitit. Vbi autem rei ſimilitudo clariùs, quàm in ipſius ſignaculo, vel ſigillo conſpicitur? Porrò S Bernardinus Senen. to. 2. de Euang. æterno B. Franciſcum Chriſti ſignaculum nuncupauit. *Per ſeipſum, & non per alium apparuit ei Ieſus: Nam ſicut in ſua perſona non alia, carnem noſtram aſſumpſit, & in carne ſua paſſibili perfectionem Euangelicam exemplauit. Sic & per ſeipſum glorioſum Franciſcum in ſuæ acceptatæ perfectionis ſignaculum figurauit, & conſignauit.* Pauciſque interiectis, adiungit. *Præterea nec per alium hoc myſterium debebat fieri, ſed per illum, qui ſtigmata ſuæ paſſionis geſtabat in corpore; vt ſibi eum ſimilem redderet & conformẽ. Debuit tamen Chriſtus in ſpecie Seraphica apparere: tum vt apertè clareſceret, quòd cor eius ſine alio medio vnitum, & inflammatum erat cum ipſo Ieſu.* Hactenus ille.

Cùm igitur B. Franciſcus ſtricta adeo vnione Chriſto fuerit copulatus, tamque perfecta ſimilitudine ſignaculi inſtar ipſum retulerit. Quid mirum, vt ſpeciali ratione Chriſti fratrem appellauerim, & ipſum Chriſti ſpõſam Terram ſanctam, & vrbem Hieruſalem ſponſo viduatam, iure fraternitatis obtẽturum eſſe mihi perſuaſerim? Recolendi ſunt fauores, quibus olim Patriarcha Ioſeph apud Aegyptum fratrem ſuum Beniamin, reliquis in conuiuio aſſidentibus antepoſuit. Nam cum partes ſuæ ſingulis apponerentur; Beniamini pars, non ſine fratrum admiratione, partes alias quinquies ſuperabat. *Et mirabantur nimis ſumptis partibus, quas ab eo acceperant, maiorque pars venit Beniamin, ita ut, quinque partibus excederet.* Geneſ. 43. Quid ſibi vult iſta Prælatio Beniamin? Quo aſpectu cæteris in conuiuio antefertur? Vel enim, vt aliqui *Geneſ 43.*

ſentiunt, pro omnibus quinque miſit fercula, vt bini, & bini comederent,& ſoli Beniamin alia quinque apponi præcepit vt ſolus ipſe quantũ alij decem mãducaret. Vel ſingulis pars vna appoſita eſt, vt ſoli comederẽt. At verò Beniamin ferculis quinquies duplicatis reficitur. Ita quod ipſius pars ſingulorum partes duplicato quinquies numero excederet. Qualibet tamen ratione id acciderit, mirãdum eſt, quòd tam notabili exceſſu fratrem alijs minorẽ prętulerit. Sed forſan ideo hoc fecit Ioſeph, quia Beniamin germanus frater erat,& vterinus, eodẽ parente, genetriceq. progenitus, & ipſi reliquis coniunctior: ex quo orta eſt conuiuij prærogatiua. Itaq. ſtrictior cognationis vnio, & maior animorum,& fors corporũ ſimilitudo, prælationis cauſa fuit; vt frater ętate minor natu maioribus præferretur. Chriſti frater erat Franciſcus, ætate & profeſſione minor, ipſi tamen per amoris transformationẽ coniunctior, ac ſimilior: Cui propterea quinque præ ceteris partes dedit, hoc eſt ſacris ſtigmatibus decorauit; vt qui interius animo ſimilitudinem iam habebat; quinque plagas in corpore oſtentans, exterius ſimilis monſtraretur. Hæc autem ſimilitudo exigebat, vt fratris poſſeſſionem adiret,& ipſi in thalamo ſuccederet, priori ſque ſponſi loco terram illam obtineret, in qua mortui fratris ſemen ſuſcitaret. Ergo iure fraternitatis, ob quam B. Franciſcus præ cęteris Chriſto coniũctior, & ſimilior extitit, Terræ ſanctæ poſſeſſio ei debita videbatur. Et ſanè cùm illuc ſemel, iterumq. ſe contulit, vt iam in ſuperioribus ſtatuimus, quid aliud egit? quàm terræ poſſeſsionem deambulando apprehendere, vt cum poſtea Soldani indulgentia Minoritis concedenda eſſet: non tantum Barbari illius gratia, quantum iuris paterni facta filijs reſtitutio videretur. Præter hoc fraternitatis ius aliud etiam habuit Franciſcus propter quod Terrę ſanctę poſſeſsio ipſi debebatur.

Inter ſucceſsionis modos, numeratur ſucceſsio per repręſentationem perſonæ, cui ſuccedendum eſt. Hæc autem repræſentatio fuit in B. Franciſco qui veluti filius Chriſti dilectiſsimus, illum ſimilitudine, & propinquitate repræſenta-

bat,

bat, & ideo hereditatis ipſius fieri ſucceſſor debuerat. Frãciſco enim ſuperſtite ob perfectæ ſimilitudinis rationem; & ſi Chriſtus Dominus mortuus fuit, quaſi tamen non moreretur reputandus eſt, qui talem poſt ſe filium ita dilectum, & ſimilem reliquit. Quemadmodum de illo alio pagina ſacra refert Eccleſ. 3. *Mortuus eſt pater eius, & quaſi non eſt mortuus, ſimilem enim reliquit filium poſt ſe.* Cui meritò Patris hæreditas traditur, quia æquum eſt, vt qui vitæ ſimilitudine ipſum repræſentat, & quaſi viuentem ſuſtentat, ipſius hæreditatem poſsideat, vt qui vitam quaſi donare videtur, mutua viciſsitudiue hæreditatem accipiat. Plures huius poſſeſsionis obtinendæ rationes ſuperſunt; & alij fines reſpiciendi à Sede Apoſtolica, & Sacra Congregatione de Propaganda Fide conſiderati inferiùs proponentur; quibus ſtabilitum adhuc ſanctorum locorum ius, Minoritis quaſi hereditarium eſſe comprobatur. Fauet poſſeſsioni à noſtratibus obtentæ viri eruditiſsimi ex ſac. Ordine S Dominici iudicium; Nam in libro, cui tilulus eſt. *Vox Turturis*, hæc habet cap. 24. in fine: *Congruè pro Terra ſancta Seraphicos Fratres Dominus elegit, cùm enim Terra ſancta domus Dei ſit, & porta cæli, eos miniſtros habere debebat, qui nomine, & re Seraphim ardentes cæli incolas imitarentur; cuſtodia faſcium infantiæ Saluatoris ijs debebatur, qui altiſſimam paupertatem profitentur; Sepulchri poſſeſſio erat conſignanda (cum cæteris locis vbi memorabilia actionum Chriſti Domini recenſentur) ijs qui illius Religionem profitentur, in cuius carne eiuſdem Chriſti Crucifixi veſtigia ſunt impreſſa, Oliueti cum Valle Ioſaphat aſſignanda eiſdem domus erat vbi iudicij promptiſſimos habebit pauperes iudicaturos duodecim Tribus Iſrael, vnde quoque legimus, Iudicium eſt pauperum.*

CAPVT VIII.

Plures proponuntur fines, propter quos Sedes Apoſtolica, & Reges Catholici Minoritas Obſeruantes, Sanctorum locorum apud Hieroſolymam Cuſtodes ſolos, adminiſtratoreſq. delegerunt.

PRæter aſſignatas in ſuperioribus capitibus rationes; & vltra iacta ibi fundamenta, propter quæ neceſſarium fore ſtabiliuimus, vt Minores in Terra ſancta ſacerrimi illius theſauri cuſtodes tenerentur: Alij quoque ſeſe offerunt fines, quorum intuitu Pontifices, & Catholici Reges conſtanti decreto talium locorum curæ, adminiſtrationique Minoritas præ cæteris deputarunt.

Primus: quod ſanctiſſimi illius theſauri poſſeſſio ſecurior penes Eccleſiam remanebit, quamdiu ſub Minorum cuſtodia extiterit: Nec ita facilè cum magna Chriſtianitatis iactura opprobrioque amittetur.

Secundus: Tributa, quæ pro conſeruanda poſſeſſione Turcis perſoluuntur minora ſunt, & non ita excreſcent, vt propterea ſacratiſsimo theſauro ſpoliari contingat.

Tertius: vt largitores ſint eleemoſynæ, quæ apud Reges, & Chriſtianos Principes, & Chriſti fideles colliguntur: proindeque eam ſummam attingant, quæ tributorum exactionibus, & expenſis pro locorum conſeruatione faciendis ſufficiens habeatur.

Quartus, vt collectæ eleemoſynæ fideliter tractentur, & ſecurius Hieroſolymam deferantur; nec in aliquo præterquam in prædictis locis, eorũq. adminiſtiatione inſumãtur.

Quintus, vt ea loca maiori, qua fieri poteſt veneratione habeantur; ita quod nihil Religionis, & cultus in ijs deſideretur quantum cuſtodum ibi demorantiũ ſtatus patitur, quos admi-

admiranda paupertas, & Chriſti dum ibi vixit æmula non parum commendat. Quin etiam Apoſtolicæ vitæ profeſsio, qua iuxta S. P. N. Franciſci Regulam cap 6. Minores excellunt *in paupertate, & humilitate Domino famulantes*, iacti quondam ibi ſeminis fructus protulerunt.

Sextus, vt Eccleſia, & Sedes Apoſtolica talium locorum proprietatem, ac dominium penès ſe immediatè, ac directè detineant; quod, vt videbimus, non accidet, ſi alij præter Minores locorum poſſeſſores fieri permittantur.

Magnum habent pondus ſex fines memorati: Vnde niſi in conſeruanda Sanctorum locorum poſſeſsione reſpiciētur, verendum eſt, nè Eccleſia optabili theſauro ſpolietur. Et ſanè prædictos fines, vt plurimum non aſſequetur Eccleſia, niſi Minorum Religionis miniſterio talibus locis pręſtito vtatur, vt ſingulatim peculiarem cuique adaptantes rationem oſtendemus.

§. PRIMVM.

Primi finis ab Eccleſia intenti conuenientia, neceſſitaſque aperitur.

1

FInis primo loco intentus eſt ſecurior ſanctorum locorũ poſſeſsio, quæ ſub Minorum cuſtodia non tanto amiſſionis periculo ſubijcitur. Dubium non eſt, quod ad finem hunc aſſequendum nullum præſtantius mediũ reperiatur, quàm ſi ſanctorum locorum cuſtodia Minoribus committatur. Quoniam Sultanus, & ferè omnes Saraceni Fratres Minoritas de Obſeruãtia maiori, quàm alios religioſę vitę profeſſores beneuolentia proſequuntur. Quod adeò verum eſt, vt eos ſolummodo exiſtiment Religioſos, quos viliter indútos pauperes, & diuitiarum contemptores inſpiciunt. Et hinc ſectæ ſuæ Religioſos æſtimant: quoniam (alio licèt affectu) nuditatem, pauperiem, & temporalium contemptum profitentur.

fitentur. Idcirco neminem alicubi Religioſum eſſe exiſtimant Saraceni, niſi exteriori nuditate, & paupertate ſuis ſimilem inſpexerint. Atque hinc ingens ille affectus, & æſtimatio prouenit, qua Turcæ Minores amore, & honore habent. Et proinde illos tantummodo ſanctorum locorum velint eſſe adminiſtratores. Nec noſter in hoc nos fallit affectus, ſed exrraneorum vox iſthæc eſt. Audire iuuat Grauinã ſacri Ord. Dominicani in libro quem inſcripſit. *Vox Turturis* c.24. in fine, vbi ita. *Hoc vel ipſi hoſtes & inimici demonſtrant dum ſolam ſacram hanc familiam nunc in Palæſtina degentem in monte Sion, in S. Sepulchro, in Bethlehem, Valle Ioſaphat, Nazaret, Monte Oliueto, Bethania, Iordane paſcunt, atque ſuſtentant, non ſecus ac Corui Eliæ portionem miniſtrãtes, ſic enim decet omnem iuſtitiam, vt fide deſtituti faciant quoque verbum eius (quo etiam non ſolo pane viuit homo) in obſequium eorum qui prædicant verbum eius, & fiat abundantia in turribus Domini, vt ſuſtententur bellatores altiſſimi, & proprijs ſtipendijs paſcant, qui arma, & ſagittas aduerſus eos dirigunt, vt proſternantur corda inimicorum Regis.*

Quamquam verò Chriſtum Dominum, nec mori, nec pati potuiſſe Saraceni opinentur: attamen ſepulchrum, & caluariæ locum reuerenter etiam ſuſpiciunt: quia falsò ſibi perſuadent, quòd cum Chriſtus Dominus quẽdam in facie manu contigerit, ſuam illi ſimilitudinẽ impreſſiſſe. Quod aduertentes Iudæi Chriſti hoſtes quoniam Deum occidere non poterant: hominem, cui ſuam Deus homo ſimilitudinem indiderat, in patibulo ſuſpendentes interfecerunt. Huius fabellæ meminit ſummus Pontifex Pius II. in Epiſt. ad Morbiſanum Turcarum Principem. *Negat*, inquit; *tua lex Chriſti necem, & alium ſuo loco interfectum exiſtimat: nec Deum incarnatum cognoſcit, neque crucifixum, aut mortuum.* Hæc venerãdi ſepulchri, & patibuli cauſa eſt, ob quam hæc loca tam impensè colunt, vt neminem ex Iudæis illuc intrare permittant: quinimo ſi quem intrãtem, vel illac tranſeuntem aſpexerint, ſtatim illum de medio tollũt. Aliarum tamen Nationum homines loca illa venerari, & colere libenter ſuſtinent,

Itaque

Itaque Saracenos eadem, quæ Eccleſiam cura tangit; vt Theſaurus ille ſacerrimus minime polluatur, & ſi Turcarum ſtudium; & Eccleſiæ ſollicitudo ſit penitus diuerſa: omnes tamen Chriſtianos tangere oportebat. Hinc oritur, vt Saraceni (niſi fortè pecuniæ amor aliò impellat) Minoritas ſanctorum locorum adminiſtratores præ alijs eſſe conſentiant: quippe quos ad cultum, & reuerentiam locis exhibendam magis idoneos reputant Miniſtros.

Non defuere tamen ex Saracenis, qui innumeris abominationibus, & ſpurcitijs Terræ ſanctæ ſacraria repleuerunt, ſicut accidit anno Domini 1219. cum Coradinus Saphadini Sultani Aegypti filius Hieroſolymam inuaſit. Tunc enim, relatu indignum eſt, quot immunditijs ſanctiſſima noſtræ Redemptionis monumenta polluerint Mahumeti cultores; donec Minoritæ ſub hoc tempore intrarunt, & ſanctuarij poſſeſſores effecti omnem ſquallorem, & immunditiam abſtulerunt; Tartaroque infremente, veterem ſplendorem mundatis primum, & luſtratis de more locis reddiderunt. Nec ſemel tantum huiuſmodi abominationes in loco ſancto ſtetiſſe referuntur. Iterum, vt retulit Vrbanus II. in Concilio Claramontano, profanatum ſanctuarium, & Dei templa verſa ſunt in ſtabula, nec iam orationis domus, ſed latronum ſpeluncæ videbantur. Vrbani verba ſunt: *Sancta Reſurrectionis Eccleſia, requies dormientis Domini, eorum fœdabatur ſpurcitijs: loca venerabilia, quæ Dominum in carne ſuſceperunt hoſpitem, ſigna viderunt, ſenſerunt beneficia, facta ſunt gregum præſepia, ſtabula iumentorum.* Quo quid turpius, & funeſtius Chriſtianæ Reipublicæ potuit euenire? Quamquam Saraceni vt plurimum Chriſtum Dominum, & ſanctiſsimam eius Matrem aliquo cultu obſeruant: Prouidit tamen Deus Minoritas, qui loca macie deformata, & abominationibus polluta reformarunt, priſtinoque reſtituto cultu illæſa, & intemerata conſeruant.

Galid. Tyrius lib. 1. belli ſacri cap. 15.

Cum igitur Minores in Saracenorum gratiam ſeſe inſinuauerint, & adeo magnã apud eos probitatis exiſtimationem collegerint; Vt propterea ſanctorũ locorũ Cuſtodes, &

poſſeſſores fieri permiſerint, qnin per trecentum, & amplius annos quantumuis Grçcorum calumnijs, & ſollicitationibus multoties impetiti, inde amouerentur. Attendendum eſt an deficiente in ijs locis Minorum aſſiſtentia, illorum poſſeſſio penes Eccleſiam immobilis futura ſit, nec ad alios tranſmittenda. Quod fors eueniet, & Græcis tradetur. Vnde à ratione alienum, bonoque regimini diſſentaneum eſt, & fini ab Eccleſia intento penitus contrarium, vt ſanctorum locorum adminiſtratio alijs commendetur. Nam ſi aliquid in hac parte nouum moliri contingat, & fratres à poſſeſsione arceantur: periculum certè imminet, vt ſacratiſſimus ille theſaurus amittatur, & Turcæ, vel alijs tradant, vel in Meſquitas conuertant, vel turpibus, & profanis vſibus deputent: & fortè ad Eccleſiæ poſſeſſionem non amplius reuertentur.

Habent enim Turcæ faciles ad iracūdiam motus, & leuiſſimis de cauſis concepto furoris igne excandeſcunt. Vnde templa noſtra in ſuas conuertent Meſquitas, ſi quos ipſi cuſtodes delegerant, & cōnſentiebant, inde amoueri conſpiciant: Quoniam apud ſuos religioſius quàm apud noſtrates haberi ſibi perſuadebunt. Quemadmodum vero Conuentum montis Sion, vbi Dauidis ſepulchrum arbitrabantur abſconditum, à noſtris abſtulerunt anno 1559. vt referunt Annales ad Chriſti Annum 1342. nu. 21. & ſuis cuſtodiendum miniſtris commendarunt: quia penes eorum curam, & vigilantiam ſecurius eſſe exiſtimabant. Sic etiam de alijs Conuentibus, & Eccleſijs diſponent, & ſuis inhabitanda committent; maximè ſi in Minores propenſi, quorum non paruus eſt numerus, ſtimulante vindicta, id à Sultano fieri procurent. Quod ſi fiat, omnis ſpes illa iterum recuperandi interciditur. Atque adeo Eccleſia catholica loca ſancta prorſus amittet: Et fors nunquam amplius obtinebit quantumuis maximo ad recuperationem labore obnitatur. Abſit verbo inuidia: non tamen iacturam vereri deſinet, qui Solimani Sach epiſtolam ad Franciſcum Galliæ Regem ſcriptam perlegerit: in qua Barbarus chriſtianiſſimi, Regis petitionem de reddendo noſtratibus Monte Sion, ſuperba reſponſione

Annal. mi nor. anno 1342. nu. 21.

ne

ne illuſit: Epiſtolæ tranſumptum reddo.

Tu Franciſce, dicebat, *qui es Dominus Regionis Franciæ ſcripſiſti literas notum faciens ad portam meam Imperialem felicem, potentiſſimamque aulam, atque palatium, vbi reſplendet immenſa iuſtitia, inæſtimabiliſque benignitas, caſum ſcilicet Eccleſiæ exiſtentis in circuitu nobilis Hieruſalem, quæ eſt vna Imperij mei ciuitatum, quæ ab antiquo poſſeſſa fuit à natione honorati IESV, poſtmodum autem facta Meſquita, quod ipſum optimè narraſti, & intellectum eſt. Quapropter amicitiam, & beneuolentiam, quæ eſt inter meam excelſam maieſtatem & te; omnis petitio tua eſt acceptabilis apud meam felicem magnificentiam. Nihilominus ex quo hoc non ſit ſimile poſſeſſioni, & æquum omnipotentiæ noſtræ, ſed caſus pertinens ad fidem noſtram iuxtà ſacroſanctum Mundi Creatoris mandatum, hominumque altoris: cuius gloria iuſta eſt lex honorati patris noſtri, quæ ſola in hoc, & alio mundo eſt, ſit benedictus, & honoratus: Eccleſia illa, aut alius locus, qui tempore aliquo facta eſt Meſquita, aut Meſquitæ nomen tenet, & Muſulani in ea adorauerunt, legi noſtræ repugnat, & fidei, quod denuò deſtruatur, aut innouetur. Si fide noſtra permitteretur, petitio veſtra apud meam felicem liberalitatem non eſſet alterata.* Hæc Selimanus, quæ ſi rectè perpendantur, irreparabilem fore ſanctorum locorum iacturam oſtendunt: ſi forſan indignatus propter Minoritarum amotionem, Eccleſias fecerit Meſquitas, & Muſulanis cuſtodiendas aſſignauerit. Cùm verò Eccleſia ſecuram ſanctorum locorum poſſeſſionem habere ſtudeat, & ſecuritas ex Minorum in ijſdem aſſiſtentia dependeat, vt non improbabiliter coniecimus, & experimento edocetur, neceſſe eſt, vt eos è prædictis locis amoueri non patiatur.

Annal. anno 1342. nu. 53.

§. SECVNDVM.

Finis ſecundus expeditur, cui ſtrictiſſima Minorum paupertas plurimum ſuffragatur.

SEcundus Eccleſiæ finis, quòd tributa, quæ pro conſeruanda poſſeſſione Turcis perſoluuntur, minora ſunt, & non ita excreſcent, vt propterea ſacratiſſimo theſauro ſpoliari contingat. Præpoſiti finis congruitas pari ratione fulcitur: nimirum affectu, & æſtimatione, qua Saraceni ob inſignem paupertatem, vitæque Euangelicæ integritatem Minoritas proſequuntur. Et ideo non tam grauia onera, & tributa imponunt, ſicut alijs Religionibus imponerent, quæ tẽporalium poſſeſsionum redditibus perfruuntur. Etenim apprimè callent Fratres Minores omnimodam ſectari paupertatem, Apoſtolicæ vitæ perfectionẽ æmulari, & ex collectis eleemoſynis alimoniam quęritare. Vnde licet inſatiabili cupiditate flagrent, & tota animorum contentione aurum, & argentũ conquirere ſtudeãt. Nihilominus paupertas Minorum ſitim hanc in Saracenis aliqualiter ſedat, & moderatis contenti exactionibus non ita crudeliter emungunt. Vnde tributorum ſumma viginti, aut triginta aureorum millia non excedit: & forſan milliones exigerent, ſi Sacroſancta loca penès alios tenerentur.

Hic autem pecuniæ colligendæ inſatiatus amor cultu accenditur & veneratione, quam ſacris noſtræ Redemptionis trophęis Chriſtiani impendunt, & Saraceni conſpiciunt: In quo vinci à noſtratibus ſine rubore patiũtur. Pudor eſſet ſãguineo lachrymarum profluuio expiãdus, ſi Chriſtianos Saraceni anteirent: Vincunt tamen Chriſtiani, & vberiori cultu loca ſuſpiciunt, in quibus humanæ Redẽptionis Sacramẽta Chriſtus exercuit, quam Saraceni Mecam venerãtur, vbi Mahumeti ſepulchrum eſſe perhibetur. Quid ni ita fiet? Siquidem inter Chriſtum Dei Filium, & Mahumetum naturę humanæ propudium infinita cernitur diſtantia, & in ſuo Alcorano Mahumetus Chriſto longè inferiorem ſe eſſe profitetur.

tetur. Pulchra tamen eſt in hanc rem anthitheſis illa Fratris Thomæ de Ieſu in libello *de Procuranda ſalute omnium gentium lib.* 10.§.3. vbi Chriſtum Mahumeto opponens ita loquitur. *Conferamus Chriſtum cum Mahumeto non ex noſtra prædicatione, ſed ex Alcorano, & Saracenorum Secta. Chriſtus verbum Dei, Mahumetus homo merus; Chriſtus Meſſias promiſſus Patribus, nunciatus ab Angelo Virgini Excellentiſſimæ: Mahumetus obſcurus, & ignobilis: Chriſtus ſemper ſanctus, Mahumetus aliquando profanus, errabundus, & latro, ac idolorum cultor: Chriſtus Doctor ſapientiſſimus: Mahumetus omnis eruditionis prorsùs expers, nec ſuum ipſius Alcoranum intelligens: Chriſtus de ſe, & de ſuis certus, Mahumetus incertus, vt ipſe in Alcorano confitetur. Chriſtus viuens, vel, vt ipſi dicunt, raptus in cœlum à Deo, vel vt nos, reductus in vitam: Mahumetus mortuus, & computrefactus. Denique nec Mahumetus negat multò ſe eſſe inferiorem Ieſu Chriſto.* Hactenus ille. Cùm tamen hęc ita ſe habeant, Saraceni ſupra quam credibile eſt Mahumetum ſuſpiciunt: tanque erga ipſum obſequioſos ſe præbent, vt magnas faciant expenſas pro conſeruanda Mecæ domo, in qua Mahumeti corpus eſſe, vel aliquando extitiſſe perhibetur.

Magnus Turcarũ Sultanus duo milliones quotannis elargitur, vt cum peregrinis ad inuiſendũ Mecæ domum proficiſcentibus inſumãtur, qui inter viros ac mulieres ſeptuaginta millium numerũ tranſcẽdunt. Et pro eorũ cuſtodia, & Arabũ per quorũ regiones iterfaciunt defẽſione ſex mille equites ſtipendiarios alit. Si qui verò durante peregrinatione tam eundo, quàm redeundo enaſcãtur, hoc magnę fęlicitatis auſpicio vertunt, nobilitatis priuilegio gaudent, & à ſoluendis impoſitionibus, ac tributis Sultani ſtatuto liberantur. Hos vocant Xariſes, vel aliter pilei viridi faſcia redimiti, & originem trahere creduntur à Mahumeto, quia in peregrinatione ad ipſius domũ lucẽ hanc aſpexerũt. Nec ſoli partus, ſed etiã conceptus honorantur: Vnde qui inter peregrinandum concipiuntur, quamuis itinere facto enaſci contingat, iiſdem priuilegijs, & immunitatibus gaudent. *Hiſtor. Muſulan. Turcarũ l.12.*

Alij

Alij præterea ſunt religioſæ vitæ profeſsores (Santones dicuntur) qui ad inuiſendam Mecæ domum peregrinantur. Hi antequam domos repetant, candentem ferri laminam oculis admouent, vt repente excæcati, nihil amplius videãt. Magnus eſt ita inſanientium numerus; & indignum reputant, vt oculis, quibus Mahumeti viderant Mauſoleum, aliquid vlteriùs aſpiciant.

Tam frequens Saracenorum erga Mahumetum cultus, tam liberale obſequium, & minimè parca deuotio, Chriſtianorum (credo) æmulatio fuit, & nunc facta eſt ſugillatio. Pudore enim affici debuiſſent Chriſtiani ſuam in Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri obſequio negligentiam aſpicientes: cum Barbari turpitudinibus dediti, & ignorantiæ tenebris obcæcati, nullis parcant expenſis; vt pſeudoprophetam vitę infamia, & falſis ſuggeſtionibus deteſtandum; etiam cum incolumitatis periculo, & vitæ diſpendio colant, impenſiuſq. venerentur. Et reuera talis extitit impius ille Mahumetus, qualem D. Ioannes in Apocalypſi 13. Eccleſiæ perſecutiones recenſens proprijs coloribus depinxit; vt vir doctiſsimus Cardinalis Turrecremata cap. 1. contra Mahumeti errores adnotauit. *Vidi*, inquit, *aliam beſtiam aſcendentem de terra, & habebat cornua duo ſimilia agni, & loquebatur ſicut Draco: & poteſtatem prioris beſtiæ omnem faciebat in conſpectu eius. Et fecit terram, & inhabitantes in ea adorare beſtiam primam, cuius curata eſt plaga mortis, & fecit ſigna magna, vt etiã ignem faceret è cęlo deſcendere in terram in conſpectu hominum. Et ſeduxit habitantes in terra propter ſigna, quæ data ſunt illi facere in conſpectu beſtiæ, dicens habitantibus in terra, vt faciant imaginem beſtiæ, quæ habet plagam gladij, & vixit. Et datum eſt illi, vt daret ſpiritum imagini beſtiæ, & vt loquatur imago beſtiæ: Et faciat, vt quicunque non adorauerint imaginem beſtiæ occidantur.*

Cùm verò Mahumetus talis, tamque abominandus extiterit, vt in hac ipſius imagine à Ioanne depicta fas eſt intueri: non dubitant Saraceni omnem ei cultum, venerationemque exhibere, & ſi eadem à nobis pro veri Dei cul-

tu exigiſſent, leuia, paruique momenti cenſerent tributa, quamuis à nobis grauiſſima reputarentur; vt nobis liceret ſacroſancta loca, in quibus Dei filius, Cæli Dominus hominem induit, natus, mortuuſque eſt, & reliqua humanæ redemptionis myſteria peregit, incolere, & ſacratiſſima tot beneficiorum monumenta venerari. Hanc tamen cupiditatem exigendique rationem paupertate ſua, & humilitate cohibet ſeraphica Minorum Religio. Quod, ſpectata barbarorum inſolentia, inſatiabilique cupiditate, ſimillimum prodigio eſt, ac omnes hyperbolicæ orationis metas tranſgreditur. In re autem tanti ponderis, vel tenuiſſima periculi vmbra euitanda eſt, & ſtudioſiſſimè cauendum, ne ſi Minores à Terra ſancta diſcedant, alijque ſubintrent: Turcarum cupido accendatur, onera, & tributa ſic excreſcant, vt communiter loquendo Eccleſia non poſſit tam graue pondus ſuſtinere, ſubindeque ſacratiſsimum deperdat theſaurum, quo ſub Minoritarum adminiſtratione tam longa annorum intercapedine perfruitur.

§. TERTIVM.

Tertius Eccleſiæ finis declaratur.

HIc finis eſt, vt Eleemoſynæ, quę pro Terra ſancta apud fideles colliguntur, ita numeroſæ ſint, vt tributa, & exactiones à Saracenis impoſitas adæquent. Ad hunc vero effectum Obſeruantes Minoritæ præ cæteris aptiores iudicantur. Quippequi apud omnes ferè Orbis nationes; gratia, & amore plurimum valent: & eximia quam profitentur rerum inopia, & nuditate fidelium ſubſidia, quaſi iure aliquo ſibi addicta promerentur. Nec quiſquam ita inops inuenitur, vt panem cum Minoribus non partiatur: quinimo nullus ſtipem negare petentibus audet, quamuis poſtea ab alijs ſit petiturus; vt diuturna probatum eſt experientia.

Prædi-

Prædiues ſenſus iſte eſt, & maioratus ampliſsimus, quem S. P. N. Franciſcus multimodè conquiſitum filijs reliquit. Nulla tamen arte certius, quàm humilitate profundiſsima, rara, & peregrina paupertate, inſolito, admirandoque rerum temporalium deſpectu, voluntatum Dominus euaſit: Vnde illum non ſolum vt hominem diligebant, ſed quaſi Deum venerabantur. Hæc enim eſt paupertatis prærogatiua, vt hominem quaſi Deum efficiat, & dignum cui omnes, vt Deo applaudere non dubitent. Hinc eſt illud poeticum.

Aude hoſpes contemnere opes,
Et te quoque dignum finge Deo.

Super omnia tamen adiuuit Chriſti ſimilitudo, quæ in B. Franciſco adeo magna fuit, vt natiuitate, vita, morte Chriſtum omnibus modis retulerit, quemadmodum in ſuperioribus probatum reliquimus. Vnde qui Franciſcum pauperem, humilem, penè nudum, & Chriſti plagis inſignitum aſpiceret: non poterat non ad miſerationem inflecti, ſeque, vt ita loquar, euiſcerare, vt homini opem ferret, in quo Chriſti pauperis, & plagati ſimulacrum intuebatur. Parum hoc eſt, maius aliquid auſim dicere: Prope eſſet propter indiſcretam ſimilitudinem, Chriſtum & Franciſcum, fratres eſſe vterinos, eodemque partu editos opinari. Atque adeo nihil petenti denegaret, ſed omnia hilariter, & promptè largiretur. Et tantò (credo) promptius, quanto pluris facienda eſt Chriſti imago, virtutum coloribus, & ſtigmatum luminibus in Franciſco depicta; quam ſi naturalem ſimilitudinem ab vtero extraxiſſet.

Plinius lib. 7. c. 12. Refert Plinius lib. 7. Naturalis hiſtoriæ c. 12. duos ætate ſua iuuens extitiſſe, quorum tam perfecta fuit ſimilitudo, vt etiam in minutiſſimis oris lineamentis, ac ſignis ſe in vicem repræſentarent. Et quicunque vnum viderat alium ſe vidiſſe arbitraretur. Alterum tulit Aſia: Montibus ALpinis alter in lucem editus fuit. Hos igitur mercator nomine Forianus Mango, tanquam eodem ventre prognatos, cuidam equiti Romano ingenti pecuniæ ſumma diuendidit.

Cæterum

Cæterum cùm alter Hetruſca, alter Aſiatica lingua loqueretur; detecta fraude eos fratres non eſſe innotuit, & multò minus ex eodem vtero prodijſſe. Quapropter Romanus cum mercatore expoſtulans de fraude, & pecuniæ ſumma querebatur. Cui venditor reſpondit: propterea ſe tanti illos vendidiſſe; quia rarum erat, magiſque admirandum, quod ſic indiſcretæ ſimilitudinis exiſterent: cùm tamen nec fratres eſſent, nec ex eodem ventre progeniti. Plinij verba ſunt: *Reſpondit verſutus ingenij Mango, ob idipſum ſe tanti vendidiſſe, quoniam non eſſet mira ſimilitudo in illis eodem vtero editis.*

Si Chriſtus Dominus, & S. Franciſcus patris, ac matris fraternitatem habuiſſent, aut eodem vtero editi eſſent, non ita mirandum videretur, quod tantam haberent ſimilitudinem. Illud tamen mirabile eſt, quod Chriſtus naturalis Dei filius, bonitatiſq. ipſius imago cùm ſit, & Franciſcus merus homo, & filius adoptiuus, magna inter vtrumque ſimilitudo reperitur; cui per ſtigmatum impreſſionem vltimam manum Chriſtus addidit. In quo Ducum, & Imperatorum conſuetudinē obſeruans: parta de morte, & inferno victoria in B. Franciſco ſuæ militiæ arma, hoc eſt ſtigmata conſtituit. Et ſicut ex victoribus aliqui poſt adeptam victoriam ſpolia in bello acquiſita ad templū, vel imaginem deferunt cui plus afficiūtur, nimirum Lauretanę Virginis, Montis Serrati, Guadalupēſis, & ibi ad victoriæ monumentū gratulabūdi ſuſpendunt. Quod etiam ab antiquis militibus obſeruatum memorat Ouidius. *Ouid. de Triſt. lib. 3 & 7.*

Miles vt emeritis cùm primum ceſſat ab armis,
Ponit ad antiquos, quæ tulit arma lares.

Non aliter Chriſtus poſt actum de ſuis hoſtibus triumphum, arma ſua, victoriæque inſignia, & triumphi monumenta in B. Franciſco, cui vt ſuæ imagini plus afficiebatur, ſuſpenſa reliquit. Vnde magnum exurgit S. Franciſci, ipſiuſque ſublimitatis elogium: Nam cùm totus penè Orbis ad Chriſti deuotionē aſpiret, ac eam certatim, & palàm profiteatur: Chriſtus tamen Beati Franciſci deuotum ſe prodidit, dum ſua illi contulit triumphi monumenta. Cùm autem Chriſtiani

videant Franciſcum ſummopere à Chriſto dilectum: Quid ni illum pariter diligant, & eius filios ſumma beneuolentia proſequantur?

Sponſæ dicebant olim ipſius amicæ, ac ſodales: *Exultabimus, & lætabimur in te memores vberum tuorum: recti diligunt te*. Canticor. 1. num. 3. Sicut D. Gregorius Niſſenus Theodoretus, & Bernardus ſerm. 24 in Cantica intelligunt. Et cohæret ſeptuaginta interpretum lectio; quæ habet. *Diligemus vbera tua ſuper vinum, æquitas, ſeu rectitudo dilexit te*. Et tantundem valet, ac ſi dicerent: Amores tuos, o ſponſa, feſtiuis plauſibus, & acclamationibus celebrabimus. Amor enim vberum nomine ſignificatur aptiſsimè. Quinimò te ipſam ſuper omnia iucunda, delectabiliaque adamabimus: & noſtri amoris ratio, ac fundamentum erit: quia ſponſus tuus, qui eſt ipſamet rectitudo, amore te complectitur ardentiſſimo. *Rectitudo dilexit te*. Igitur ſponſi amor erga dilectam in cauſa erat, vt à Sodalibus diligeretur.

Cantic. 1.

Pari ratione fideles animę Chriſti ergà Franciſcum dilectionem expendentes, huiuſque dilectionis oblectamenta, & fauores memoria reuerſantes: Toto cordis impulſu ad Franciſci amorem deferuntur; ea ſolum ratione, quòd illum à Chiſto impenſius diligi animaduertunt. *Rectitudo dilexit te*. Porrò D. Gregorius Nyſſenus Chriſtum intelligit hac dicendi formula ſignificatum. *Ieſus autem*, inquit, *eſt rectitudo, quia in ipſo quidquid eſt obliquum corrigitur, & deducitur ad rectitudinem*: Igitur Chriſtiani cæleſtis aulæ inſtituta, moreſque ſequuti, cùm videant Cæli Regem Franciſci amore conflagrantem, & triumphi ſui monumentis, hoc eſt, ſacris ſtigmatibus decorum; non ſolum amant, ſed in ipſius amore ad contentionem excellere ſtudent. *Diligemus vbera tua ſuper vinum*. Nec gratuitum huiuſmodi amorem, ac deuotionem exiſtimant, ſed quaſi neceſſariam, dulcique, & violenta tyrannide expreſſam rependunt. Fallar niſi huc reſpexit S. Bonauentura in maiori legenda cap. 13. S. Franciſco locutus. *Iam enim propter ſtigmata Domini IESV*,

Greg. Nyſ.

quæ in corpore tuo portas, nemo debet tibi eſſe moleſtus: quin potius quilibet Chriſti ſeruus omni eſſe tenetur affectione deuotus.

Hæc fidelium deuota propenſio, & amor eximius, non ſolum Seraphicum parentem, ſed eius etiam filios ob patris amorem complectitur. Vnde nullum pro eleemoſyna ad ipſorum portas accedentem, vacuum abire patiuntur, quin pro viribus largiſſimè reficiant. Et voluntatem hanc non ſolum Deus cuſtodit, ſed inſuper magnis beneficijs remunerat, & vberrimis gratiarum donatiuis amplificat. Plena ſunt exemplis hiſtoriarum monumenta, in quibus fauores eximij in Seraphicæ Religionis deuotos collati referuntur Annales Minorum Veteris Poetæ carmina proferunt; vbi quatuor priuilegia continentur, quæ Chriſtus in petra ſedens, in qua Franciſcus de more veſcebatur in monte Aluernæ, & viro Dei familiariter locutus impertiuerat. *Annal min nor. anno 1224.n.5.*

Franciſco fundente preces (vt tempore multo
Mos innoleuit ei) cæleſtis filius ipſum
Exultare iubet: Annuntio quatuor, inquit,
Dona ſuperna tibi: ſtabit tuus ordo per æuum.
Nullus ibi frater, cui ſit peruerſa voluntas,
Stare diù poterit. Vix ordinis hoſtibus annos
Viuere dimidios præſtabitur; Eius amici
Viuent, & vitam concludent fine beato.

Plurimum verò rem hanc illuſtrat illa verborum Chriſti interpretatio apud Matth. cap. 25. num. 40. quam adhibet Author. conformitatum lib. 1. fruct. 8. p. 2. forſan à D. Bonauentura deſumptam. Nam cum extremo iudicio Chriſtus eleemoſynas pro ipſius amore pauperibus erogatas Beatis gratulabundus recenſebit; ſic ipſomet Domino atteſtante loquetur: *Quod vni ex minoribus meis feciſtis, mihi feciſtis.* Profectò minores iſti, vt præfati Authores ſentiunt, ſeraphici Parentis filij ſunt: quos propterea Chriſtus minores ſuos appellat. *Ex minoribus meis*, vt fidelibus ſpeciatim commendatos oſtendat, & eleemoſynam in ipſos collatam, peculiari remunerationis prærogatiua in cæleſti *Author. confor. lib. 1. fruct. 8.* *Matth 25.*

beatitudine cumulandam manifeſtet. Ipſi enim Parentem ſuum Franciſcum Chriſti imaginem, ac ſimilitudinem numeris omnibus abſolutam imitati, altiſſimam ſequuntur paupertatem, & Apoſtolicæ vitæ inſtituta ſectantur: vnde fidelium auxilia, & ſubuentiones illis videntur prę alijs commodanda.

Hic etiam adnotandum eſt; quod ſupremus mundi arbiter Chriſtus cæleſte Regnum aliquibus donaturus, nullum proferet obſequium præter eleemoſynas, quas minoribus ſuis erogarunt. *Quod vni ex minoribus meis feciſtis*. Cùm verò alios in Infernum detrudet, nullũ peccatum, præterquã negatas minoribus eleemoſynas objiciet: *Non dediſtis mihi mãducare. &c.* Quaſi ſola eleemoſynarũ largitio prædeſtinatis ad Regnum, & earum denegatio reprobis ad damnationem proficeret. Vt egregiè adnotauit S. Leo ſerm. 5. *Quaſi*, inquit, *nec alias virtutes dextri, nec alias offenſiones habeant ſiniſtri. Sed illo magno, ſummoque iudicio tanti æſtimabitur, vel largitatis benignitas, vel tenacitatis impietas; vt pro plenitudine omnium virtutum, & pro ſumma omnium commiſſorum, & per vnum bonum iſti introducantur ad Regnum; & per vnum malum illi mittantur in ignem æternum*. Hæc ille.

D. Leo.

Cùm igitur magna ſit fidelium erga Minores deuotio, & vberiores in eorum fauorem eleemoſynas conferant, & certiorem illarum remunerationem expectent, vtpote quas Chriſti, & Franciſci Minoribus largiuntur. Et præſertim illæ, quæ ſanctorum locorum adminiſtrationi deſeruiunt: Quæ loca cùm Sacra Congregatio conſeruare, & augere procurat, & vberiores ad hunc effectum eleemoſynas colligi deſiderat: quam maximè oportere planum eſt, vt Minores ibi conſeruet, & alios non patiatur talium locorum fieri poſſeſſores.

§. QVAR-

§. QVARTVM.

Expenditur finis quartus ab Eccleſia propoſitus.

QVarto loco intenditur à Sede Apoſtolica, & Sacra Congregatione de propaganda fide, necnon à Regibus Catholicis, & Principibus, qui eleemoſynarum ſubſidia largiuntur, vt magna in ijs recipiendis pariter, ac reddendis fidelitas interueniat: ita quod ſumma cum integritate Hieroſolymã deferantur; nec aliquid pro expenſis inde ſubtrahatur, niſi quod ad prædictum finem extiterit accommodatum. Et quidem ad huius intenti proſecutionẽ aptiores iudicant Minoritas: quippequi ſpontanei rerum omnium abdicatores ſunt, & ſtrictiorem præ cæteris paupertatẽ Apoſtolicæ æmulam ſectantur. Vnde in victu, & veſtitu minimos ſumptus faciunt: In quo certior eſt rerũ concreditarum fidelitas, quã ſubtrahẽdi pro neceſſitatis reparatione ſtimulus non exagitat: Hoc argumento S. Auguſt. *lib. de amicitia* ſecuriores, & firmiores eſſe pauperum, quàm diuitum amicitias cõprobauit. Etenim pauperibus nulla ſupereſt expectatio quòd alij alijs auxilio eſſe poſſint. Vnde mutuus amor in ſola ſubiecti præſtãtia fundatus, radicatur firmius, & diutius perſeuerat. Longe aliter in diuitibus euenit, quorum amor, & reciproca amicitię viciſsitudo fouetur à lucro, & proprię cõmoditatis ſtudio, quę ſibi in cõtrahẽdis amicitijs repromittunt. *Certiores* (inquit S. Doct.) *ſunt amicitiæ inopum, quã diuitum: Cùm ſpem lucri ſic tollit paupertas, vt augeat charitatẽ.* D. Auguſt.

Magna igitur ex paupertate incremẽta ſuſcipit charitas. Et quantum quis voluntaria rerum inopia minuitur, tantum charitatis magnitudine augetur. Eſt autem in tractandis rebus fidelitas propria charitatis prærogatiua; quæ vt aſſerit D. Paulus ad Corinth. 1. cap. 13. *Non agit perperam, non quærit quæ ſua ſunt.* Ergo multo minus aliena, Corinth. 1. pro quorum appetitione fidelitas violatur. Hinc ſequitur, vt qui pauperiores ſunt, charitate feruentiores ſint, &

con-

conſequenter maiorem habeant fidelitatem, quæ ad menſuram charitatis augetur. Exploratum verò eſt pappertatem, quam iuxtà S.Franciſci Regulam profitētur Minores, arctiorem eſſe quàm quę ab alijs Eccleſiæ Religionibus obſeruatur: quoniam ſimplicem tantummodo rerum vſum, & valde moderatum fratribus permittit: non aliter quam equo Domini ordeum conceditur: Vnde nullum ſubeſt periculum, vt deſit fidelitas, vbi ſtrictæ adeo paupertatis obſeruantia perſeuerat.

Et quidem inter omnes Religionum Patriarchas Chriſti Redemptoris noſtri ſupremi Patriarchæ filios; qui in domo Iacob Regnum obtinuit, iuxtà illud *Regnabit in domo Iacob in æternum.* Solus S.Franciſcus Chriſti Beniamin, amantiſſimus Domini, præſtantiſſimus diuinæ gratiæ partus, tertiam, & quintam ſupra cæteros partem obtinuit, plagarum videlicet quintam, & tertiam paupertatis, quas vnicè dilexit, & filijs pro hæreditate reliquit; cap. 6. Regul. *Hac eſt*, inquit, *illa celſitudo altiſſimæ paupertatis, quæ vos chariſſimos fratres meos hæredes, & Reges Regni cælorum inſtituit: Pauperes rebus fecit, virtutibus ſublimauit* Antea verò dixerat: *Fratres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem; ſed tanquam peregrini, & aduenæ in hoc ſæculo in paupertate, & humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemoſyna confidenter.* Perbellè Fratribus prȩcepit, vt ad conquirendam eleemoſynam accederent confidenter: quia extrema paupertate ſua oppignoratam habebant Dei prouidentiam minimè defuturam. Igitur illi amplius fideles habendi ſunt; qui magis inopes, rerumque terrenarum affectione probantur expertes, quales eſſe Minores de Obſeruantia, ſiue reformati ſint, ſiue de familia cognoſcuntur.

Non latuit Eccleſiam Minorum fidelitas: quippe cùm miniſtros quæreret, quibus magnæ fidelitatis negotia commendaret, Minoritas delegit, fęlicem negotiorum exitum ſibi promittens. Multa ſuppetunt exempla, quibus Annales Minorum, & hiſtoriarum monumenta replentur.

Clariora ſunt B. Iacobi de Marchia; & B. Ioannis Capiſtrani;

ſti ani; quos Sedes Apoſtolica Commiſſarios inſtituit Cruciatæ authoritate conceſſa, vt eleemoſynarum collectas inſtituere, atque ad Eccleſiæ vſum ſubſidia contra Turcas exigere poſſent. Quin etiam in vita B. Capiſtrani ad cap. 24. & 27. memoratur, qua ratione Calixtus III. Pontifex Maximus ob prædictum finem, Capiſtrano Cruciatæ Commiſſario à ſe inſtituto, Crucem manu propria tradiderit. Nec ſua Pontificem feſellit ſpes: Tam vberes enim ex ea commiſſione fructus percepit Ioannes, vt ſicut Aeneas Syluius poſtea Pius II. Pontifex doctiſſimus lib. de Europa cap. 8. recenſet, ſupra quadraginta millia coegerit. *Ioannes Capiſtranus*, ait, *ſupra quadraginta millia Cruce ſignatorum congregauit*. *Eneas Syl.*

In ipſo autem noſtrę Religionis exordio Sancti Petri Cathedram occupante Innocentio IV. poſt Concilium Lugdunenſe Noſtrates Minoritæ Commiſſarij inſtituti ſunt, ac in Hiſpaniam, Britaniam, Galliam amandati, authoritate pręſtita, vt ſubſidia, & collectas reciperent, quas prædictum Concilium pro Sedis Apoſt ſubſidio necnon totius Eccleſię ordinauerat contra Federicum Imperatorem ſchiſmaticum, & eius filium Manfredum; qui Saracenorum factionibus Eccleſiam opprimebant. Omnia adamuſſim refert wadingus tom. 1. Annal. Minorum Anno 1247. num. 20. Et contra Matthæum Paris Britanum Anni illius Scrip torem apertiſſimè probat.

Anno etiam 1236 memorat idem author quanti Gregorius IX. Pontifex maximus fecerit fratrem wilelmum Minoritam ipſius pœnitentiarium, quem ad ſancienda pacis fœdera, Legatum apud Galliarum Regem inſtituit. Hic igitur collectas, & nummos Pœnitentiarię diſpenſabat. Vnde octo huius Pontificis Bullæ reperiuntur, quas inſtar cautionum ad willelmum dirigebat, præcipiens vt certam ſummam Imperatori, Epiſcopo, & alijs pro terræ ſanctæ ſubſidio largiretur. Bullarum tenores ſummatim in Annalibus referuntur Anno 1238. num. 16.

Nec ſolùm cum Eccleſiæ neceſsitas vrgeret, & Religio-

nis cauſa exigeret, Apoſtolica Sedes Minorum fidelitate vſa eſt, ſed (quod maius habet æſtimationis momentum) ſæpè alibi magni ponderis negotia commendauit. Notum eſt quando incipiente Sancti Petri fabrica ſub Clemente VII. & Iulio II. Frater Franciſcus Yenus Mediolanenſis, Commiſſarius Generalis Ordinis; & Frater Angelus à Clauario author ſummæ Angelicæ, pluresque alij inſtituti fuerunt Commiſſarij, cum plenitudine poteſtatis, vt eleemoſynas colligerent, & nummos; qui in dicta fabrica expendebantur: ſicut in varijs horum Pontificum Bullis cōtinetur. Alia prætermitto exempla in hiſtoriarum voluminibus inſpicienda.

Itaque experimento didicit Sedes Apoſtolica, quam germana ſocietate in Minoritis paupertas Euangelica, & fidelitas copulentur: & ob hanc cauſam aptiores reputauit, quibus loca ſancta committeret, & expendendas ibidem eleemoſynas imperaret. Quas tamen in ipſis locis non in mulabus, epiphijs, & famulis inſumunt: ſed baculo innitentes pedeſtre iter arripiunt, vel nauigio vtcunque vecti propediem Hieroſolymam pergunt: vbi pro ſolis ac veris, & neceſſarijs eorum locorum neceſſitatibus portatas eleemoſynas expendunt. Quod hac tempeſtate ſatis exploratum etiam habet Sacra Congregatio de Propaganda Fide, quæ ardentiſsimo ſtudio ad conſeruationem eorum locorum anhelat; & vt ſpiritualis Eccleſiæ theſaurus ſeruetur, vigilantiſsimè procurat.

§. QVIN-

§. QVINTVM.

Quintus Eccleſiæ finis exponitur.

FInis quinto, & vltimo loco ab Eccleſia intentus reſpicit cultum talibus locis impendendum. Vult enim vt ea loca maiori qua fieri poſſit veneratione habeantur, ita quod nihil Religionis, & cultus deſideretur. At verò ad munus hoc conuenienter exercendum Minoritę præ cęteris iudicari debent præſtantiores. Quoniam primus talium locorum dedicator IESVS, dum ibi vixit humilitatis magiſtrum ſe præbuit, & extremam coluit paupertatem, quarum virtutum ſtudio iuxtà Regulæ ſuæ profeſſionem Minores excellunt: *In paupertate, & humilitate Domino famulantes*; ſicut c.6. Regulæ præſcribitur. Deus enim, vult vt tali habitu ea loca frequentent cuſtodes, colant, venerenturque, qualem Chriſtus detulit, cùm illa primùm ſanctificauit: exemplum, & magiſterium futuris theſauri ſpiritualis Terræ ſanctæ cuſtodibus, & adminiſtratoribus relinquens.

Et quidem Chriſti habitus vilis admodum extitit, vt Sanctus Thomas opuſculo 19. cap. 81. ſcripſit, & iam antea id ipſum prædicauerat Sanctus Chryſoſtomus Homilia 34. in Ioannem. *In Palæſtina*, inquit, *ex duobus pannis veſtes contexuerunt: quod ſignificans Ioannes inquit deſuper contexta. Quod mihi dicere videtur, vt veſtimentorum vilitatem oſtenderet: nam quemadmodum in alijs omnibus ita in habitu vilem ſpeciem præferebat.* Sicut habitu vilis, ſic etiam vt plurimum diſcalceatus incedebat, ſandalia nonnunquam adhibens pro temporis opportunitate. Quando Apoſtolis calceamenta prohibuit, vt vim adderet præcepto ſuo, nudis pedibus ambulabat, vt cenſuit D. Hieron. Epiſt. 22. ad Euſtochium. *Moyſes*, ait, *& Ieſus Naue nudis in ſanctã Terram pedibus iubentur incedere, & diſcipuli ſine calceamentorũ onere & vinculis pellium ad prędicationẽ Euangelij deſtinãtur, & milites*

lites veſtimentis IESV ſorte diuiſis, caligas non habuere quas tollerent: Nec enim habere poterat Dominus, quod prohibuerat ſeruis. D. Hieronymo aſſentitur S. Auguſtin. lib. 22. contra Fauſtum. S. Bonauentura, Lyranus, Abulenſis, Carthuſianus, & alij.

Quando autem Apoſtolis permiſit; vt Sandalijs vterentur, vt conſtat ex cap. 6. Marci. *Præcepit eis, ne quid tollerent in via niſi virgam tantum non peram, non panem, neque in zona æs; ſed calceatos ſandalijs.* Ipſe hoc etiam calceamenti genere vſus eſt. Quod docuit S. Gaudentius tract. 5. in Exod. dicens. *Non propter ſe calceatus eſt, ſed propter nos, quoniam terra ſuſtinere non poterat maieſtatis eius nuda veſtigia.* In eadem ſententia fuit Barradas tom. 2. concor. ad c. 7. Luc. vbi exponens, qua ratione Maria Magdalena Chriſti pedes in conuiuio vngere potuerit, ſi calceatos habebat,

Ioa. 1. 27. vt ſuppoſuiſſe videtur Ioannes Baptiſta, dicens: *Non ſum di-*

Bernard. *gnus ſoluere corrigiam calceamenti eius,* hęc ait *Reſponderi poteſt, Chriſtum ſandalijs vſum, quæ totum pedem minimè contegunt, atque adeo potuiſſe fœminam apertas pedum partes perun-*

Marc. 6. *gere.* Et verò ſandaliæ, vt habet Gloſſa ad illa verba Marci: *Calceatos ſandalijs,* talem habent facturam, vt pedes nec omnino contegant, nec omni ex parte nudos relinquant. Verba gloſſæ dedit S. Bonauentura in Epiſt. ad Concionatorem aliter ſentientem. *Vt neque pes tectus ſit, neque nudus ad terram:* & ideo ſandalia non reputantur calceamentum, quia hoc ſolum conſtat ex pedum operimento de corio facto, vt vt communiter fatentur Authores.

Hic Chriſti erat habitus vilis, & pauper; hoc calceamenti genus, quo nonnunquam vtebatur, dum apud nos vixit, & Terram illam ſuo ſanctificauit inceſſu. Hic idem eſt colore etiam, & vtilitate, vt diximus cap. 7. §. 2. ad Chriſti imitationem, & ſimilitudinem habitus Sancti Franciſci, quem filijs geſtandum præcepit, dicens: *Et fratres veſtimentis vilibus induantur.* Et inſuper calceamentorum vſum vetuit. *Non debeant portare calceamenta.* Quod fratres in Terra ſancta exiſtentes rigidiſſimè obſeruant. Vnde omnes vilem habi-

habitum deferunt, & plerumque obſoletum, ſciſſilem, ac magna ex parte reſarcitum: alij nudis omninò pedibus incedunt: alij verò ſandalia portant Chriſti, & Apoſtolorum exemplar ſecuti: Quemadmodum enim Dominus IESVS, ipſiuſque diſcipuli nudis pedibus, vel adhibitis ad ſummum ſandalijs, quæ pedes propè nudos relinquebant, Terram illam perambularunt, ſuoque inceſſu ſanctificatam, & omni veneratione colendam reddiderunt. Sic noſtrates Minoritæ nefas ducunt ſi alio in ea habitu incedant, & loca illa ore potius lambenda, millieſque exoſculanda, non niſi pedibus omnino, vel ex parte nudis contingant.

Quid ni hoc facient? quibus ſatis exploratum eſt Deum Moyſi, & Ioſue calceamenta ſoluere de pedibus præcepiſſe. *Solue*, inquit, *calceamēta de pedibus tuis: locus enim, in quo ſtas, Terra ſancta eſt*. Quia non decebat vt Terram ſanctam aliter quàm nudis pedibus cōtingerent, & ea pedum nuditate venerantes ſanctitatē ipſius profiterentur. Porro Terra illa tunc temporis ſancta dicebatur; quia vt ibi adnotauit Lipoman. in catena, pro theatro admirandę rubi ardētis viſioni deſeruijt. Vel forsā, quia poſtea Chriſti in ea ambulātis inceſſu erat ſanctificanda, & ampliſſimū exercēdi Redemptionis noſtræ myſterijs theatrum præbitura. Si ergo iam tunc ob futuram Terræ ſanctitatem, tanta ei veneratio debebatur, ſicut ex D. Hieronymo dicebamus. *Moyſes, & IESVS Naue nudis in ſanctam Terram pedibus iubentur incedere*. Laudatiſſimū eſt Minoritarum inſtitutum, qui Terram ſanctam inhabitantes vili habitu, & pedum nuditate Chriſtum & eius diſcipulos Terræ illius ſanctificatores repræſentant. Et ſaluberrimum quinimo neceſſarium erit Eccleſiæ decretū, quo neminem, niſi talis inſtituti ſectatorem, ad ſacrorum locorum cuſtodiam admittat. Cùm etiam Saraceni venerationis ergo nudis illuc pedibus ingrediantur, vt Patres noſtri, qui ibi reſident teſtes oculati referunt. Et pudor eſſet, vt Chriſtiani, & multò magis Religioſi talium locorum Miniſtri calceati, & ampliter veſtiti incederent, vbi Chriſtus vixit, diſcalceatuſque, & viliter indutus ambulabat. Magna deinde foret diſſonan-

Exod. 3. n. 5. Ioſue 5. n. 16.

Lipomanus in Catena.

D. Hieronym. epiſt. 22. ad Euſtochium.

ſonãtia, quando Terræ ſanctę cuſtodes, & Theſauri illius administratores cũ primario dedicatore ſuo IESV Redẽptore noſtro corporis habitu, & nuditate pedũ non cohæreant, & ſors hanc rũpi harmoniam nõ ſuſtinebit, vt facilè credet, qui quod cum Heraclio Imperatore factum fuerit animaduertet.

Ergò Heraclius poſtquã pacis fœdera cum Siroe Perſarũ Rege inijt, & Chriſti crucem recepit, quã Choſroas Sirois Pater quatuordecim annos captiuã detinuerat, felices bellorum euentus ad Deum retulit gratulabundus, & Redemptionis tropheũ Hieroſolymis iterũ reponere inſtituit. Atque adeo Atalico ſpectandus ornatu ſolemni pompa, & cõcurſantis vndique populi multitudine ſtipatus, inter feſtiuas plaudentiũ acclamationes, ſacrã vrbem ingredi moliebatur. Sed ecce tibi portæ propinquus conſtitit, nec vltra pedem mouere potuit. Rei nouitate, & admiratione perculſus hęrebat Heraclius: Nec quod caperet cõſilium deliberabat. Tùm *Zacharias* Patriarcha Hieroſolymitanus, qui in eo triumpho Imperatorem à latere comitabatur, cauſam inſolitæ nouitatis aperuit, dicens. Exploratum tibi ſit ò Heracli, quod hac via, per quam nunc incedere tentas, Chriſtus habitu longe diuerſo Crucem humeris deportauit: Ille enim veſte vili, ſpinea corona, nudis pedibus incedebat. Tu verò pretioſa veſte indutus, regia corona redimitus, & calceatus incedis, taliſque diſſonantia Deo quam maximè diſplicet. Placuit Imperatori conſilium, & ſtatim purpuram abiecit, & coronã, calceamẽta depoſuit, & veſtem humilem reſumpſit; Tunc inceptum iter moliri cępit, feliciſſimeque abſoluit, & Crucem in eodem loco, vnde Choſroas abſtulerat triumphabũdus collocauit. Hinc apertiſſimè deducitur quàm aptè vilis Minoritarum habitus, & pedum nuditas ſacrorum locorũ ſeruitio, & miniſterio conueniat: Et quantum Chriſto Redẽptori noſtro diſplicebit, ſi alios cultu, & habitu ſibi diſſimiles illuc aſpexerit introductos. Forſan ante portã, quod Heraclio accidit cõſiſtẽtes hærebũt, nunquã intraturi: donec vel pedẽ referant, & regrediãtur, vel Minoritarũ de obſeruãtia habitum aſſumant, Apoſtolicæque ipſorũ vitæ inſtituta ſectẽtur.

Ribaden. in vit. Sanctor. to. 1. in feſto exalt. S. Crucis.

§. SEX-

§. SEXTVM.

Finis ſextus producitur, videlicet, Eccleſiæ, Sediſque Apoſtolicæ proprietas, & dominium nunquam amouendum.

MAgna quoque in propoſito fine conuenientia ſe ſe offert, trutina æquali ponderanda, videlicet, Eccleſiæ, & Sedis Apoſtolicæ proprietas, ac dominium, quæ dum loca ſancta penes Minoritas de Obſeruantia conſtiterint, ad ipſam pertinebunt. Nam rerum omnium dominium, & proprietatem, quibus Minores vtuntur Nicolaus tertius a. 2. *§. Ad hæc fratres*, Sedi Apoſtolicæ applicauit, prædeceſſoris ſui Innocentij IV. decreto aſſentitus, qui res omnes ad Minoritarum vſum ſpectantes in proprietatem, ac dominiũ Sedis Apoſtolicę, & Romanę Eccleſię iam receperat. Aliter verò ſe res haberet, ſi alij pręter Minores ad locorum Terrę ſanctæ poſſeſſionem admitterentur: Quippè cum dominij, & proprietatis capaces exiſtant, ad eos ſpectabit: atque adeò ſub taliũ poſſeſſione theſaurus ille priuati, & particularis eſſe dominij cenſeretur. Nec Eccleſia, aut Sedis Apoſtolica directè, vt ita dicam, quatenus ſic eſſet, penes ſe dominiũ proprietatemque haberet: Vnde loca illa potius talium dicenda forent, ad quos dominium, & proprietas tẽporaliter loquẽdo ſpectat, quàm Eccleſiæ, vt de alijs rebus temporalibus iudicatur, quæ à dominij capacibus obtinentur. Secus tamen accidit in Minoribus: quamdiu ſanctorum locorum adminiſtratores, poſſeſſoreſque extiterint, Sedes Apoſtolica, & Eccleſia illorum proprietate, & dominio potitur. Hinc eſt, vt Sacra Congregatio de propaganda fide, Sedis Apoſtolicæ, & Eccleſiæ nomine ſacroſancta loca Redemptoris trophæa, dulcemque ſponſi memoriam, tanquam rem propriam teneat, gubernetque. Et Minores tanquam Adminiſtratores; & Theſauri, cuius habet dominium, Cuſtodes protegat, & omni ſtudio tueatur.

Nec ſola hic æſtimanda eſt dominij prærogatiua, qua Minoribus loca ſancta adminiſtrantibus Eccleſia perfruitur: ſed aliud è tali dominio ſuccreſcẽs gloriæ præſtãtioris elogium: Nimirum vt loca illa ſub Eccleſiæ dominio & proprietate conſiſtentia omnium fidelium quodã modo ſint, ad omneſq. ſpectent: Quod non eſſet ſi intra priuati cuiuſdam dominij limites clauderentur. Et quidem neceſſarium eſt, vt loca, in quibus peracta ſunt Redẽptionis myſteria, & Hieruſalem cæleſtis beatitudinis figura, Redemptionem, & beatitudinem, deriuata in omnes poſſeſſione repræſentent.

Matth 17. Petrum olim apud Thabor ignorantię reum, Euangeliſtę redarguerunt, quia dixerat: *Faciamus hic tria tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum*; Et meritò ait Diuus Bernardus ſerm. de vita ſolitaria redarguitur. *Neſciens quid diceret: quia viſa Dei maieſtate, commune bonum intra priuatum ſuum viſus eſt contuliſſe: & quo omnes frui debebant, ipſe ſolus frui curabat.* Iniuria beatitudini fieri videbatur, ſi quod omnibus deſtinatum erat, tribus tantum concedi procuraret. Auſim dicere ſacris Hieroſolymæ locis iniuriùs eſſet, qui eos intra priuati dominij terminos concludere intentaret, vt qui ſub Eccleſiæ dominio, ac proprietate ad omnes videntur fideles pertinere: cùm inde tranſierint, paucorum eſſe reputabuntur. Et ſub Fratrum Minorum adminiſtratione repoſitis, de terrena hac Hieruſalẽ ſub Eccleſiæ dominio conſtituta dici poterit, quod de cæleſti dixit egregiè S. Auguſtinus in Pſalm. 83. *Poſſident Hieruſalem cæleſtem ſine anguſtia, ſine preſſura, ſine diuerſitate & diuiſione limitum: omnes habent eam, & ſinguli habent totam non anguſtat frater fratrem.*

Iam verò, qui ſanctorum locorum dominium mediante Minoritarum poſſeſſione penès Eccleſiam poſitum contrahere niteretur illam Ruperti conqueſtionem non effugeret. qui lib. 11. in Ioan. iuſtiſſima indignatione in Iudam proditorem inuehitur, eo quod Chriſtum omnium Redemptorẽ quaſi ſuum vendiderit, & ſibi ſoli profuturum deſtinauerit. *O magnifica*, inquit, *ſupplantatoris peruerſitas, qui vniuerſa-*

 lem

lem noſtræ ſalutis hoſtiam, ſic quaſi ſuum peculium, poſſeſſorem Mundi venalem propoſuit. Loca autem illa minimè venalia ſunt, quamquam pro eorum adminiſtratione ad redimendam Turcarum tyrannidem, magna pecuniarum quãtitas expendatur. Si quis tamen inter fideles oblatis nummis ad ſanctorum locorum poſſeſſionem, dominiumque anhelat, & quod participatione communi ad omnes pertinet, intra priuati iuris limites circunſcribere ſtatueret. Is iure optimo proditoris Iudæ cenſura feriendus erit, & tanquam diuinæ bonitatis offenſor ab Eccleſia propellendus.

His ſex finibus hactenùs recenſitis, tanquam firmiſſimis totidem columnis ſanctorum locorum poſſeſſio penès Minores ſuſtentatur. Quos Sedes Apoſtolica reſpiciens, inconcuſſam omnino poſſeſſionem reddere procurat: Quamquam Græci, vt iam dicemus, ſolita fraudulentia tentarint euertere. Ad quod fomitem ſubminiſtrat inuidia, cuius facibus incenſi ægerrimè ſuſtinent, vt Guardianus Hieroſolymæ in publicis actionibus principem locum inter Prælatos Orientales tanquam Sedis Apoſtolicæ Commiſſarius ſibi vendicet, cum pontificalibus indutus ornamentis ſacros ritus, & cerimonias incredibili pompa, & apparatu Turcis admirantibus peragit. Ex quo Eccleſię Romanæ dignitas; & præcedentia ſtabilitur Nam ſtantibus illic Minoritis, quibus vt antiquioribus Terræſanctę poſſeſsoribus pręcedentia, & antiquitatis prærogatiua conceſsa eſt, ad Romanam Eccleſiam pertinebit. Et forſan intrantibus alijs, periclitabitur: Si enim Græci poſseſsores ſe videant, alios præcedere repoſcent, & obtentam ſemel præcedentiam nunquam demittent.

CA-

CAPVT IX.

Fallax Græcorum aſtutia, dolo, & pretio, quædam ex Sanctis Locis à Minoribus terno iam æuo poſſeſſa pro aliquod tempus obtinuit.

Dolis ſemper abundans Græcia, & fallacijs fœcundiſſima extitit: Vnde Græca fides, & punica pari doloſç infidelitatis infamia laborant: & quod aperta veritate conſequi deſperant, contecta fraudibus arte obtinere nituntur. Hac præmunitus doloſitate Germanus Hieroſolymæ Antiſtes, ingentique pecuniarum ſumma apud Moſcouiam collecta onuſtus, vrbem ingreſsus eſt anno 1634. & duas portas, quibus in Pręſepe Bethlehem aditus patet, in die Natiuitatis Chriſti ſibi reſerandas procurauit, vt per vnam cum peregrinis gentis ſuæ ingrederetur, & per aliam exiret. Parum namque honeſtum dictitabat, vt tantus Patriarcha eadem, per quam intrauerat, porta egrederetur Hoc prætenſæ authoritatis colore Grçcus ſuam occultauit aſtutiam, & planè Conſtantinopoli cùm eſset negotium, illud tractauerat, & poſtmodum pacta pecunia abſoluerat. Nam cùm Noſtrates Minoritæ ipſius conatui ſe opponeret, & eiuſmodi portas nunquam aperiri ſolitas affirmarent: gnari prorsùs, quod ijs ſemel apertis, de more gentis illius conſuetudo enaſceretur quç amplius auferri non poſset. Magna vtrimq. certatum fuit contentione, & quamquam Græcus vehemēter inſtitit: non tamen pepulit, nec obtinuit. Et ideo indignatione fremens, & pecunia fidens Conſtantinopolim regreditur, vbi rem feliciſſimè proceſsuram confidebat. Quam benè ille alius alius apud Maronem dicebat. *Timeo Danaos & dona ferentes.* Formidabundus enim erat Patriarchæ aduentus quanquam non ſtipatus militibus veniebat, ſed onuſtus auro, quod per medios ire ſatellites, & prærumpere amat ſaxa potentiùs ictu fulmineo. Primum ergo adoritur magnum Viſier, & caput illo-

Virgil. 2. Aeneid.

illorum quos dicunt Xeriſes. Deinde alios Viſieres, Agad Geniſarorum, & alios præfectura, & dignitateque inſignes inuaſit, quibus oloſerica Damaſceno opere contexta, veſtes operoſiſſimè elaboratas, & alia ad quadraginta ſcutorum millia donauit. Inſuper Magno Soldano quadraginta mille aureos obtulit. Quo donatiuo, & oratoris Anglorum fauore tantum valuit, vt porticum Bethlehem, vbi eſt ſanctuarium, cum omnibus capellis auferri à noſtratibus impetrauerit, vno Conuentu excepto. Quin etiam in Ciuitate Sancta Hieruſalem lapidem, in quo perunctum eſt Chriſti iam mortui corpus,& magnam habitationis partem, quam intra Sancti Sepulchri Eccleſiam Minores poſſidebant, ad Græcos transferri conceſſum eſt, & executioni demandatum in octaua Epiphaniæ anni ſupra indicati. Obtenta à Græcis prædictorum locorum poſſeſſio duobus circiter annis durauit: donec detecta Græcorum falſitate ad primos redierunt poſſeſſores.

Igitur Minoritæ de locorum iactura mędrentes omnem adhibuerunt ſollicitudinem, vt iterum recuperarent. Adfuit votis Omnipotens, & certior factus Vrbanus VIII. Pontif. Optim. max. literas exhortatorias in forma Breuis ad Imperatorem, ad Catholicum Hiſpaniarum Regem, & alios Orbis Chriſtiani Reges, ac Principes remiſit, in quibus paterno affectu, vt verus Eccleſiæ Pater, ac Pontifex, addito verborum ſtimulo ad prædictorum locorum reſtaurationem incitauit. Tantum verò momenti habuit hæc Pontificis adhortatio, vt omnes auxilio eſſe ſpoponderint. Anteiuit hac etiam re Philippi IV. Hiſpaniarum Regis Catholici pietas, cui, vt maximo Eccleſiæ propugnatori, & vel hoc ſolo titulo Hieroſolymorum Regi clariſſimo, ſummæ curæ eſt, vt loca illa, & Redemptionis noſtræ trophæa promoueat, foueat, illæſaque conſeruet: Et ideo hac occaſione ſexaginta aureorum millia ſpopondit, & pro liberanda fide regia ſtatim quadraginta rependit. Laudanda etiam eſt ingens

Gg Hiſpa-

Hiſpanorũ deuotio largiſſimis contributionibus atteſtata, vt in præſenti innotuit: quoniã Regiæ liberalitati nonnullis donariuis acceſſio facta eſt. Neque hic ſiſtet deuotionis, & largitatis flumen, ſed quoties locorum ſanctorum cauſa poſtulauerit vberrimè decurret.

Pontificiæ pietatis æmulator Eminentiſsimus Dominus Cardinalis Barberinus S. R. E. Vicecancellarius, & totius Seraphicæ Religionis Protector vigilantiſſimus diuini honoris zelo efferueſcens, & Chriſtianæ dignitatis in talium locorum iactura periclitantis ſtudio excitatus nihil intentatum reliquit, vt ablata à Minoribus Eccleſiæ Romanæ loca iterum reſtituerentur. Et præterea largiſſimam conceſſit eleemoſynam. quin etiam Eminentiſsimus Cardinalis Alboraoz Hiſpanus Terræ ſanctæ Protector ſummo ſtudio elaborauit, quantumque licuit in promouendo ſacrorum locorum auxilio & conſeruanda eorum poſſeſsione modis omnibus attendit, nihil quod prodeſſe potuiſſet omiſſurus. Iam vero Sac. Congregatio de Propaganda fide mirum eſt quantum in hoc negotio laborauerit: Nihil ea tẽpeſtate ante oculos magis, quàm talis iactura obſeruabatur. idem omnium animus, idem ſtudium, & ardor erat, Creberrimæ fiebant conſultationes: hoc vnum, & præcipum in illis agebatur, vt locorum fieret reſtitutio. Deliberatum eſt mittendos ad Reges, & Chriſtianos Principes Religioſos Minoritas, qui nomine Sedis Apoſtolicæ de reſtitutione agerent. Mittuntur plurimi, & omnes ſuo quiſque loco legationem ſtrenuè obierunt.

Dum hæc agebantur Noſtrates, qui Hieroſolymis aderant; apud vrbis Præfectos, & alios Sultani Miniſtros de Græcorum falſitate querebantur. Quippe qui productis inſtrumentis omnino falſis, & ſcripturis fraudulenter confectis poſſeſsionem obtinuerant. Et ſanè Græcis familiare eſt, & iam olim fuit ſcripturas confingere. verè confectas abradere, mendis aſpergere, & falſitatibus deprauare. Quapropter Græcos ſcripturarum mures non iniuriùs compellauerim.

rim. Quemadmodũ Marcionem eiuſdem criminis reum non illepidè ſcripturarum murem dixit Tertullianus. Et D.Leo epiſt 83. ad Palæſtinos conqueritur de Græcis, quòd epiſtolam ſuam ad Flauianum, ſe adhuc viuente, corruperint. Sanctus Gregorius epiſtola 14. ad Narſem. Conſtantinopolitanos, & Synodi Chalcedonen. & Epheſinæ corruptores arguit, & eorum codices falſitatibus reſperſos affirmat. Non eſt hoc Romanorum ingenium ait ibidem S. Pater, *Quia ſicut non acumina, ita nec impoſturas habent*. Poſtremò Ni-Nicolaus I. epiſtola ad Michaelem Imperatorem, de alia Adriani epiſtola locutus, quam à Græcis corruptam ſuſpicatur, hæc ait, *Si tamen non falſata more Græcorum, ſed ſicut à Sede Apoſtolica miſſa eſt, penès Eccleſiam Conſtantinopolitanam hactenùs conſeruatur.*

Perbellè tamen Philoſophorum Antiſtes veritatem Solem eſſe dixit fulgentiſsimum: quoniam elucet tandem, & falſitatum tenebras fugat, quinimo inter extraneos, vbi facilè eſt inimicos inuenire, de mendacijs triumphat, in ipſiuſque inimicis ſuæ defenſionis patrocinium reperit. Pro Minoritis ſtabat veritas, victoriaque ſtetit, quam Soldanus pronunciata contra Græcos ſententia confirmauit. Aliquas ſententiæ clauſulas latinè redditas genuinæ ſinceritàtis præconio laureatas hìc inſero. *Sic etiam Graecus Patriarcha Hieroſolymitanus, & ipſius Religionis Chriſti conſtitutus intra Eccleſiam dictam Camame, hoc eſt ſanctiſsimum Sepulchrum, & antrum Bethlehemicum, quod dicunt ſanctiſſimum Præſepe, in quo natus eſt Redemptor vitæ Chriſtus, & quidquid continetur intra magnam Eccleſiam tituli Sanctæ Mariæ in Bethlehem, & duæ claues portæ borealis, & portæ meridionalis. Item duo horti circumcirca. Quæ ſcripturas falſas producendo ad ſeipſos attinere prætendebant. Et fauore aliquorum ad intereſ- priuatum attendentium, informationibus contra veritatem productis, obtinuerunt mandatum Regium, cuius virtute prædictorum locorum poſſeſſionem per biennium habent. Nunc verò præſentatis per Fratres Francos inſtrumentis, & ſcri-*

zareth, & quemlibet locum ab ipſis poſſeſſum: ſtatuimus, vt in ſua antiquitate conſeruentur, quin ampliùs Græci, Armenij, aut alij Chriſtiani illuc ſe intromittere audeant. Omnes verò lampades, & candelabra, quæ per Græcos, & alios in prędictis Eccleſijs collocata ſunt, prorsùs auferantur. Et ſi quid noui per eos factum, videlicet porticus, ſcalæ, inſcriptiones extinguantur. Nec aliqua opponatur difficultas quominus Fratres Franci, vt ſolebant, lampades ſuas habeant, & ritus ſuos, ac cerimonias in quolibet loco exerceant, præſertim in monte Caluariæ, quemadmodum tempore præterito fecerunt. Item ſicut antea Guardianus Fratrum Francorum in omnibus functionibus habebat præcedentiam: ſic modo omnes præcedere debet abſque vlla contradictione. Et quandiu prædicti Fratres Franci antiquis, & ſolitis contributionibus ſatisfecerint nulla eis moleſtia afferatur. Et quanquam Guardianus cum noua familia non veniat è terra Francorum, non exigetur contributio; Et licèt aliqui menſes decurrant ante aduentum nouæ familiæ: non proinde à Fratribus, qui ibi ſunt contributiones exigentur. Quinimo tam ipſi, quàm eorum Turcimani, & ſeruitores protegendi ſunt, & defendendi. Quoties contra hoc ſignum meum Imperiale pro parte Græcorum ad alterandum aliquid, vel immutandum ſcripturæ fuerint præſentatæ ſtatim de manibus portatorum auferantur, & ad meam felicem portam remittantur. Qui verò fuerit author, vt aliquid fiat contra hoc meum Imperiale ſignum in pœnam, & indignationem incurret. Datum Kalend. April. Anno 1636.

Publicata Sultani ſententia Noſtrates loca per biennium ipſis erepta receperunt, & per aliud biennium conſeruabãt. Sed atrox Græcorum inuidia optata diu poſseſsione frui nõ permiſit: Nam ſolitis fraudibus, & falſitatibus, quarum iniquo vtentes patrocinio omnia ita peragunt, vt ex animi ſententia procedãt: Et quod apud Turcas plurimũ valet, donatiuis Miniſtrorũ animos commouerunt, quo Minores à locis

ſupra-

ſupradictis expellerent,& tandiu apud hos,& pręcipuè apud Soldanum inſtiterunt, vt duorum locorum poſſeſſio Græcis traderetur: Qui Minores in Terra ſancta morari non ſuſtinent,ex quo Sacra Congregatio de Propaganda fide,quæ ſedente Gregorio *XV.* incepit, & incredibili ſollicitudine Infidelium conuerſioni inuigilat, Miſſionarios ex Minoritis inſtituit,& Arabum linguam addiſcere præcepit; vt in eas Regiones profecti Infideles ad fidem, & Schiſmaticos ad Romanæ Eccleſiæ obedientiam pertrahant. Et verò tam vberes ex hoc laudabili ſtudio fructus percipiuntur, vt plurimæ, & magni momenti cõuerſiones propè diem eueniant. In quibus Minoritæ qua prædicando,qua priuatis exhortationibus ſuadendo, in familiari, & quotidiano congreſſu gnauiter elaborant. Hæc Græcorum rabies,hæc noui furoris, & indignationis cauſa,& ingens contra Noſtrates commotio: Saracenos ad fidem pertrahi, & ſuos ad Romanæ Eccleſiæ ſubiectionem tranſire impenſius dolent. Antea Minores intra Conuentuum ſepta detenti orationi, ſacrorum locorum cultui, & ſibi attendebant. Nunc accedente Sacræ Congregationis imperio doctrinæ etiam attendunt, & animarum conuerſioni ſtudent: vnde magnum apertum eſt fidei oſtium, quod Græci occludere omnibus modis nituntur, & ideo ſanctorum locorum poſſeſſores fieri procurant, vt Minoribus inde eiectis,& in patriam reuertentibus, deficiente cultura creſcant infidelitatis ſpinæ, & iactum fidei ſemen opprimant.

Quia tamen Græci probè agnoſcunt ſacrorum locorum poſſeſſionem apud ipſos non fore diuturnam, quia Turcarum inſatiata cupiditas vſque ad ſanguinem emungit, & exactiones multiplicat: quibus perſoluendis Græcorum Religio impar eſt, nec ita facile apud eos pecuniarum collectæ fieri poſſunt. Vnde fors tam graui diſpendio nollent pietati conſulere, Religionis, & Dei parciſſimi cultores,cum noſtris,pietatis, & liberalitatis ſtudio minimè conferendi. Quapropter Græcis licebit obijcere, quod olim Chriſtianam laudans pietatem Gentilibus obiecit in Apologetico

Ter-

Tertullianus, dicens: *Plus noſtra miſericordia inſumit vicatim, quàm Religio veſtra templatim*. Deinde reueriti beneuolentiam, qua Minoritas à Saracenis complecti intuentur, timent, vt obtentam poſſeſſionem amittant, & ad noſtrates transferatur. Et ideò certas pactiones ſpondent, vt ſub ijs myſtica, & communis ſit apud vtroſque prædictorum locorum poſſeſſio: Quod cum Sacræ Congregationi innotuiſſet: quamquam pactionibus aſſentiri minime placuit; attamen alia ratione Græcis ſatisfaciendum ſtatuit. Ita quod ab intento deſiſtant, & integra apud Minores prædictorum locorum poſſeſſio remaneat. Præclarum ſanè decretum: nam ſicut opprobrium eſſet, vt apud nos diuiſus eſſet Chriſtus, quod D. Paulus Corinthijs obiecit dicentibus: *Ego quidem ſum Pauli: Ego autem Apollo: ego vero Cephæ, ego autem Chriſti. Diuiſus eſt Chriſtus*. 1. Corint. 1. n. 12. ſic etiam ignominioſum eſſet Chriſti loca, & Redemptionis noſtræ monumenta inter Chriſtianos Eccleſiæ Romanæ filios, & Græcos Chriſtianorum contrarios, & eiuſdem Eccleſiæ inimicos alterna quaſi poſſeſſione diuidere: ſi vicisſim in eo loco ſua peragere officia traditis clauibus permitterentur. Porrò quid aliud hoc eſſet? quam vt inter Græcos, & Minoritas diuiſus eſſet Chriſtus. Laudauit olim vniuerſus Iſrael ſapientiam Salomonis, eo quod litigantibus fæminis ſuper infante, & vna vt diuideretur contendente, & altera vt integer remaneret poſtulante, Reſpondit Rex, & ait: *Date huic infantem viuum, & non occidatur: hæc enim eſt Mater eius*. Tertio Regum 3. num. 27. Pari ratione Græcis, & Minoritis ſuper Sanctiſsimi Præſepis poſſeſsione contendentibus, Græci dicunt: Nec nobis, nec vobis integer maneat, ſed diuidatur, & vtriſque alternis vicibus ritus ſuos, ac cerimonias de more peragere ſit licitum: E contra Minoritæ ipſis ſolis tradendum proclamant, nec vllam cum Græcis commixtionem habere ſuſtinent. Quid Sacra Congregatio? Tradite Religioni Seraphicæ integrum præſepe, in quo natus eſt Chriſtus infans. *Hæc enim eſt Mater eius*. Hæc parentis ſui Franciſci meritis ſan-

Tertullian. in Apol.

1. Cor. 1. nu. 12.

3. Reg. 3. nu. 27.

ctuarij

ctuarij illius poſſeſsionem obtinuit. Et ſicuti filius nullibi ſecurius, & dulcius, quàm in matris pectore requieſcit. Ita ſanctiſsimi præſepis, & aliorum locorum Terræ ſanctæ poſſeſsio nunquam ad cultum decentior, nec ad ſecuritatem firmior, quàm penes Minoritas ſtabit, cum ipſis (nec vanus augur) ad Mundi finem permanſura.

Finis Primi Libri.

LIBER SECVNDVS.

De his, quæ ad Guardianum Hieroſolymitanum; & Commiſſarios Terræ Sanctæ pro conquirendis inter fideles, & deportandis illuc eleemoſynis deputatos ſpectant: Deque Minorum capacitate, quam vbique præſertim in locis ſanctis habent, vt legatis ſibi relictis potiantur.

IMMENSAS theſauri ſpiritualis opes, & cæleſtes ſupra Cræſi, Craſsique opulentiam Terræ ſanctæ diuitias: amabiles Chriſti ibi naſcentis, viuentis, morientis delicias, Sancti Franciſci cum Chriſto ſimilitudinem, deliciarum fruitionem, primos ad loca ſancta aditus, & quaſi ius filijs inde conquæſitum, filiorum poſt parentem ingreſſum, poſſeſsionem, fundatos ibi Conuentus protulit liber primus. Noua iſta dixerim an vetera? Planè noua: & ideo de theſauro noſtro vetera ſuperſunt depromenda. Nam cæleſtis ſponſa dilecto ſuo noua ſeruauit, & vetera; vt à ſe inuitatum vtriſque delectabiliter reficiat: *Noua & vetera, dilecte mi ſeruaui tibi*. Canticor. 7. num. 13. Et in Matthæi Euangelio cap. 13. dicitur. *Omnis ſcriba doctus in Regno cælorum ſimilis eſt homini Patri familias, qui profert de theſauro ſuo noua, & vetera*. Eòdem profectò reſpiciunt Canticor. D. Matth.

ſponſæ affectus, & ſcribæ ſtudium: idem eſt vtriuſque theſaurus, vt apud D. Thomam in catena, cenſuit Diuus Hieronymus. Perbellè autem de theſauro proferre ſpondent, quia nihil proſunt Theſauri diuitiæ, quas arca infelix ſtrangulat, niſi inde prudenter, liberaliterque deſpertiendę proferantur. Ergò manifeſtata theſauri opulentia, Cuſtodes ipſius, & opum diſpenſatores proferre neceſſe eſt, legeſque & indulta, quibus in adminiſtrãdis opibus vtuntur aperire.

Primo Solymæ Guardianum legibus, & ſtatutis inſtructum, immunitatibuſque, & priuilegijs pro regimine adornatum depromam. Deinde Commiſſarios collectis deſtinatos, monitis, & documentis, eo muneri perneceſſarijs inſtituam. Hęc ſunt vetera, quæ nouis permixta de theſauro proferre ad ſponſæ, & Patris familias æmulationem ſtatuo. Hic planè eſt ſcribæ docti in Regno cælorum ſcopus, vt non ſolum poma noua, hoc eſt ſponſi delicias, dulcedinem, amores nouitate commendabiles proponat: ſed etiam Euangelij monita, & ſalubria ad inſtructionem ſuggerat documenta; Vt qui delicias amant, dulcedine capiuntur, amores ſitiunt, documenta auſcultent, monitionibuſque erudiãtur. In hoc (operepretium, credo facturus) calamum, & ſtylum parumper defatigabo.

CAPVT I.

Guardiani Montis Sion officium, dignitas, priuilegia, & quanta ſit ditionis amplitudo inculcatur.

PRimarius theſauri ſpiritualis Cuſtos, & adminiſtrator eſt Hieroſolymæ Guardianus, ſacri Montis Sion Conuentus regimini prępoſitus: Quamquam ex hoc loco Aegyptum, totam Palæſtinam, Syriam, & Soriam gubernet. Alij in diuerſis Conuentibus Guardiani, præſideſque exiſtunt: omnes tamen Hieroſolymitano ſubſunt: Eſt enim eius familiæ Cuſtos. Nec noſtrates ſolum, ſed etiam cuiuſcunque ſtatus,

tus, & Ordinis Religioſi, & ſæculares in omnibus illis partibus ei ſubijciuntur, & veluti ſuperiorem, ac Prælatum recognoſcunt: Quoniam Delegati Apoſtolici munus exercet: & multis prĕterea exemptionibus, & immunitatibus gaudet, quibus ampla ipſius iuriſdictio, poteſtaſque ſtabilitur. Quæ viſa fuerint potiora ex ſuis authographis tranſumpta ſubijciemus; ſed prius, quæ ad perficiendam Guardiani perſonam ſpectant, & primum de virtutibus quibus vitam ſuam diſtinguet, ornabitque tractabimus. Præibit maior omnium charitas, omnibus exhibenda.

§. PRIMVM.

Guardianus Hieroſolymæ charitatem erga omnes, præſertim peregrinos illuc vndiq. concurrentes exerceat.

MAgnum eſt charitatis artificium, & ſumma potentia: quoniam immenſitatem æmulando cor hominis inflammat, nec tamen exedit; ipſiuſque anguſtias ita dilatat: vt immenſa terrarum ſpatia ſua exæquet, vel ſuperet latitudine. Cum ergo Solymæ Guardianus in Monte Sion, veluti quædam Ciuitas refugij poſitus exiſtat, vt pauperes, & peregrinos diuerſarum gentium, ac nationum ad ea loca concurrentes foueat, gratèque excipiat: neceſſum planè eſt, vt latiſſimos habeat cordis ſinus, in quo omnes indiſcriminatim hoſpitentur: & immenſæ longitudinis brachia, quibus totum, ſi illuc eat, orbem complectatur. Hæc autem eſt charitatis prĕrogatiua, vt cor dilatet, brachiaque extendat. Idcirco Guardianum Hieroſolymæ charitate feruentem opto: ita vt illud Apoſtoli ad Corinth. verè, & amanter dicat: *Os noſtrum patet ad vos o Corinthij, cor noſtrum dilatatum eſt.* Quaſi diceret: cernitis quomodo patulo, & hianti ore apud vos incedam; vt ſuſcepto aëre exæſtuantes in corde flammas tĕperem: & ardens amoris rogus cor ipſum ita dilatet, vt nō ampliora ſint orbis latifundia. Omnes vos, nemine dĕpto, intra cordis mei ſinum recipiam, nec de loci anguſtia, &

intrantiũ,multitudine conquerar:*Non anguſtiamini in nobis.*

Hoc idem charitatis ingenium ſtudioſè ſibi comat Solymæ Guardianus; hoc amoris incendio cor ſuum dilatet, vt in illud omnes intrare poſſint peregrini, pauperes, infirmi, nec loci anguſtiam ſentiant. Præterea,quod excellentiſſimę charitatis eſt, plus ipſum pauperum nuditas, peregrinorum inopia ægrotantiũ infirmitas, quam ipſoſmet patientes excruciet. Quod in D.Paulo mirificè extollit S. Chryſoſt. dũ

2.Cor.11. ad Corinth.ſcriberet,dicens:*Quis infirmatur,& ego nõ infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Non parum certè diceret,ſi dixiſſet:Quem veſtrum inuaſit infirmitas, cui non compatiar,quem ægrotum nõ doleam?Quem ſcandalũ tetigit, quo ego etiam tactus non fuerim? Plus tamen charitas potuit,quæ non ſolum compaſſionem extudit,ſed infirmitatem impreſſit:Et pro ſcãdalo,quod alij ſuſtinebant,aduſtio-

D.Chriſoſ. nem intulit.Ergo D. Chryſoſt. *Non dixit,& ego non moleſtia afficior? ſed ego non vror,vrendi verbo oſtendere volens ſummũ dolorem. Et rurſus ſcribens in alia Epiſtola,dicit:Sine nobis regnauiſtis,& vtinam regnauiſſetis.Et rurſus:Nunc viuimus, ſi vos ſtatis in Domino:Vide quantoperè ſtudebat,vt res fratrum ſe rectè haberent,qui nec viuere quidem ſe exiſtimabat, ſi illi non eſſent ſalui. Homo qui fuerat raptus ad tertium Cælum, & delatus in Paradiſum,& qui fuit particeps myſteriorum ineffabilium,& tantam apud Deum aſſecutus erat fiduciam: illorum bonorum ſenſum non valde accipiebat,niſi etiam vidiſſet fratres ſecum eſſe ſaluos. Sciebat enim apertè charitate nihil eſſe maius, neque quod ſit cum ea conferendum, nec ipſum quidem martyrium, quod eſt ſumma bonorum. Nam charitas quidem abſque martyrio facit Chriſti diſcipulos: martyrium autem ſine charitate non poteſt hoc facere.* Hactenus ille.

Vt autem Guardianus huiuſmodi charitatis officia exerceat, multiplex apud Hieroſolymam occaſio ſeſe offert: eo maxime tempore cum plurimarum gentium, & nationum, totiuſque Eccleſiæ peregrini accedunt, quos mirum eſt, quam humaniter, & quali Chriſtiani amoris demonſtratione noſtri ſuſcipiant. Igitur antequam Hieroſolymam

âccedant, Guardianum ſui aduentus admonent, qui illicò duos mittit Religioſos, vt ad Portam Damaſci Peregrinos excepturi proficiſcantur (hac enim ſolummodo aditus ad Vrbem licet) ne dum ibi ſe tenent, quouſque *Baxa* intrandi licentiam remittat, fraudem aliquam, vel calumniam à Turcis ſuſtineant.

Portata licentia ad Conuentum perducuntur; vbi in primo atrio conſiſtentes à Turcis explorantur, an arma deferant. Guardianus, & alij in ſuperiori atrij parte expectant, dum fit exploratio. Tunc temporis domus portæ Eccleſię vicina, veſtitis ſerico parietibus iam ornata componitur, pauimentum ſtragulo opertum floribus aſpergitur, in quo peluim odorata, & calida plenam conſtituunt In Sacriſtia Cãtores duo, totidem Cereoferarij, pro thuribulo, & Cruce alij duo, & Sacerdos alba, & ſtola indutus Guardianum procedentem comitaturi expectant. Ille amictum capiti imponit, ſuperpelliceum induit, & ſericis funibus habitus manicas ad humeros retractim colligit; vt ablutionis officium facilius peragat. Mox peregrinus ſurſum adducitur, vbi omnes venientem ſalutant, incredibili amoris ſignificatione amplectuntur, & ordine ſuo ad prædictam domum reportant, in qua è Græcis non pauci, & Maronitæ huius cerimoniæ ſpectatores adſunt, & omnibus cerei accenſi porriguntur.

Domum ingreſsi, circunſtantibus alijs, Peregrinus in cathedra ſedet, ad cuius pedes Guardianus in genua prouolutus ablutionem incipit, cui prę eunt duo cantores, Pſalmum. *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi*, quarto quodam tono ita deuoto præcinentes, donec ablutio perficitur; vt penè omnes ex circũſtantibus actionem illam Religioſæ humilitatis, & charitatis indicem lachrymis proſequantur.

Poſtquam lauit pedes Guardianus linteoque abſterſit tenerrimo exoſculatur affectu, ſequuntur & alij fratres non impari deuotione oſcula imprimentes; interim ſacerdos, verſus, & orationes eiuſmodi miniſterio cantu, & ſenſu accommodatas recitat. Peregrino dantur crepidæ, & cereus ſemilibris accenſus, quem manu proferens ad latus Guar-

Guardiani in proceſſione per clauſtra defertur, intonantibus interim Cantoribus *Te Deum laudamus*.

Cantum proſequentes in Eccleſiam ingrediuntur, vbi hymnodia cum verſibus, & orationibus cantatur; Tria inuiſunt altaria, Cœnæ videlicet, S. Thomæ, & Diuini Spiritus: Litaniæ B. Virginis dicuntur cum Antiphona. *Tota pulchra es*, & omnia ad gratiarum actionem pro fælici in Terram ſanctam aduentu referũtur. Tum Guardianus breuem habet concionem, in qua peregrinum admonet, qua deuotione conſcientię puritate, & reuerentia loca illa ſanctiſſima inuiſere debeat, memor myſteriorum quæ ibi Redemptor noſter exercuit.

Concione habita in triclinium cum fratribus pranſurus adducitur. Podmodum in Hoſpitio collocant, vbi lectus, & cibus quandiu ibi manet abundanter miniſtratur: pro quo Religioſus quidam deputatur: & alter vt Sacramenta adminiſtret, ſacras ſtationes percurrentem ducat, comiteturque. Illi autem qui pecuniarum vacui accedunt, nè inſalutatis ſanctuarijs mærentes decedant, pro eis tributa ſoluuntur, ſine quibus nec loca inuiſere, nec viuere ſine fidei abiuratione Saraceni conſentiunt. Si quos, dum illic demorantur, ęgritudo corripit, ſedulò curant; nudos veſtimẽtis fouent, deceſſuris cibaria donant; ac vbi primùm ad portum appellunt, ad Conuentum perducunt, cibo, lectoque reficiunt. Et quidem exercendis huiuſmodi officijs ingens pecuniæ ſumma quotannis expenditur. Quodque amplius mirabere, non vni tantùm, nec ſemel, ſed innumeris peregrinis propediem accedentibus idem, ſicut diximus, obſequium impeditur. Nec ſolis Eccleſiæ filijs, ſed hæreticis, Theutonibus, & Anglis, qui illuc curioſitate potius, quàm deuotione confluunt, æqua charitatis menſura prouidetur. Quo Romanæ Eccleſiæ benignitas mirificè extollitur, quæ non ſolùm filios, & extraneos, ſed etiam inimicos, ſponſi ſui Ieſu amorem æmulando, amplexatur.

His ergo charitatis exercitijs intentus Solymæ Guardianus, qui fieri poteſt, vt ea qualiter decet ab eo exerceantur: niſi

niſi totus ſit Dei amore,& proximorum charitate ſuccenſus. Maximè cum hinc, cùm Turcarum inſatiabili cupiditate, inde cum importuna pauperum peregrinorum neceſſitate ſit colluctandum. Et vt, vtriſque ſatisfaciat tributa ſoluendo, pauperibus opitulando, quadraginta circiter aureorum millia ex eleemoſynis fidelium collecta ſingulis annis erogat. Tales verò eleemoſynę diuino conſpectui gratiſſimæ reputantur, vt poſtea dicemus.

Charitatis monitum proſequor, qua ſuadente non ſolùm ſpiritualia peregrinis, ſed etiam temporalia Guardianus procuret, D. Pauli ſecutus exemplum, qui ad fœminæ vnius pauperculæ ſubſidium ſic attendebat,vt Tito ſcribens toti populo eam commendauerit, quod D. Chryſoſtomus maximi fecit, diſertèque expendit in hunc modum. *Non in ſpiritualibus ſolùm plurimæ ſollicitudinis, ac prouidentiæ ſuæ documenta præſtabat. Audi quomodo pro vna muliere ad vniuerſum ſcribat populum: Commendo autem vobis Phœbem ſororem meam quæ eſt in miniſterio Eccleſiæ, quæ eſt in Cenchris, vt eam ſuſcipiatis in Domino dignam ſanctis,& aſſiſtatis ei in negotio quocunque veſtri indiguerit. Et iterum: Noſtis ait domum Stephanæ, vt & vos ſubditi ſitis huiuſmodi: & rursùs, cognoſcite quæ huiuſmodi ſunt.* Hæc ille. Nec alienum eſt à viris Religioſum ſtatum profitentibus; vt ſe aliquando terrenis, & temporalibus, ac ad proximorum ſubuentionem immiſceant: ſicut egit pro Sunamitide Eliſæus, cui non ſolùm diuinum poſtulabat auxilium, ſed etiam apud Regem gratiam promereri, & ſuum in Curia negotium gerere ſpopondit: *Ecce ſedulè*, inquit, *in omnibus miniſtraſti nobis. Quid vis faciam tibi? nunquid habes negotium? & vis vt loquar Regi, ſiue Principi militiæ?* Quo exemplo D. Chryſoſt. ſtimulos addit ad ſectanda huiuſmodi charitatis officia, & vlteriùs de D. Paulo locutus adiungit. *Nec de viatico illorum quos euocabat curam gerere dignatus eſt. Tito ſcribens, ait. Zenam legis peritum & Apollo ſollicitè præmitte; vt nihil illis deſit &c. qui autem pro vno ſeruo fugitiuo Oneſimo, & qui ex rebus Domini multa ſubtraxerat*

D. Chryſoſt. Homil. 3. de laudib. Pauli.

3. Reg. 4.

D. Chryſoſt. homilia 3. de laudib. Pauli.

xerat integram omnique affectu plenam Epiſtolam ad Philemon. ſine cunctatione compoſuit, qualis circa alios fuerit perpende. Vnum enim ille pudore dignum putauit aliquid ſcilicet pro cuiuslibet ſalute negligere. Propter hoc agebat omnia: Nec quidquam pro his, qui ſaluandi erant cunctabatur impendere: non verba, non pecunias, non corpus ipſum. Quoniam, inquit, libenter impendam, & ſuper impendar ipſe pro animabus veſtris. Hactenus ille.

Satis ſuperque exagerata Pauli charitas, memorata ſollicitudine & ſtudio videbatur. Quid amplius dicere poterat? Quam vt ſeipſum pro aliorum animabus impenderet. Anathema fieri cupiebat Roman. 9. *Optabam anathema fieri à Chriſto; hoc eſt*, ait eo loco Diuus Chryſoſtomus, *carere æterna remuneratione, & Chriſti priuari conſpectu pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundùm carnem, qui ſunt Iſraelitæ. Optabat in Gehennam mitti & iudicium ſubire perpetuum pro eorum ſalute à quibus fuit ſępè lapidatus, qui eum interficere contenderant, vt hi tantarum authores afflictionum per fidem corpori Chriſti iungerentnr. Quis ita dilexit Chriſtum? Si tamen hoc dilectione, & non amore maius eſt aliquid nuncupandum. Quæ tamen omnia anathemata optabat Apoſtolus, modo nulla ſua culpa contigeret.* En veræ & Chriſtianæ charitatis ſpeculum, ad quod intendens Guardianus ita ſe effingat, & componat, vt omnibus ſiue Chriſtianis, ſiue Ethnicis, & Saracenis, ſiue Hæreticis, diuitibus, & egenis, Græcis, & Barbaris, prout ſuppetit facultas opituletur; omnia omnibus factus, non ſimulationis aſtu, ſed compaſſionis affectu. Sic namque omnes lucrabitur Chriſto, maximè cum vitę exemplo etiam Chriſti hoſtibus, aduerſarijſq. prę-luxerit. De quo monitum aliud ſubiungo.

§. SECVNDVM.

Solymæ Guardianus cunctis in Terra Sancta degentibus forma factus præluceat vitæ exemplo.

LAbitur abſcendente forma in naturalibus compoſitum: Et morum compoſitio in ſubditis deeſt, niſi hæc in ſuperioris vita tanquam doctrinæ, ac præceptorum forma illuceſcat. Hinc eſt, vt Chriſtus Dominus apud Matthæum cap. 5. diſcipulos ſuos exhortatus, vt vitæ exemplo clareſcerent pulcherrima lucis metaphora id expreſserit, dicens: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus vt videant opera veſtra bona*. Itaque non tam voce, quàm viſu Prælatos, ac præceptores admonebat excellere, quibus ſubditi adobedientiam; & doctrinam non tam aures, quàm oculos accomadare conſueuerunt, *vt videant*: Et planè lux ad viſum ita conducit, vt ſi deſit, oculi nihil videant. Cùm igitur Solymæ Guardianus in lucem illarum gentium datus, & veluti forma fidelibus, qui ibi degunt ad imitandum conſtitutus, ſicuti D. Paulus ad Theſſalon. 2, cap. 3. num. 9. dicebat: *Sed vt noſmetipſos formam daremus vobis ad imitandum nos*. Quam maximè decet, vt monitum illud Diui Bernard. in lib. de conſideratione præ oculis habeat, adamuſſimque obſeruat. *Si totus*, inquit, *vis eſſe omnium, inſtar illius qui omnibus omnia factus eſt, laudo humanitatem, ſed ſi plena ſit. Quomodo autem plena te excluſo? Et tu homo es, ergo vt integra, & plena ſit humanitas colligat & te intra ſe ſinus qui omnes recipit: alioquin quid tibi prodeſt iuxtà verbum Domini ſi vniuerſos lucreris, te vnum perdas? Quare cùm omnes te habeant, eſto etiam tu ex habentibus vnus. Quid ſolus fraudaris munere tui? Vſquequo vadens ſpiritus & non rediens? Vſquequo non recipis te, & ipſe inter alios voce tua? Sapientibus, & inſipientibus debitores, &*

D. Matth.

Bernard.

ſoli negas te tibi ſtultus, & ſapiens, ſeruus, & liber, diues, & pauper, vir, & fœmina, ſenex, & iuuenis, clericus, & laicus, iuſtus, & impius omnes pariter participant te: omnes de fonte publico bibunt de pectore tuo, & tu ſeorſim ſitiens ſtabis? Si maledictus, qui partem ſuam facit deteriorem, quid ille, qui ſe penitus fecit expertem. Hactenus ille in ſui Pontificis adhortatione.

Pulcherrima ſanè eſt hæc Diui Bernardi admonitio, & Guardianum Terræ ſanctæ inſtruit (qui in illis partibus ſummi Pontificis, & Sedis Apoſtolicę nomine conſtitutus reſidet) & veluti manu in viam dirigit; quam ſi teneat, & vitæ præſit exemplo muneris ſui partes egregiè tueatur, à qua ſi deuiet moſtrum formarum contrariarum diuerſitate compactum euadet, quem tantum abeſt, vt fideles ſequantur, 1. Petri 5. vt potius & meritò fugiant, abominenturque. *Nam cum forma gregis fieri debeat ex animo:* Sicut Apoſtolorum Princeps admonebat, in eo præſertim loco, vbi pro tota, vt ita dicam, Eccleſia poſitus talem ſe prębeat, qualem aſpicientes ipſi conformes fieri ſtudeant. Quis enim monſtri formam induere non recuſabit? Et ideo quantùm voce formam impertiri fidelibus curet, tantùm deformis ſui ipſius conſpectu auertet. Plus enim momenti habet adhortatio probis actionibus conteſtata, quam vocibus. Nouit Senec. hoc Seneca, & Epiſtola ſexta diſertè ſcripſit *Plus tibi*, ait, *viua vox, & conuictus, quam oratio proderit: primò quia homines plus oculis, quàm auribus credunt: deinde quia longum eſt iter per pręcepta, breue, & efficax per exempla: breue quia ſine multa verborum circuitione, vt ſit in concione, nec diffiniendo, aut diuidendo virtutis natura aperitur, ſed potius eam exhibendo, & repręſentando, vt exempli cauſa, ſi Cęſarem dicendo deſcribere velis, longo ſermone opus ſit, neque eum tam perfectè pingere poſſis: ſin verè ipſum ſiſtas momento temporis ex ipſo conſpectu multò clariùs, & certiùs cognoſcetur.* Præbeat ergo ſeipſum Guardianus optimarum actionum exemplum, vt quicunque ipſum incedentem viderint docentem, audiant. Planior enim via eſt qua operibus

ribus

ribus quiſquam ad virtutem perducitur, quam exhortationibus: Et ideo prædicabat egregiè Sanctus Leo ſermone de Sancto Laurentio, quòd quamquam *facilis ad exhortandum ſit oratio, efficax ad ſuadendum: validiora tamen ſunt exempla, quàm verba, & pleniùs eſt opere docere, quam voce*.

Et quidem non ſolùm nihil exhortando proficiet, ſed nec ipſe vitæ exemplo deſtitutus monita, & hortamenta ſuggerere audebit, erubeſcens, quod alijs ſuggeſtum eat vitæ integritatem, quam non exhibet. Atque adeo optima officij ſui parte, nimirum exhortatione, deſtituetur, quam Diuus Paulus in ſuperiore requirebat, Tito ſcribens, *vt potens ſis exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt arguere*. cap. 1. nu. 9. At quo pudore dicetur ei: hæc doce, & exhortare. 1 ad Timoth. 6. n. 2. vel; *Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio*. Ad Titum 2. nu. 15. cum conſcientia non exhibendi, quod admonet, mutum reddat & elinguem. Quinimo nec ipſe admonere adorietur. Nam vt lib. de patientia cap. 1. docuit Tertullianus. *Oportet commendationem alicuius rei adorſos, ipſos prius in adminiſtratione eius rei deprehendi ne dicta factis deficientibus erubeſcant*. Porrò hæc exemplo alijs prælucendi neceſſitas ex ipſo Guardiani officio comprobatur. Quid agit Hieroſolymis Guardianus? Ad quid ibi inſtitutus, & Pontificis loco ſuffectus? Planè, vt fideles erudiat, erudiendo immutet in melius, infideles pertrahat ad fidem, & exuta perfidię vetuſtate in nouas transferat creaturas. Quid? vt informes illic ad ſtantium mores, & deformatam ſceleribus vitam exemplo vitæ ſuæ tanquam forma peruenuſtet. At qnomodo hoc pręſtiterit niſi ſeipſum prius immutet, virtutibus exornet, & tanquam formam alijs imitandam proponat?

Ad Tit.

Ad Timot.

Magnum profectò Sacramentum in primo Chriſti miraculo abſconditum eſt. Nam cùm poſſet auſpicandæ ſuę potentiæ magnitudini aliam eligere materiam: aquas tamen elegit, & in nuptijs Chana Galileæ mutauit in vinum. *Et hoc fecit initium ſignorum Ieſus*. Ioannes 4. Sed cur aquis

hæc datur prærogatiua, vt ipſis primò ad ſuę potentiæ oſtenſionem vtatur? Rem teneo Apoſtolorum iſthæc erudio eſt, & omnium quotquot eorum loco poſtmodum ſufficiendi erant, qualem Hieroſolymæ Guardianum, ibi tanquam formam fidelibus pariter, & infidelibus propoſitum recognoſco. Qui ergo aquis paulò poſt daturus erat, vt homines per baptiſmum immutarent: Et qui in eas peccatores intrarent, iuſti egrederentur: Idcircò priùs ipſæ mutantur, vt poſtea alios immutandi virtutem obtineant.
D. Hilar. hom. 1. Diſertè dixit Hilarius Homilia 1. *Mutantur ſubitò aquæ homines poſtmodum mutaturæ*. Quod expendat ſeriò Guardianus quem admonitum velim operam perditurum, ſi fideles, & infideles, ad quorum inſtitutionem, & curam Hieroſolymis deſtinatus exiſtit immutare obnitatur, niſi in ſeipſo mutationem antea perfecerit. In illis locis ſanctitatem ſpirantibus, vbi Chriſtus noſtræ Redemptionis myſteria exercuit, vbi ſuo exemplo omnes, qui ibi poſtea victuri erant, conſtrinxit, vt alijs quorum inſtructioni perficiendi erant, vitæ puritate, modeſtia, integritateque præluceant ſuo muneri nequaquam ſatisfaciet Guardianus, niſi talium virtutum exemplo, quibus præeſt ad virtutum ſequelam præcurrat.

Breuem hanc de præſtando alijs exemplo hortatiunculam memorabilis exempli narratione corroboro, & obſigno. Georgianos, vt refert Nicephorus lib. 8. cap. 34. vilis vna mulier & captiua, ſed virtutum nobilitate clariſſima moribus Chriſtianis inſtruxit, & Eccleſiæ dedit. Hæc ante captiuitatem pudicè, caſtèque vixerat: in ipſa tamen captiuitate orationis ſtudium auxit, & quantò ampliùs mentem rerum diuinarum contemplatione reficiebat, tantò aſperiùs ieiunijs, vigilijs, aſſiduaque mortificatione corpus extenuabat. Admirabantur Barbari captiuæ modeſtiam, humilitatem, patientiam. Cùmque inſolitę aſperitatis cauſas inquirerent: illa reſpondit, ſe eiuſmodi afflictione corporis, & maceratione Chriſto Deo ſuo cultum exhibere. Stupent ad nominis nouitatem, non enim adhuc apud eos nominatus

fuerat

fuerat Chriſtus, fœminam tamen deinceps in honore habent. Interim mulier Regionis illius, infantem moriturum ad captiuam perduxit, vt ei mederetur. Illa paruulum ſuo tangens cilicio ſanitati reſtituit: cuius rei fama vrbem impleuit, & palatij portas ingreſſa ægrotantem Reginam impulit, vt mendicando dolori, quo augebatur, captiuam ad ſe trahi præceperit. Adeſt, & Reginam ſanitati primum, & poſtea fidei Chriſtianæ reddidit. Rex Reginæ ſuaſionibus, diuinis miraculis, captiuæ inſtructionibus fidem amplexus eſt: & conuocato populo fidei prædicatorem ſe præſtitit. Ad Regis concionem incredibilis populi ſubſequitur acclamatio, & omnes vno ore Chriſtianos fieri velle profitentur, ſine mora Legati ad Conſtantinum Imperatorem mittuntur. Qui rem geſtam exponunt, Sacerdoteſque, & Miniſtros expoſcunt, vt inceptum à captiua opus perficiant. Mira ſanè eſt exemplaris vitæ fortitudo: Siquidem vna ſola fœmina virtutum ſuarum forma Georgianos infidelitate deformes, Chriſtiana fide efformauit: & immani quondam barbarie efferatos ſalubri exhortatione demulſit, cæleſtique doctrina omnem antea cultum abhorrentes expoliuit. Quanto plura efficiet Guardianus Solymæ conſtitutus, ſi officij, & loci, in quo eſt non immemor, *Seipſum in omnibus præbeat exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate verbum ſanum irreprehenſibile, vt is qui exaduersò eſt vereatur; nihil habens malum dicere de nobis*. Quemadmodum Apoſt. Titum 2. num. 7. adhortabatur.

§. TER-

§. TERTIVM.

Ad prudentiæ lumen actus omnes in cuſtodiendo Terræ ſanctæ theſauro, tractandaque animarum ſalute Guardianus componat.

ILlam in Solymorum Guardiano prudentiam dirigendis actionibus non requiro; quam in rerum cognitione plurimi collocant: ſed quæ à Sanctis Patribus diſcretio nuncupatur: eſtque, vt ipſi aiunt, lucidiſſima fulgoris lucerna, ad cuius ſplendorem homo actiones ſuas ita componit, vt intentum finem aſſequatur. Quinimò nulla virtus eſt, e qua humanarum actionum compoſitio magis quàm e diſcretione dependeat: idcircò illam magnus Abbas Antonius apud Caſſianum, virtutum matrem appellauit: & alij boni regiminis oculum dixerunt, ſicut enim nihil eſt quod faciem ita exornet, quàm diſpoſitio oculorum; ita nihil bonum regimen pluſquam diſcretio illuſtrat, diſtinguitque. In caliginoſa domo cuncta iacent inordinata, nec in quo loco quodlibet ſit poſitum diſcernitur, donec lumen accedat, ad cuius ſplendorem componuntur, ornatumque accipiunt. Tenebricoſum eſt, & obſcurum ſine diſcretione regimen, & magnis præcipitijs obnoxium, vt ijs accidere ſolet, qui cæci ſunt, vel in tenebris ambulant. Quapropter Chriſtus Dominus apud Lucam cap. 11. Rectores admonebant, dicens, *Vide ergo ne lumen, quod in te eſt tenebræ ſint*. Hoc eſt caue ne prudentia, vel diſcretionis lumen in te ſit obſcuratum. Tantundem enim in regimine diſcretio, quantum in corpore valet oculus, qui lucerna corporis æſtimamur. *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus ſi oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit: ſi autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebroſum erit.* Porrò D. Gregorius apud D. Thom. in catena ad hunc locum corporis nomine humanas actiones interpretatur dicens. *Appellatione corporis vna-*

Caſſian. collect. 2.

quæque actio intelligitur, quæ ab intellectu per oculum ex Origenis, & D. Chryſoſtomi ſententia ſignificato illuſtratur, cùm ipſe prudentiæ, & diſcretionis lumine non deſtituitur, ſed ſumma ſagacitate latentes affectus penetrat, & actus omnes ad prudentiæ normam componit, ac moderatur.

Maximoperè ergo inuigilet Guardianus ne tenebroſus in eo ſit prudentiæ oculus, & diſcretionis lumen extinguatur; alioquin totum regimen tenebroſum erit, & ipſe millies in præcipitia relabetur, vt ijs vſuuenit qui erutis, vel obtectis oculis per abrupta deferuntur. Quapropter ante omnia vnius cuiuſque gentis mores, ingenia, conditiones diſcernere ſtudeat. Et ijs quantum fas eſt ſe attemperet, ad ſuique beneuolentiam alliciat. Quo fiet, vt theſaurum illum ſacratiſsimum ſuæ cuſtodiæ commiſſum conſeruet, nec ex eo quidquam amittat, memor Dei miniſtrum fidelem, & prudentem eſſe debere: ideoque Salomonis ſponſam imitetur, de qua ille in ſuo Epithalamio. *Naſus tuus ſicut Turris libani, quæ reſpicit contra Damaſcum*. Qua naſi metaphora vt cenſuit Theodoretus ipſius diſcretionem, ac in diſcernendis rebus ſingulis ſagax iudicium commendauit. Et contra Damaſcum reſpicere affirmat, Ciuitatem Iſaelitico populo contrariam, quia omnis inimicorum aſtutias, & inſidias diſcutit, & rectiſſima diſcretionis trutina ponderat; vt quæ euitanda ſunt effugiat, quæ amplectenda ſequatur, quæque corrigenda diſcretionis ſagacitate mo deretur. In omnibus præcauens ne ab inopinata contrariorum vafricie capiatur. Nec modica eſt huiuſmodi laus, nec paruifacienda, quoniam diſcretio principem, inter cæteras virtutes ad bonum regimen requiſitas, locum ſibi vendicat. Quinimò vt dicebat S. Bernardus ſerm. 49. in cantic. *Diſcretio non eſt tam virtus, quam quædam moderatrix, & auriga virtutum ordinatrixque affectum, & morum ductrix: Tolle hanc & virtus vitium erit, ipſaque affectio naturalis in perturbationem magis conuertetur, & exterminium naturæ*. D. Bernar.

Meminerit igitur theſauri illius ſanctiſſimi Cuſtos, neceſſum ſibi eſſe, vt naſum habeat ſimilem turri, quæ reſpicit

contra

contra Damaſcum. Hoc eſt, ſumma polleat ſagacitate, & diſcretione, qua veluti naſo omnes Turcarum dolos etiam abditiſſimos odoretur, omnes aſſultus proſpiciat; quibus theſaurum deprædari nituntur, & quaſi in celſiſſima turri poſitus venturas Saracenorum fallacias, & perdendi artes detegat, calidiſſimèque anteuertat, quod monitum ſi quidam ex ipſius anteceſſoribus obſeruaret, Porro Montis Sion irreparabilem iacturam nō pateremur: qui anno 1559. per vnius Guardiani imprudentiam nobis, & Eccleſiæ ereptus perhibetur, poſtquam per ducentos, & triginta circiter annos Minoritæ ipſius poſſeſſionem retinuerant. Et niſi magna diſcretio, peruigilque adhibeatur cuſtodia, omnia per ſummam Turcarum doloſitatem, & vafriciem à nobis eripientur.

Aſſolent Turcarum primores nonnulli quoties negotiorum cauſa Conſtantinopolim eunt, vel illuc ob alios fines pergere conſtringuntur, ad reſarciendos ſumptus, quos in Curia detenti, eundoque, & redeundo fecerant, quædam à Magno Viſer [a] diplomata conſequi, quorum vi pecuniæ ſummam ſuo arbitrio ſtatutam à noſtris exigunt, pæna impoſita, vt niſi ſoluatur, locus in diplomate aſſignatus eripietur: Certi quod nullis parcetur expenſis, ne minimam ſacerrimi illius theſauri particulam amittamus. Veri in hac parte negotiatores euangelici, qui vt poſſeſſum, & intactum conſeruemus theſaurum omnia perpeti, & agere, licetque non omnia, quibus iam renuntiauimus, noſmet ipſos tamen vendere non dubitamus: Ergo Conſtantinopolim ibat Saracenus quidam: Iudæus itineris conſcius, & promerendæ gratiæ cupidus iturum admonuit, vt in Soldani Curia mandatum obtineret, quo Montis Sion Conuentus à noſtris auferretur. Cùm enim ibi poſitum eſſet Dauidis ſepulchrū, indecorum videbatur, vt tanti Regis, ac Prophetæ Mauſolæum Francorum pedibus conculcaretur. Itaque Religionis prætextu, & venerationis colore Iudæus ſuam inuidiam, Saraceno, hic ſuam Viſer cupiditatem occultare ſtudent. Pergit Iudæus, & iturientem alloquitur: ſi ita eſt, vt magnam

a Magnus Viſer eſt primus poſt Imperatorē qui omnia Imperij negotia gubernat.

optas

optás pecuniarum ſummam colligere, facilis ad quæſtum via aperitur: mandatum conſequere Regium, vt Franci à monte Sion expellantur: cauſa hoc prætextu expoſita, quòd ibi Dauid ſepulchrum exiſtit, & habes totà quod mente petis: Quoniam Franci quidquid petieris dabunt, dummodo loci huius poſſeſſionem retineant. Annuit monenti; vadit, negotiatur: & Hieroſolymam regreſſus, Guardianum montis Sion clanculum conuenit, mandatum exponit, duas ſibi veſtes ſericas damaſceno opere laboratas donari expoſcit: quæ ſi dentur mandatum, ait, ſupprimam; ſi dare renuas, exequar, & vos hinc expellam. O quam vellem Guardianum hoc loco Turris inſtar naſutum contra Damaſcum reſpiciētem, qui diſcretionis oculo Saraceni fallaciam diſcerneret, & deceptionem aſpiceret: ſed ille tenebroſus, quippe cui diſcretionis, & intelligentię lumen non affulſerat, Turcam irriſit imprudens, irridendus ipſe, & vituperandus, qui ne veſtes daret, pretioſiſſimam theſauri ſibi concrediti ſupellectilem amiſit. Repulſus Turca ſpem vultu ſimulans receſſit, iterum rediturus: nam poſt decem dies regreditur, cauſam exponit Guardiano, periculum amittendi loci manifeſtat, de veſtibus paciſcitur, & niſi donentur, mādati executionem minitatur Cæcutit ad hæc Guardianus, & obſurdeſcit. Tantum imprudentia, & indiſcretio nocet. Qua re indignatus Turca abijt, mandatum Regijs Miniſtris exponit: illi exequuntur, noſtros è monte Sion repellunt. Et Hieroſolymitanum [a] Cadi illuc introducunt, vt que eo in loco oraret exhortantur: quia cerimonia meſquita factus, & Mahumeto dicatus nuſquam amplius ad Chriſtianos poterat deuenire, & ſi multis aureorum millionibus redimi cōtenderetur. Mahumetica namque ſecta cautū eſt, ne locus in quo meſquita erat ad Chriſtianorum Eccleſiam transferatur. Et ideo quāuis poſtea Chriſtiani Reges, ac Principes pro loci reſtitutione ad Soldanum literas demiſerunt, ſub Meſquitæ prætextu petitionem repulit, de quo in lib. 1. c. 8. §. 1. reſponſum Galliarum Regi datum inſpicies. Ecce tibi mons Sion ſanctuarium Vrbis nobiliſſimum, vnius ob Guardiani imprudentiam

[a] Cadi ſu dex eſt Prouinciæ vel ciuitatis.

à noſtris ad Saracenos translatum, nec vltra reſtituendum? Inuigilet ergo Solymæ Guardianus Turcarum inſidias caueat, fraudulentiam formidet, intentoque diſcretionis oculo recognoſcat, & fugiat: illud quod minimum eſt amittere non abnuens, ne quod magnum habet momentum perdere conſtringatur. Et quia diſcretio humilium eſt prærogatiua, ſicut dixit Caſſianus: *Vera diſcretio non niſi vera humilitate conquiritur*, Deum ſuppliciter oret, vt diſcretionem ei largiatur, quatenus in eum iactari illud Euangelicum poſſit. *Fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam.*

Caſsian.

Hæc ad tractandos Turcarum mores diſcretio requiritur, ſed quia prçter hos cum hæbræis, hæreticis, & ſchiſmaticis ibidem agitur in tractandis omnium moribus per noſcendiſque ingenijs, & naturæ propenſionibus prudens ſollicitudo adhibenda eſt, ſollicitaque diſcretio. Atque adeo molles animorum aditus exploret, & in eorum corda, quos ad fidem pertrahere ſtudet, paulatim ſe iuſinuet, amorem vbique beneuolentiamque oſtendens; ita quod non obſtante Religionis, morum, nationiſque diuerſitate amari ſe ſentiant. Quo fiet vt redament, amore namque prouocatur amor: & nemo tam durus eſt, qui ſi amorem nolit impendere, abnuat rependere; Vnde doctrinam facile recipient, quæ gutatim inſtillanda eſt, & non imbris more cæco impetu refundenda.

Admonendus igitur Guardianus, vt in tractanda huiuſmodi hominum conuerſione illam Apoſtoli doctrinam ad Corinthios 1. cap. 9. amplectatur. *Factus*, inquit, *ſum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer: ijs qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem, vt eos, qui ſub lege ſunt lucrifacerem: ijs, qui ſine lege erant, quaſi ſine lege eſſem; vt lucrifacerem eos qui ſine lege erant. Factus ſum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem, omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos.* Non equidem in Iudæorum, ac gentilium mores abibat Apoſtolus ſed mirabili quadam diſcretione ſimulando ſe illis contemperabat, vt dum ſibi ſimilem intuebantur, diligerent,

Corinth. 1. c. 9. nu. 20. & 21.

ſigerent, & poſtea ad ſeipſum pertraheret. Non omnia ſtatim abijcere contendebat, ſed quoſdam interim ritus, fidei ſubſtantiæ non repugnantes permittebat, per veniam ſuppatans diſciplinam, vt poſtea Chriſtianæ legis perfectiſſimos obſeruatores redderet. Sic etiam Apoſtolos in ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio feciſſe comperimus.

Nouerit omnia, diſſimulet multa non penitus fidei contraria, nonnulla etiam laudet, & quæ pro gentium moribus, naturaque ita ſunt imbibita, & altè radicata, vt euelli non poſſint, dulcedine quadam, & dolo ſancto vtens ad Apoſtoli imitationem dicentis: *Cùm eſſem aſtutus dolo vos cepi*; in alia quæ bona ſunt, & fidei non contraria permutet. Quod iam olim D. Gregorius lib. 10. Regiſt. Epiſtol. 71. ad Melitum ſcribens, faciendum hortabatur. Rogatus enim ab Auguſtino Anglorum Archiepiſcopo, an omnes Anglorum ritus amputandi eſſent cùm primum ad fidem conuertebantur, vel aliqui diſsimulandi, quos magna cum difficultate dimittebant; Et periculum aderat, vt fidem abijcerent, ita reſpondit: *Dicite Auguſtino Epiſcopo quod diu mecum de cauſa Anglorum cogitans tractaui, videlicet, quia ſana idolorum deſtrui in eadem gente minime debeant, ſed ipſa, quæ in eis ſunt idola deſtruantur; vt dum gens ipſa eadem ſana ſua non videt deſtrui, de corde errorem deponat, & Deum verum cognoſcens, & adorans, ad loca, quæ conſueuit familiarius recurrat. Et qui boues ſolent multos ſacrificio dæmonũ occidere: debet his etiam de hac re aliqua ſolemnitas immutari, vt die dedicationis, vel natalitijs Martyrum tabernacula ſibi circa eaſdem Eccleſias; quæ ex ſanis cõmutatæ ſunt, de ramis arborum faciant, & Religionis conuiuijs ſolemnitatem celebrent. Nec Diabolo iam animalia immolent, ſed ad laudem Dei in eſu ſuo animalia occidant, & donatori omnium de ſatietate ſua gratias agant; vt dum eis aliqua exteriùs gaudia reſeruantur, ad interiora gaudia conſentire facilius valeant; Nam duris mentibus ſimul omnia abſcindere impoſſibile eſſe non dubium eſt, quia is, qui locum ſummum aſcendere nititur gradibus, vel paſſibus, non ſaltibus eleuatur; cuius etiam documenti exemplum*

1. Cor. 12. nn. 16.

D. Greg.

 profert

profert in Iſraelitico populo Aegyptiorum ſacrificiis aſſueſa-ćto, quem Deus ab Idolorum cultu reuocans ſacrificia vni Deo de pecudibus offerri imperauit. Hactenus Gregorius, cuius monitum ſalubre eſt, & tractandæ animarum conuerſioni pernecceſſarium. Legat igitur crebro, & obſeruet Guardianus, cui de fortitudine, & patientia hortatiunculam adhibeo.

§. QVARTVM.

Ad laborum tolerantiam, & ipſum quoque martyrium ſuſtinendum Montis Sion Guardianus fortitudine ſe communiat, & patientia obduret.

NVſquam magis fortitudine indigemus, quàm dum in acie conſiſtentes cum pugnaciſsimo hoſte congredimur à quo ſi vincamur, & parcere nolit, ſua vtens victoria, multa neceſſum eſt tormenta, & opprobria pati, & ipſam quoque mortem ſuſtinere. Benè igitur fortitudinis, & patientiæ Guardianum commonemus, quippe qui in acie conſtitutus cum Saracenis, & alijs fidei hoſtibus pugnam init aſsiduam, quos vincere non ſperat, nec poteſt, niſi immotus fortiſque exiſtat, & patienter toleret, illud Apoſtoli mente euoluens 1. ad Theſſalon. 3. *Nemo moueatur in tri-*
Ad Theſſ. *bulationibus iſtis: ipſi enim ſcitis quod in hoc poſiti ſumus.* Quid aliud eſt Guardianus Hieroſolymæ, niſi perſecutionum ſcopus, in quem Saraceni ſagittas dirigunt, quem impetunt frangereque, & deijcere conantur. At ille immobilis, & infractus expectet. *Nam ſi Crucem, & mortem oportuit pati Chriſtum, & intrare in gloriam ſuam, quantò magis fideles, & ſeruos eius? Non enim eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſeruus ſuper Dominum ſuum, & ſicut ſcriptum eſt per multas tribulationes oportet nos*
2. Timot. 3. nu. 12. *intrare in Regnum Dei:* & Apoſtolus dicit: *omnes qui piè volunt viuere in Chriſto IESV, perſecutionem*

patien-

patientur. Et verò Guardianus montis Sion aſſiduis ibi perſecutionibus concutitur. Etenim Saraceni nouas propè diem artes excogitant, quibus Noſtrates opprimant, vt pecuniam quærant, vel locum, ſeu vitam adimant: Iam è Conſtantinopoli mandata reportant, nè nobis liceat tranſire per portam Betlehem, & cùm illuc eundum eſt, non niſi per hanc portam egredi poſſint. Iam Ciſterna Bethlehem auferri præcipitur, vt vel ſiti pereant, vel aquam pecuniarum ſumma redimant. Iterum hortulus domi contiguus, deinde fornax, tandem Crypta iuxta Sanctum Sepulchrum, in qua Noſtrates dormiebant adimi contenditur. Eo ſolùm prætextu, vt numerata pecunia redimantur: vel ſi nolint redimere, prorsùs amittant. Quinimo eò calamitatis deuenerunt, vt nec per vrbis vias ingredi permitterentur. Nec vnquam à nocendo ceſſant, ſed innumeris quotidie vexationibus quæſtus faciendi cauſa perſequuntur. Inter hæc patientiæ exercitia, quid aget Guardianus patientia deſtitutus? Porrò & ſeipſum, & commiſſum ſibi theſaurum deperdet. Tolerantia igitur ſe communiat, illud recolens: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*.

Memorandum patientiæ reliquit exemplum P. Fr. Didacus à S. Seuerino montis Sion Guardianus. Nam cùm anno 1628. die 30. Maij ad ſanctam vrbem appuliſſet, & tributa Miniſtris de more ſolueret iuxtà quantitatem ſingulis præſtitutam, qua non contentus Baxa [a] trecentum inſuper aureos ſibi donandos contendebat. Guardianus inito cum diſcretis conſilio obtulit, & ad prandium inuitauit, in quo hominem lautè, ſplendidèque excepit, vt illius gratiam promereretur. Creuit tamen cum duplicata pecunia ſitis, & quantitatem augeri deſiderabat: quia tamen petere palàm timuit, vel erubuit, conſilium ſuſcepit, e quo Fratrum omnium interitus, & ſanctorum locorum iactura ſequeretus. Coactis namque nonnullis Magiſtratibus vrbis muros perluſtrauit, & cùm intra ruinoſum fornicem muro contiguum propè montis Sion Conuentum quoſdam lapides erutos inueniſſet, Guardianum Conuentus, Procuratorem, &

a Baxa eſt Gubern. ciuit. vel Regni.

Turcimanum accerſiri iubet. Adſunt illi, & coram populi, qui iam confluxerat, multitudine proditionis inſimulantur: Eo quod murum paulatim ſubuertere intentabant, vt Chriſtianorum exercitum introducerent & vrbem caperent; quo audito magnis clamoribus mortis ſupplicio afficiendos poſtulabat. Sed Baxa [a] qui cupiditatem ſatiare & aurum potiùs, quàm Fratrum vitam inhiabat, ad filij ſui petitionem cùm iam paratum eſſet ſuſpendium, & Guardianus ad caſtraturam damnatus, Procuratorem, & Turcimanum [b] præcepit catenis oneratos in carcerem obſcuriſsimum detrudi, vbi per multos dies inedia & pædore penè conſumpti iacuerunt: Quin è Noſtratibus quiſquam auxilio eſſet, aut ſaltem alloqui poſſet. Reſeruatur Guardianus, vt coram patibulo poſitus, & vinctos data pecunia liberaret, & vitam ſuam redimeret. At ille patientia obduratus, & ſuſpendium ſubire paratiſſimus ſui oblitus de ſociorum liberatione cogitabat, qui Superioris & Prælati exemplum ſicuti ipſum admonuerunt, nè quidquam pro ijs è carcere eripiendis largiretur: quia martyrium, & atrociſſima quæque tormenta perpeti cupiebant. Durauit per aliquot dies hæc tempeſtas, in qua Guardianus, & ſocij mortis ſententiam executioni tradendam expectabant. Donec tranquillitas redijt & compoſito multis donatiuis negotio, quæ ad quinque aureorum millia excreuerunt: Vincti è carcere liberantur; & Guardiano vita donatur, quibus nihil iucundiùs, quàm illius curſum martyrio conſumare; vt repoſitam Martyribus in cœlo coronam obtinerent.

[a] Baxa Gubern. ciuit. vel Regni.

[b] Turciman. eſt linguæ Interpres.

Cùm igitur tot perſecutionibus apud Hieroſolymam Noſtrates, & præcipuè Guardianus opprimatur: cum flagris cædi, in carceres detrudi, iniurijs, & opprobrijs affici, & mortis ſupplicium minimo minus ſuſtinere contingat, non inportunè patientiæ monitum ſuggeſſimus. Talis quippe ſit neceſſum eſt, vt cum Iſaia dicat: *Dominus Deus auxiliator meus, ideo non ſum confuſus: ideo poſui faciem meam vt petram duriſſimam* cap. 50. nu. 7. Non opto vt Guardianus, & alij Fratres temere & inconſulto martyrij occaſionibus ſe

Iſai.

obijciant.

obijciant. Hoc enim damnandum potiùs erit, quàm laudandum: nam vt aſtruit Sanctus Thomas 2. 2. quæſtione 124. articulo 2. *Martyrium oblatum debet tolerari patienter; ſed non debet quæri, quia non debet dari occaſio agendi iniuſtè*. Sat eſt Dei ſeruis, vt immobiles conſiſtant, in ſignum poſiti cui contradicatur, quamquam aliquando propter animarum lucrum, vel fraternam charitatem martyrio ſe prudenter ſubtrahere ſit laudabile, qua de re pulcherrima eſt S. Iſidori excurſio ad cap. 23. lib. ſententiarum. *Vir*, inquit, *Sanctus vltro ſe pro agone certaminis debet offerre iuſtitiæ; ſed tamen agonis fructum videns vberrimum, non debet declinare laboris periculum. Quod ſi maior eſt labor, quàm animarum lucrum, declinandus eſt labor, quem minimum comitatur augmentum. Vtrumque enim fecit Apoſtolus qui & periculis ſe vltro dedit, vbi maximum animarum lucrum vidit, & ſapienter ſe periculo abſtulit, in quo potiorem laborem, quàm lucrum eſſe perſpexit: vltro ſe Paulus apud Epheſum, periculis obtulit, quia potiùs periculum vidit. Damaſci autem ideo periculo ſubtraxit ſeipſum, quia nullum periculi ipſius arbitratus eſt fructum. Diſce quomodo ad martyrium ſe offerat quiſque vltro, vel quomodo iuxtà ſententiam Dei cingatur ab altero, & quo non vult ipſe ducatur*. Hactenùs ille. D. Thom. S. Iſid.

Tales itaque Dei Miniſtros, præſertim qui alijs præſunt apud Hieroſolymam deſidero, vt patientiæ fortitudinem addant: niſi enim patientia fortis infractaque extiterit, ita quod nullis cedat aduerſitatibus, nullis frangatur tormentis, & perſecutionibus ſuperetur, patientia dici nequit. Prodigioſum illud patientiæ, fortitudiniſque exemplum ſanctiſſimus Iob quaſi admirabundus, quod in carne fragili tot dolores, ac tormenta ſuſtinuiſſet. hunc in modum ſciſcitabatur. *Nunquid caro mea ænea eſt?* Non ex carne ad dolores & tormenta molli, ſed ex ære compoſitum vellem Montis Sion Guardianum, & alios ibi commorantes, ita vt Chalcēterus, hoc eſt æneis pręditus viſceribus dici poſſet, quemadmodum quidam olim ob fortitudinis prærogatiuam vocatus Iob.

catus

D. Auguſt. catus eſt. *Sed de cælo fortitudo eſt*, quam ſeruis ſuis Deus elargitur. Vnde eſt illud D. Auguſtini ſerm. de S. Laurentio. *Dum fortis, & ſtabilis religioſis mentibus fundata mens, & aduersùs omnes Zabuli terrores, & minas Mundi animus immobilis perſtat, quem futurorum fides certa, & ſolida corroborat.* Hac ergo ſolidatus, & roboratus ita ſe gerat, vt vel ibi moriens, vel alibi moriturus decedens, nobile hoc elogium in ære, cuius ſimilitudinem patiendo expreſſit, ad

2. Mach. 6. æternitatem ſculptum mereatur. *Et iſte quidem hoc modo vita deceſſit non ſolùm iuuenibus, ſed & vniuerſæ genti memoriam mortis ſuæ ad exemplum virtutis & fortitudinis derelinquens.*

Reliqui verò Religioſi Paſtoris ſui, & Prælati veſtigijs inſiſtentes ita ſe gerant, earundem virtutum exemplo clari, vt etiam ipſis conueniat illa minimè fuccata panegyris, qua doctus quidã ex Ordine Dominicano Fratres noſtros Hie-

Grauin. l. vox turturis c. 24. in fine. roſolymæ degentes nobilitauit. *Vos certè Patres miniſtri verbi, adiutores Dei, oracula Spiritus ſancti, qui tot in inſulis editis mirabilibus Eccleſias fundaſtis, tot populos Apoſtolicis præditi virtutibus regitis, fidẽ Catholicam verbo exemplo, ſcripto, prædicationibus, diſputationibus, & cùm opus eſt membrorum veſtrorum laceratione, & proprio cruore defenditis. Qui nihil poſſidentes omnia poſſidetis, Deum enim poſſidetis, facti & vos poſſeſſio Dei, quibus renunciantibus omnia, omnium rerum Conditor cenſus, & hæreditas fit. Quid vltra quærere poſſunt, quibus omnia huius Conditor fit; aut quid ei ſufficit, cui ipſe non ſufficit? Sed cum ipſe ſolus ipſis ſufficiat, omnibus renunciant, propter quæ diligitur Mundus; vt excluſa cupiditate Mundi diuina in eis charitas poſſit augeri, vel perfici, vnde tanquam leuis armaturæ milites ab omnibus implicamentis negotiorum ſæcularium animos remouentes, cæleſtia ſapiunt, terrena deſpiciunt, ijſque virtutibus, quibus in dies ſingulos, fiunt Deo propinquiores, incumbunt.*

§. QVIN-

§. QVINTVM.

Priuilegia referuntur, quibus Montis Sion Guardianus ſummorum Pontificum conceſſione perfruitur.

Hieroſolymitanorum Minoritarum perſecutiones, & perpeſſas à Saracenis calamitates hactenus inſpeximus: iam neceſſum eſt, vt in quo honoris, & dignitatis gradu à Sede Apoſtolica ſint conſtituti videamus. Præeminet omnium caput Montis Sion Guardianus, in quem primariò facultates, & priuilegia Pontifices contulerunt; Deinde in eos, qui inter Infideles degunt, & eorum cauſa ad Hieroſolymitanos ſpectant. Innumerum eſſet omnia ad longum recenſere: quapropter ſummatim ſolummodò referam, indicatis Pontificum nominibus, tempore conceſſionis, & ordine poſthabito, quoniam alieni laboris eſt, & parum noſtro inſtituto deſeruit.

1 Eugenius IV. conceſſit Fratribus, vt abſoluere poſſent à quibuſcunque caſibus, & excommunicationibus, ab Apoſtaſia, ab Infidelitate, à Schiſmate, & ab omnibus peccatis, præterquam à falſificatione Apoſtolicarum litterarum.

2 Clemens V. & Innocentius V. & Ioannes XII. Fratribus indulſerunt, vt in locis Infidelium baptizare poſſint, & diſpenſare.

3 Concedente Calixto III. licet Fratribus confiteri Sacerdotibus ſæcularibus, vbi Fratrum copia non extiterit.

4 Poſſunt cum irregularibus diſpenſare; conceſſerunt hoc priuilegium Clemens V. Innocentius IV. Ioannes XXII. & Gregorius XI.

5 Clemens V. Innocentius IV. Ioannes XXII. & Gregorius XI. facultatem conceſſerunt, vt Fratres diſpenſare poſſent in duodecim caſibus diſpenſatione indigentibus.

Poſſunt Chriſtianos malè viuentes expellere, ac per

Eccleſiaſticam cenſuram cogere, vt egrediantur. Ita Clemen V. Innocentius IV. & Ioannes XXI.

7 Gregorius IX. Innocentius IV. Clemens V. & Ioannes XXII. conceſſerunt, vt Fratres in partibus Orientis poſſent noua loca recipere.

8 Iuxta conceſſionem Nicolai V. licet Fratribus extra ſtatuta tempora à quocunque Epiſcopo Catholico Ordines ſuſcipere.

9 Calixtus III. conceſſit, vt emere poſſent neceſſaria pro neceſſitatibus occurrentibus, & quæ neceſſaria non eſſent vendere, aut commutare, & procuratores cogere ad computum.

10 Licèt Fratribus vota commutare dẽptis Hieroſolymitano, viſitationis liminum Apoſtolorũ & Religionis: ita conceſſerunt Clemens V. Innocentius IV. & Ioannes XXII.

11 Poſſunt Fratres cum excommunicatis, hæreticis, ſchiſmaticis, & infidelibus communicare ex indulto Clemẽtis V. Innocentij IV. Ioannis XXII.

12 Martinus V. & Calixtus III. conceſsit vt Fratres ante diem cum moderamine tamen celebrarent.

Hæc, & plura alia Fratribus qui inter infideles degũt communia priuilegia retuliſſe ſit ſatis. Nunc quę Guardiani ſpecialia ſunt apponam.

13 Guardianus montis Sion habet authoritatem Delegatĩ in partibus Orientis ex Calixto III.

14 Guardianus poteſt diſpenſare in aliquibus ſuper rigore Regulæ ſecundùm loca, tempora, & neceſſitatem ex Calixto III.

15 Guardianus poteſt retinere apud ſe capſam eleemoſynæ, conceſſit Calixtus III.

16 Guardianus Montis Sion poteſt ad ſe vocare Fratres voluntarios ex alijs Prouincijs abſque conſenſu Miniſtrorum, ita conceſſit Calixtus III.

17 Guardianus ex eodem Calixto III. habet authoritatem ſuper Sacerdotes ſæculares, & laicos etiam.

Horum priuilegiorum tenores in Archiuio Hieroſolymitano

tano aſſeruantur. Placuit tamen Breue Eugenij IV. hic inſerere, quia in eo quicquid diſperſim alij Pontifices ipſius anteceſſores conceſſerant, ipſe collegit, & nouo Indulto plura addens priuilegia confirmauit.

Sacræ Religionis ſub qua mundanis abiectis illecebris, &c.

ATtendentes igitur, quòd vos qui in partibus præſertim Septētrionalibus honorē, & propagationē Chriſtiani nominis diligenter, & fideliter proſecuti eſtis, & in dies proſequimini etiā in Scithiæ partibus, in quibus Paganorū multitudo conſiſtit. Ad quas partes ſuffulti authoritate Apoſtolica pro lucrifaciēdo Chriſto animas, & innumerabiles populos Sāctæ matris Eccleſiæ gremio vniendos, dum tempus extiterit opportunum, ſicut accepimus omni poſtpoſito timore libenter intenditis, ſeu aliqui veſtrū intendunt proficiſci, & in Moldauiæ, in quibus tam a longis virus ſchiſmatis, quod adhuc nonnullos illarum partium populos, qui ad Eccleſiæ vnitatem nuper redierunt, inficere non deſinit, quam à paucis temporibus citra hæreticæ prauitatis, & potiſsimum Huſitarum letifera peſtis in maximum Chriſtianæ fidei detrimentum quamplura germinarunt peruerſa germina, quæ in dies niſi deſuper abundè prouideatur abundantiùs ſuccreſcent. Ac in ſeptem ſedilibus Siculorum partibus, in quibus licèt hæretica peſtis huiuſmodi notoriè non appareat: propter tamen Eccleſiaſticarum perſonarum curæ animarum intendere debentium paucitatem, necnon Diæceſani nimiam diſtantiam ab ijſdem populi quaſi doctrinæ Chriſtianæ fidei cum ibidem pauci, vel quaſi nulli ſint, qui in illis verbum Dei annuntient, in dies magis redduntur ignari. Pro fidei huiuſmodi, necnon diuini cultus, & Religionis augmēto plurimos labores, & ſtudia fructuoſa impendere poteritis, & libenti animo impenditis, vt eo feruentiùs ipſis laboribus & ſtudijs inſiſtere valeatis, quo vos Apoſtolicis fauoribus, & gratijs amplioribus

bus per Nos, & Sedem prædictam noueritis circunſultos, ac inhærentes nullis gratijs & indultis per Nos quondam Dionyſio de Wilat veſtri Ordinis profeſſori in dictis Scithiæ, & Moldauiæ, & ſeptem ſedilibus Siculorum inibi Commiſſario noſtro, & ab eo tempore ſubſtitutis, dudum conceſſis motu proprio, non ad veſtram vel alicuius pro vobis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed noſtra mera deliberatione ex certa ſcientia authoritate Apoſtolica tenore præſentium omnia, & ſingula in ijſdem Scithiæ, Moldauiæ, & ſeptem ſedilibus Siculorum partibus exiſtentia, & quæ in poſterum erunt. Necnon Budæ, & poſt hæc Zegedini atque fori Siculorum, & vbilibet cõſiſtentia, quæ venerabilis frater noſter Iulianus Epiſcopus Tuſculanenſis in certis partibus dictę Sedis Legatus vobis iam aſſignauit, & in poſterum forſan aſſignabit alia Conuentus domos & loca dicti Ordinis quæcunque quotcunque, qualiacunque ſint cum omnibus perſonis, Priuilegijs, & gratijs, indultis, iuribus, & pertinentijs ſuis prædictæ Vicariæ in perpetuum ſubijcimus, vnimus, & incorporamus, ita quod ſint ſubiecta, vnita, & incorporata, ac in eis pro tempore degentes Fratres in omnibus, & ſingulis exemptionibus, immunitatibus, priuilegijs, indulgentijs, gratijs, indultis in ſpecie, ſeu genere per Nos, vel Sedem prædictam alijs domibus, & locis dictæ Vicariæ ipſorumque Patribus hactenùs quomodolibet conceſſis, ſeu in poſterum concedendis vtantur & guaudeant, vti, & gaudere poſſint: Necnon dilectum filium Fabianum de Baulia, ac omnes alios, & ſingulos vicarios dictæ Vicariæ, qui pro tempore erunt, & ab eis pro tempore ſubſtitutos tam in ſubiectis, vnitis, & incorporatis prædictis, quàm alijs Conuentibns, domibus, & locis prædictæ Vicariæ noſtros, & ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium, qui pro tempore erunt, ac Sedis Apoſtolicæ Commiſſarios, facimus, conſtituimus, & etiam deputamus, ipſiſque Fabiano, Vicarijs, & Subſtitutis, quod noſtro, ac ſucceſſorum noſtrorum, ac Sedis prædictæ nominibus, in omnibus & ſingulis ſubiectis, & incorporatis, ac alijs Conuentibus, domibus

mibus, & locis Vicariæ prædictis, eorumque perſonis illas prorſus & ſimiles, ac eaſdem in omnibus tam gratiam, quam iuſtitiam concernentes, & alijs quibuſcunque omnimodam iuriſdictionem, poteſtatem, & facultatem habeant, exerceri poſſint, & quas Generalis Miniſter dicti Ordinis pro tempore exiſtens in illis habet, etſi in dictis partibus præſens foret, habere, & exercere poſſit. Præterea quod Fabianus, ſeu Vicarius pro tempore, & ſubſtituti prædicti ac omnes, & ſinguli Fratres in ipſis Scithiæ, & Moldauiæ, ſeptem ſedilibus Siculorum partibus pro tempore commorantes omnium, & ſingulorum fidelium ad eos pro tempore vndecunque confluentium confeſſiones audire, & pro commiſſis ab eis etiam quantumcunque grauibus, & enormibus criminibus, & delictis etiam ſi ſimonia, vel alia talia fuerint, propter quæ Sedes Apoſtolica ſit merito conſulenda debitam abſolutionem impendere, & pœnitentiam iniungere ſalutarem. Necnon illos à quibuſcunque excommunicationis ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, ac pœnis, tam à iure, quàm ab homine latis, & promulgatis etiam dictæ Sedi reſeruatis caſibus in forma Eccleſiæ conſueta iniunctis ſibi, &c. Pœnitentia ſalutari, & alijs quæ de Iure fuerint iniungenda, abſoluere; & cum eis ſuper quibuſcunque irregularitatibus, homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum caſibus dumtaxat exceptis, diſpenſare, omnemque ab ipſis inhabilitatis, & infamiæ maculam, &c. Penitus abolere, ac illis Euchariſtiæ, Babptiſmatis, Chriſmatis, [a] ſeu confirmationis, Extremæ vnctionis, aliaque Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare. Apoſtatas à fide, ſeu Religione ad pœnitentiam ſalutarem, & habitum ſuæ Religionis, necnon omnia alia iura parrochialia eis miniſtrare, regere, & exercere, capellas quoque & altaria, necnon calices, & paramenta Eccleſiaſtica, Oleum ſanctum, & Chriſma [b] conficere; & benedicere, ac reconciliandas Eccleſias, & cæmiteria reconciliare; de matrimonialibus, & alijs ſpiritualibus cauſis cognoſcere, illaſque decidere, & in eis illam prorſus

a An ſimplices Sacerdotes hoc Sacramentum conferre poſsẽt etiã ex cõmiſſione Sed. Apoſtol. valde cõtrouerſum fuit. Vide de his Doct. in 4. d. 7. & ad 3. p. D. Tho. q. 72. Vbi Suar. d. 36 ſect. 1. & 2. & alij.

b Maior eſt difficultas poſſe tamen ita cõcedere Pontif. docẽt Suar. cit. d. 33. ſect. 1. Caiet. Soto Victoria & alij.

iuriſdi-

iuriſdictionem habere, & exercere, quam Diaceſanus Epiſcopus, ſi ibidem eſſet habere, & exercere poſſet. Cum ſchiſmaticis quoque hæreticis, & excommunicatis, ſeù interdictis quibuſcunque quantumcunque notorijs, niſi Fabianus, & Vicarius pro tempore, aut ſubſtituti prædicti eos vitari mandauerint, in quibuſcunque eorum negotijs, etiam in diuinis officijs, & extra: dum tamen in crimine non participent, participare. Et inſuper vt veſtrorum honorum operum fructus valeant amplius propagari, quod Fabianus, & Vicarius pro tempore, & ſubſtituti prædicti non modo in dictis Scithia Moldauiæ, & ſeptem ſedilibus Siculorum partibus, quæ Vicariæ prædictæ ſubiecimus, & annexuimus, & in corporauimus, vt poſſint non modo iam conſtructa ad obſeruantiam prædictam reducere, ſed etiam alia, Conuentus, domos, & loca, vnum, duo, tria, & plura, & tot, quot ipſi Vicario expediens videbitur pro veſtris, vſu & habitatione de nouo acquirere, & in eis Eccleſias cum campanillbus campanis, Cæmiterijs, Dormitorijs, & alijs neceſſarijs officinis fundare, & conſtruere. Præterea quod quotieſcunque confeſſor, ſeù Confeſſores, quem, vel quos, & veſtrum quilibet præſentes, & futuri pro tempore dicti Vicarij, vel inferioris Superioris noſtri, ſi eius copiam commode haberi poterit, licentiam duxeritis, ac duxerit eligendum, ſeù eligendos veſtros, & veſtrum cuiuslibet confeſſiones audire, ac pro commiſſis criminibus, exceſſibus, & delictis, etiam in reſeruatis prædictæ ſedi caſibus, vobis, & cuilibet veſtrum debitam abſolutionem impendere, ac iniungere pænitentiam ſalutarem. Necnon vos, ac quemlibet veſtrum à quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdictionis, &c. à iure ſiue ab homine promulgatis etiam in caſibus prædictæ ſedi reſeruatis quoties ſimiliter oportunum fuerit abſoluere. Et cum vobis, & veſtrum quolibet ſuper irregularitatibus, ſi quas eiuſmodi ſententijs ligatis miſſas, & alia diuina officia, non tamen in contemptum clauium celebraſtis; & voluntariæ mutilationis membrorum, &c. dumtaxat exceptis diſpenſare, omnemque à vobis, & quolibet veſtrum inhabilitatis, & infamiæ maculam, ſiue notum per vos, & quemlibet veſtrum quomodolibet contractam abolere. Necnon vobis in

ſince-

ſinceritate fidei vnitate S. R. E. & deuotione noſtra, ac ſucceſſorum noſtrorum. Romanorum Pontificum canonicè intrantium perſiſtentibus plenariam remiſſionem in mortis articulo, quàm etiam quemlibet veſtrum, quem in huiuſmodi articulo confeſſoris copiam non habere continget dummodo in vera contritione decedat, conſequi volumus, concedere valeant. Et inſuper quod fratres Vicariæ prædictæ qui ſunt, & pro tempore erunt idonei ad annuntiandum verbum Dei cum licentia tamen Fabiani, aut Vicarij pro tempore huiuſmodi. Quin etiam abſque capitulari congregatione de conſilio aliquorum fratrum diſcretorum, quoties opus fuerit eos inſtituere, & deſtituere poſſit, verbum Dei publicè tam in veſtris, quàm in alijs Eccleſijs, & locis publicis terrarum, & locorum prædictæ Vicariæ Ordinariorum locorum Prælatorum Eccleſiarum, & aliorum quorumcunque licentia deſuper requiſita, publicè proponere. Ita tamen quod ſi in Metropolitanis, aut alijs Cathedralibus, ſeù Collegiatis; vel aliquorum Ordinum Eccleſijs prædicare voluerint, Prælatorum eorumdem licentiam obtinere teneantur. Quodque vos, & quilibet veſtrum ex tranſgreſſione quarumcunque conſtitutionum prædicti Ordinis præſentium, & futurorum, dummodo in quantum fragilitas humana patitur, Regulam dicti veſtri ordinis ſtudeatis obſeruare, peccatum aliquod minimè incurratis.

Hic integer Breuis tenor, in quo veluti in ſpeculo, qui in Terra ſancta demorantur priuilegiorum ferè omnium conceſsiones poterit inſpicere. Quin etiam ijs qui apud nos degunt non parum vtilis erit eiuſmodi immunitatum cognitio; & fors ea lectione ad infidelium reductionem excitabuntur. Quapropter placuit etiam Nicolai V. Bullam multò breuiorem ſuperaddere.

Nos licet immeriti ſuper Apoſtolicæ ſedis ſpecula conſtituti, fideliter, ac prudenter diſpenſandis Dei miniſtris, & operibus coadiuuandis intendimus, & vrgente plenitudine temporis pia piorum ſtudia in vinea Domini Sabaoth nouos, & penè nouiſſimos, qui ſapientiam longum didicere per otium operarios mittere procuramus. Nos igitur quos iuxtà profeſſionem, & Religionis

ligionis officium zelus comedit animarum, & cum quadriga quarta, quam varijs chariſmatum donis, & fidei fortitudine trahitis vbique diſcurrere, ac vexillum Regis gloriæ procul leuare geſtitis ad gentes, quæ Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum non agnoſcunt, & ſubtractionis filios, qui Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ non obediunt deſtinamus, vobis in remiſſionem peccatorum omnium iniungentes, quatenus ſeminaturi ſuper aquas multas: in illo tantum qui dixit ſe mundum viciſſe confiſi ad illuminationem cæcæ multitudinis, & exterminium hæreticæ falſitatis ad confirmandos nutantium animos, & fidelium confirmandos in luce ſermonis, & rectitudine operis, poſitum vobis iter ſine quorumlibet offenſione curratis. Vt autem miniſterium veſtrum honoretur etiam plenius, honorabilibus impleatur præſentiũ tenore vobis authoritatem concedimus, vt in terris, quæ adhuc Sedis Apoſtolicæ non intendunt magiſterio proponere verbum Dei, & conſtitutis ibidem, non obſtante ſi aliqui ſunt excommunicatione ligati in verbis, officio, & cibo, ac in alijs ſecurè communicare, & ipſos, ſeù alias conuerti ad vnitatem Chriſtianæ fidei cupientes accipere, baptizare, & aggregare filijs Eccleſiæ ſanctæ poſſitis, ipſiſque taliter aggregatis, ij ex vobis, qui fuerint ſacerdotio conſtituti vbi Epiſcoporum Catholicorum copia non extiterit, Sacramentum[a] confirmationis conferre, ac nihilominus vti oleo, & Chriſmate antiquis cum in ijſdem partibus nouum oleum ſine difficultate magna haberi non poſſit, liberè valeant, conſtitutionibus ſuper his in contrarium editis non obſtantibus, &c.

a Idē cōceſſit Io. 22. bulla Aueniōne data kalen. Nouemb. Pōtif ann. 6.

Hanc bullam totidem penè verbis ſub Innocentij IV. nomine repetitam in ſuo Archiuo ſeruant noſtrates Hieroſolymitani ſub Datum Lugduni 12. Kalend. Aprilis Pontificatus ſui anno ſecũdo: in qua multa etiam priuilegia Fratribus conceſſa inueniuntur. Sed quia in ſuperiori bulla Eugenij IV. continentur, repetere ſuperuacaneum exiſtimaui. Ad alia ſtylum reduco.

§. SEX-

§. SEXTVM.

Solymæ Guardianus Pontificalibus paramentis indutus ſacros maioris hebdomadæ ritus, ac cerimonias, inſpectante omnium ferè gentium multitudine, peragit.

PRiuilegia recenſuimus, quæ Guardianus Hieroſolymę, & alij fratres in Terra ſancta degentes potiuntur. Nunc aliquà enarranda ſunt, quæ ipſi in ſeptimana ſancta pro locorum illorum ritu religiosè, ac deuotè peragunt. Lubens hanc narrationem aggredior, quia Chriſti Redemptoris noſtri paſſionem, & paſsionis præludia in memoriam reuocat, deuotionem excitat, internos animi affectus commouet, meditationem accendit, lachrymas ciet, quas hinc palmarij illius triumphi lætiſsima repræſentatio, iteratique concurrentium plauſus educunt, inde triſtitia ex rerum ibi geſtarum recordatione proueniens exorat. Et anima inter hos duos affectus tanquam columba inter medios cleros felicius conſtituta, argenteis contemplationis, & meditationis pennis ſurſum euolat, ſuſpenſoque volatu quo ſe vertat neſciens eliquatur. Sic enim ſuauis, & grata eſt harum ſolemnitatum repetitio, vt omnes alios in ſe trahat, & conuertat affectus.

De Cerimonijs, quæ fiunt in Dominica Palmarum.

IGitur vbi primùm pro temporis occurſu ſacra palmarum Dominica illucet (hinc neceſſario ordiendum fuit) Religioſi omnes, qui in Terra ſancta, & antro Bethlehemico cōmorantur incredibili gaudio, & deuotionis ſuauitate delibuti, ad Sanctiſsimi Sepulchri Eccleſiam ſe conferunt, in qua poſt mediam noctem, ex priuilegio illic degentibus conceſſo, miſſas priuatim celebrant: Quibus finitis ad pal-

marum benedictionem hunc in modum deuenitur.

Guardianus Pontificio ornatu veſtitus, mytram gerens, & baculum. Quinquaginta circiter Religioſis, qua pluuialibus, qua dalmaticis, vel caſulis è ſerico, & textili auro indutis ſtipatus incedit, ad barbarorũ adminiſtrationem, quorum ſupra fidẽ eſt ea tẽpeſtate concurſatio. Etenim Mauri, qui in Mecam peregrinantur, nihil ſibi pro futuram peregrinationẽ exiſtimant, ſi prius ſanctam Ciuitatẽ non inuiſerint, ideoq; innumeri tunc accedunt. E' Chriſtianis Occidentalibus, Hiſpani, Galli, Itali, Angli, Belgæ, Theutonici, Germani, Poloni conueniunt. Ex Oriẽtalibus, Indi, Armenij, Perſæ Abyſsini, Soriani, Græci, Gofiti, Africani, Aegyptij concurrunt, & videndæ ſolemnitatis ſtudio mira tranquillitate aſsiſtunt, dum palmæ benedicuntur. Peracta benedictione præcedentibus ſignis, ac vexillis crucibuſque argẽteis proceſsio ordinatur, in qua palmas præ manibus ferentes Sanctiſsimum Sepulchrum ambiunt: indeque eodem ordine ad Caluariæ Montem procedunt: vbi in eodẽ loco, in quo Chriſtus cruci confixus pependit, in Capella ibidem conſtructa ſitiali ſubmiſſo extenſum eſt conopęum, & Guardianus Epiſcopali ritu, ac cultu ſerico nobilibus margaritis auro intermicãte depicto, miſſam celebrat, alternantibuſque Diacono, & Subdiacono, præ diuiti etiam paratu indutis, paſsionem deuotiſsimè cantat.

Peractis Miſſarum ſolemnijs Religioſi è Sanctiſsimo Sepulchro egrediuntur, & octo, qui ibi officiorum cauſa remanent exceptis, reliqui vnà cum Patre Guardiano in Conuẽtum Sancti Saluatoris ſe recipiunt: ſumpta deinde refectione modica exeunt, vt ingreſſum Chriſti in Hieruſalem repreſentent quando Vrbem illam aſina incedens inter feſtiuos ſubſequentium plauſus, & clamãtium *Hoſanna* inaudito humilitatis triumpho ſtatim moriturus intrauit. Per portam Sancti Stephani egredientes in Vallem Ioſaphat deſcẽdunt, hinc ad Montem Oliuarum pergunt, & facto itineris milliario verſus orientem molli deſcenſu veniunt Bethphage, vnde latiſsimo proſpectu Hierecuntinus ager, Arabia, quam

quām dicūt deſertā, Iordanis illac interfluētis ſpatioſa planities detegitur. Hinc ſiſtēs Guardianus ſuperpeliceū induit, & ſtola ſuperimpoſita, palmam manu ſuſcipit. Tunc Diaconus cantat Euangelium. *Cùm appropinquaſſet Ieſus, Hieroſolymam, & veniſſet Bethpage ad Montem Olիueti*. Cùmque Matth. 21. nu. 1.
verba Chriſti repetuntur, quibus, & Diſpulos ad Caſtellum remiſit, vt aſinam ſoluerent, ac deferrent: *Ite in Caſtellum, quod contra vos eſt, &c.* Guardianus duos item fratres ijſdem verbis compellat, & iubet, vt aſinam eo in loco paratam adducant, dicto parentes eunt, & dùm reuertuntur, totum Euangelium cantatur, quo finito vnus è fratribus concionem habet, in qua de illius celebritatis myſterio breuiter, & deuote diſſerit.

Interim duo veniunt, & aſinam adducunt: Tunc alij pallia detrahunt aſinæ imponunt, & Guardianum deſuper ſedere faciunt. Ille nouus eques iter in Vrbem molitur: & ſicut olim Chriſto equitanti, *plurima turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via: alij autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via*. Matth. 21 nu. 8.
Ita in hac triumphi repreſentatione accidit. Nam tota illa adſtantium multitudo certatim veſtimenta ſua proijciunt, & viam ita cooperiunt, vt aſinus incedens terram non contingat, quinimo beatum ſe quiſque reputat, cùm aſini vngulis veſtem ſuam teri, & conculcari videat. Interim dum ad Conuentum proceditur, vbi Guardianus è iumento deſilit: ad Turbarum imitationem, quæ olim Chriſtum præcedebant, & ſequebantur, dicentes: *Hos anna filio Dauid:* Religioſi cantant: *Pueri Hebræorum, &c.* itemque. *Hos anna, benedictus qui venit in nomine Domini*.

Hos numeroſę multitudinis exultantis comitatu, & fratrū cantu. Guardianus aſino inſidens in Montem iterum ſubit, & verſus Vrbem deſcendens ad Vallem Ioſaphat, in medio, circiter itineris ſpatio conſiſtit. Hic enim prominet locus, ex quo ſancta Ciuitas melius, quàm aliunde proſpicitur. In hoc conſtitit olim Chriſtus eodem die, quo memorabili triumpho Vrbem fuit ingreſſus: Et videns illam, impendentemque ipſi deſolationem præuidens, illachrymauit, vt refert

Lucæ 19. num. 41. S. Luc. cap. 19. *Et vt appropinquauit videns Ciuitatem fleuit ſuper illam*. Huc (mirum dictu, & videndum potiùs quàm ſcribendum) vbi primum tota illa multitudo accedit, occulta quadam vi impulſi omnes faciem ad Vrbem conuertunt, cuius miſerando aſpectu ſibi temperare non poſſunt, quin effuſis vbertim lachrymis conceptum de illius deſolatione dolorem manifeſtent. Interim Diaconus flebili cantu Euangelium Lucæ intonat ab illis verbis *Cum appropinquaſſet Ieſus Hieruſalem, videns Ciuitatem fleuit ſuper illam, &c.* Silent omnes, & dum Chriſtum ſuper vrbem illachrymaſſe audiunt; dum prædictionem illam de ipſius ruina impletam aſpiciunt: *Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coanguſtabunt te vndique, & ad terram proſternent te, & filios tuos, qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem: eo quod non cognoueris tempus viſitationis tuæ*, & Ciuitatem mundi annulum, Terræ ſanctæ cor, vrbium coronam, Vrbem perfecti decoris, virtutum officinam, ſanctificationis ſedem, euerſam, ſolo æquatam à barbaris, & Chriſti lachrymas memoria recolunt, affectu ſociant vrbem deplorant, & actionem illam ſingultibus, lachrymis, ſuſpirijs proſequuntur.

Lucæ 19. num. 43.

Poſt quam finitum eſt Euangelium, & mæſtiſsimus lachrymarum imber ceſſauit, iterum rediturus, proceſſio continuatur, & facto itinere, eadem via, quam Chriſtus in noctis paſſione tenuit, in Montem Sion aſcenditur. Attamen à profunditate Vallis Ioſaphat Chriſti via deſeritur, & per aliam ſiniſtrorſum fit iter: non equidem vt breuiori ſpatio talis via conficiatur; ſed quoniam Chriſtus per portam auream fuit ingreſſus, quam hodie Saraceni clauſam, & muro fortiſsimo obturatam habent, occulto augurio perſuaſi, quod per illam Ciuitas erit occupanda. Et ideo verſus Torrentem Cedron deſcenditur, quouſque ad Portam Montis Sion peruentum ſit. Hanc ſemper clauſam: hac die aperiunt, vt pro ceſsioni aditus pateſcat. Cùm ad Montis Sion ſummitatem acceditur, tam incredibilis

fit

ſit hominum ſe inuicem prementium concurſus, qui auidiſſimè in Guardianum irruunt pedes reuerēter exoſculaturi; vt niſi milites ex arce accurrerent, & concurſantes arcerent, viamque aperirent: Guardianus multitudine oppreſſus è iumento concideret, & planè ſuffocaretur.

Quemadmodum in Chriſti triumpho, *Commota eſt ciuitas vniuerſa*, ſic etiam in anniuerſaria eiuſdem triumphi repræſentatione Hieroſolyma ſedibus quaſi excita ſuis incredibili exultatione tripudiat: nam portis patentibus vtriuſque ſexus & ætatis magnis præ lætitia clamoribus, & effuſis lachrymis egrediuntur, vt intrantem Guardianum excipiant. Ille vbi primùm ingreditur per vrbis vias aſino vectus ad Conuentum pergit, vbi in pedes deſiliens à Religioſis excipitur, qui ſuperpelliceis induta elata Cruce, & aqua benedicta venientem expectabant, & ſic cantantes hymnum *Te Deum laudamus* ad Eccleſiam procedunt, in qua poſt habitam de auguſtiſsimo Redemptoris triumpho concionem datur benedictio, & populus dimittitur. Eſt autem plurimi faciendum quo affectu palmas in ea ſolemnitate benedictas domum quiſque ſuam reportare contendat, & ipſimet Turcæ, quando aliter non obtinent, de manibus Fratrum, violenter eripiunt. Interim dum hæc peraguntur ad oſtium Conuentus Turcarum ſatellitium excubat, nè irruente multitudine detrimentum aliquod vel ruinam patiatur.

Matth. 21. num. 11.

De Cerimonijs, quæ fiunt in feria quarta, & quinta.

FEria quarta tota Fratrum communitas per portam ſancti Stephani egrediens in Vallem Ioſaphat deſcendit iuxta Sepulchrum Sanctiſſimæ Virginis, vbi eſt Crypta illa, in qua Chriſtus Dominus in agonia poſitus, & prolixius orans ſanguineo fuit ſudore reſperſus. Magnam habet hic locus amplitudinem, & ſi aliquantum ſit obſcurus. Hic igitur vbi primùm dies illucet altaria componuntur, Religioſi priuatas Miſſas incredibili deuotionis affectu dicunt: Quibus finitis, ſtatuto tempore Miſſa maior

incipit, & cantatur Paſſio. Mirum eſt quot affectus excitet cantus ille, totus ad mœſtam teneritudinem, & de Redemptoris morte dolorem compoſitus. Quidam enim è circumſtantibus emiſſis altè ſuſpirijs eiulant, alij in lachrymas diſſoluuntur. Alij verò quibus dolor ingens ſenſum quaſi eripuit ſtupentibus ſimiles immoti conſiſtunt. Quinimò ipſis Cantoribus fletus vocem ſæpiùs interdicit, ita vt progredi nequeant, & flere potius, quàm canere videantur. Quid ni fidelium corda præ dolore rumpantur, in fletum abeant, ſuſpirijs, eiulatibuſque fatiſcant? Vbi Angelorum lætitia, beatitudinis gaudium, Paradiſi exultatio, Dominus Ieſus immoderatæ lætitiæ noſtræ exceſſus damnando, pauere cæpit, tædere, & mæſtus eſſe, ſanguineoque ſudore perfundi, ob ſolam inſtantis paſſionis repræſentationem, & peccatorum noſtrorum memoriam; quæ tunc ipſi ante oculos obuerſabatur.

Cùm primùm verba illa, quibus Chriſtus orauit ad Patrem dicens: *Pater ſi fieri poteſt tranſeat à me calix iſte*, adeò magnus fit audientium fletus, vt tota illa crypta lachrymis inundare videatur. Quaſi fideles animæ Redemptori ſuo cupiant reddere talionem. Et ſicut ille paſſionem ſubiturus corpus ſuum, & terram ipſam ſanguine guttatim effluente reſperſit; ſic iſti cordis ſanguine per oculos erumpente madidi (ſic enim lachrymas dicunt) cryptam fletibus inundantem, ſuſpirijs mæſtam, eiulatibus funeſtiſſimam reddere certatim ambiunt. Hinc dum canitur, *Factus eſt ſudor eius, quaſi guttæ ſanguinis decurrentis in terram* omnes humi procumbunt terram illam Chriſti ſanguine ſacratam exoſculantur, oculis fletu liqueſcentibus, tangunt, amplexibus ſtringunt: & qua cuique licet, cultus demonſtratione venerantur.

Dicto Officio Cryptæ oſtium oppanſis tapetibus occluditur: tunc omnes reſumptis flagellis per aliquod temporis ſpatium vſque ad ſanguinis effuſionem ſe crudeliter verberant: Conquerebatur olim Deus per Oſeam Prophetam, dicens, *Sanguis ſanguinem tetigit*, hoc eſt peccata peccatis

addide-

addiderunt. At nunc melior affectu, & euentu querelam Dei iuſtiſſimam auferre nituntur quia de peccatis dolentes, & Ieſu patientis, & ſanguineo ibi ſudore terram aſpergentis compaſſione commoti, ſanctaque in ſeipſos indignatione excandeſcentes illud inter eiulatus, & ſuſpiria crepitantibus flagellis repetunt. Heu ſuauiſſime Ieſu, heu dilectiſsimus animarum ſponſus effuſi huiuſmodi ſanguinis tibi cauſa fuimus: culpa noſtra cryptæ huius terra ſanguine maduit, quia peccatorum noſtrorum ſanguis ſanguinem tetigit. iam nunc Domine Ieſu aufer querelam, quia non pecando, ſed pœnitendo ſanguinem ſanguine tangimus, dum terram iſtam, in qua tuus olim ſanguis defluxit, noſtro ſanguine verbornm acerbitate effuſo inundantem reddimus, vt pœnitentium ſanguis quomodo Redẽptoris ſanguine commixtus ad veniam proficiat, & ſanctificationem nobis operetur. *Si enim ſanguis Hircorum, & Taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis.* Quantò magis ſanguis tuus Domine Ieſu hic effuſus emundabit conſcientiam noſtram ad ſeruiendum Deo viuenti ſuper te cecidit diſciplina pacis noſtræ, vulneratus es pro peccatis noſtris, àttritus propter ſcelera noſtra & liuore tuo ſanati ſumus. Congruum imo neceſſarium eſt, vt ſuper nos cadat verberum & flagellorum tempeſtas, & carnis liuores animarum noſtrarum maculas abſtergant, & quod peccando meruimus, pœnitendo deleamus. Inter hæc deuotiſſima colloquia diſciplinam abſoluunt, & clauſo cryptæ oſtio (quia ſolis Religioſis, & Sacerdotibus Latinis in ea celebrare fas eſt) domum reuertuntur.

Eadem die poſt veſperum porta ſanctiſſimi Sepulchri aperitur; omnes Religioſi intro ſe recipiunt & in ſancto Caluariæ monte horas matutinas deuotiſſimè cantant. Per hoſce dies in eodem loco diuina Officia peraguntur; incepto matutino, & finito primo nocturno incipiunt lamentationes Hieremiæ Prophetæ. Et dum canitur illud, *O vos omnes qui tranſitis per viam attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus.* Item illa lamentationum clauſula, *Hieruſalem,*

Hieru-

Hieruſalem conuertere ad Dominum Deum tuum. Lapides ipſi præ dolore ſcindi, fletibus eliquari, & quaſi ſenſu, ac ratione polleant, gemere videntur, & ſuſpirare: nedum Chriſtiani, & Religioſi quorum, dum hæc audiunt, corda tam acerbus dolor penetrat, vt quamdiu Officium durat à lachrymis minimè temperent. Nec mirum, quia ſanguis Chriſti ibi effuſus, & melius clamans ſanguine Abel dolorem noſtrum lachrymas, compaſſionem internis clamoribus expoſcit. Quinimo ipſimet parietes funebri apparatu veſtiti, locorum obſcuritas, accenſaque luminaria deuotionem excitant. Adde quod nullibi pes figitur, vbi aliquod peculiare myſterium oculi non intueantur. Hic locus vbi Virgo Sanctiſſima plangebat: illic vbi Chriſtus Cruci fuit confixus; vbi Crux in altum erecta; vbi mater doloroſa iuxtà Crucem ſtetit, & filium à Cruce depoſitum brachijs excepit, & aromatibus vnxit: hìc ſepulchrum, in quo conditus fuit. Quocunque illic ſe vertant mille doloris monumenta reperiunt, mille deuotionis incentiua ſe offerunt, mille doloris cauſas inueniunt. Hinc ſibi videntur audire dulciſſimam Chriſti conqueſtionem, qua cum Patre Aeterno expoſtulabat, dicens: *Deus Deus meus vt quid dereliquiſti me*. Inde blaſphemantium opprobria & irriſiones quæ omnia ac ſi tunc fierent ita animos ad compaſſionem commouent, vt ſine lachrymis memorare nefas ſit. Iam verò terræ hiatus, lapidum ſciſſuras, ipſius montis apertiones quis ita ferreus, & marmoreus, vt ſiccis oculis aſpiciat. Cùm autem cordis aures vox illa Chriſti expirantis penetrat: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*. Propè miraculum eſt nè inter gemitus, & ſuſpiria langueſcens anima è corpore diſcedat. Quis talia fando, videndo, meditando, licet rupibus fuerit innatus, & ferino lacte enutritus à lachrymis temperet. Terque quaterque Beatos dico, & plurimum inuidendos, quibus ante hæc Redemptoris noſtri trophea contigit paſſionis ipſius memoriam recolere. Loca illa ſanctiſſima intueri, millieſque exoſculando venenari.

Matth. 27 num. 46.

Luc. 23. n. 46.

Feria

Feria quinta, eodem, quo in Dominica Palmarum, apparatu Pontificijſque ornamentis Guardianus in ſacro Monte Caluariæ Miſſam celebrat, qua finita ſolemnis admodum proceſſio inſtituitur: Religioſi ſacris induti paramentis incendunt, Sanctiſſimus ſacro ritu ad Sepulchrum defertur, ibique reconditur. Interim Religioſi orationi inſtantes in excubijs ſe tenent vſque ad feriam ſextam, in qua è Sepulchro extrahitur, præceptum illud à Moyſe Leuitis datum melius obſeruantes. *Die, ac nocte manebitis in tabernaculo obſeruantes cuſtodias Domini, ne moriamini*. Leuit. 8. nu. 35. Leuit. 8. num. 35. Non enim mortis metu ibi demorantur, ſed Chriſti amore, cui commori vita eſt: Et à quo diuelli non poſſunt, nec volunt. Eſt enim Paſſionis Chriſti meditatio vitta illa, ſeu reſticulus coccineus, cui ſimilia erant ſponſæ labia, & illo iuxtà ſepulchrum irretiti, iucundiſſimè quieſcunt. Nè ſuſcitemus dilectos, nec euigilare faciamus eos, donec ipſi velint; reliquas huius diei cerimonias proſequamur.

A prandio Guardianus ſolito ritu duodecim Religioſis pedes lauat magna circumſtantium admiratione: quoniam tunc in Eccleſia S. Sepulchri ferè duodecim mille diuerſarum nationum peregrini aſſiſtunt, qui illuc Paſcha celebraturi aduenerant. Cùmque humilitatis Chriſtianæ pretium Turcæ ignorent, nec quantam vim habeat Chriſti exemplum aſſequantur, qui poſt ablutionem pedum Apoſtolos commonefecit, dicens: *Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum Ego feci, ita & vos faciatis*. Ioannes 13. Ioan. Mirum non eſt ſi eos teneat admiratio dum aliorum pedibus prouolutum, & ſeruile ablutionis miniſterium tàm ſtudioſè exercentem intuentur, quem paulò ante Pontificio apparatu Tiara, & baculo venerandum conſpexerant. Nobis, qui in ſummis Pontificibus, & Chriſtianis Regibus hęc humilitatis exempla frequenter inſpicimus, nullam in hoc inijcit admirationem. Illi tamen quibus hoc inſolitum eſt, iure optimo expaueſcunt, & lingua ſua Saraceni identidem repetunt. *Eſtaſarla*, quod extremæ eſt admirationis indicium,

Cùm olim Elieſer Abrahami ſeruus Rebeccam à puteo reuertentem aſpiceret, & aquæ potum peteret ex hydria, quam virgo pulcherrima ad ſcapulam deferebat: illa citocitius, *Depoſuit hydriam ſuper vlnam ſuam, & dedit ei potum. Cùmque ille bibiſſet, adiecit: Quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant, Effundenſque aquam in canalibus recurrit ad puteum, vt hauriret aquam, & hauſtam omnibus Camelis dedit. Ipſe autem contemplabatur eam tacitus*. Geneſ.24.num.19.& 20. Porrò vbi vulgata habet, *Contemplabatur eã tacitus*, Septuaginta, & Hebræi tranſtulerunt, *Conſternatus admirabatur eam*, vt tenet Cornelius ad hunc locum: Quaſi præ admiratione in ſtuporem iuerit Elieſer, & in terram corruerit. Sed quid in tacita illa contemplatione, & ſtupore admirabatur? Reſpondet idem Author: *Humilitatem, officioſitatem, ſedulitatem*, quibus ſeruile illud adaquandi miniſterium puella exequebatur. Et quanquam in domo Abraham multa humilitatis exercitia frequenter intuebatur: Ibi enim peregrinorum pedes lauare conſueuerant: attamen alibi humilitatis obſequium tanti fieri minimè credebat: nec extra Domini ſui domum aliquem eſſe arbitrabatur, qui tali humilitate, ſedulitate, officioſitaminiſterium illud exerceret. Gentilium faſtus, ſuperba Saracenorum tumiditas, Iudæorum cæcitas humilitatem neſcit, quin etiam vt deteſtandum quid abominatur. Et ideo cùm vident Guardianum, cuius dignitatem agnoſcunt ad aliorum pedes abiectum. Quos ſic humiliter officioſè ſeduliter abluit, demirantur, & præ admiratione conſternati obſtupeſcunt.

Geneſ.24 nu. 19. & 20.

Cornel.

Peracta ablutione pedum ſtatutis horis in ſancto Monte Caluariæ dicitur Matutinum pari, vt dictum eſt, noſtrorum deuotione, & exterorum concurſu.

De Cerimonijs, quæ fiunt feria ſexta, Sabbato ſancto, & Dominica Reſurrectionis.

FEria ſexta in eodem monte, & ſolitis paramentis diuina Officia peraguntur: Guardianus celebrat Miſſam, S. Ioannis paſſio cantatur, ad quam augetur deuotio; inundant lachrymæ ſuſpiria, gemitus, lamentaque duplicantur. Finita paſſione paululum à fletu temperant, & ad reliquas cerimonias vſque ad finem attendunt. Sub Veſperum ſolemnis & deuota proceſſio ordinatur; omnes Religioſi ad Eccleſiam, ſeu Capellam conueniunt, in qua per totum annum eſt ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum. Ex hoc loco Guardianus nigro Pontificali veſtitus, Diaconus, & Subdiaconus duo vaſa argentea odoribus plena gerentes, & reliqui Religioſi nudis pedibus, cereiſque accenſis præeunte nigri coloris ſigno, ſub triſti, & ſubmiſſa voce cantantes, *Miſerere mei Deus* ad montem Caluariæ procedunt.

In medio proceſſionis incedit Religioſus ſtola tantùm inſignitus, Chriſti imaginem in manibus deferens ex leui materia, & quibuſdam tornaturis ita fabrefactam, vt membra flecti, reflecti, contrahi, facilèque deduci queant. Hoc ordine, & cantu, ſeu potius planctu antequam ad Caluariæ locum accedant omnes ſtationes perluſtrant. Et primò carcerem inuiſunt, in quo Dominus ſtetit, interim dum mortis inſtrumenta parabantur: parua quædam eſt crypta in rupe exciſa: hic quaſdam orationes deuotè recitant. Alia deinde loca orationes ibidem recitando inuiſunt, quouſq. ad Caluariæ montem aſcendunt. Hic in loco vbi Chriſtus Cruci confixus dicitur imaginem in terra deponunt, & peracta cerimonia de paſſione paululũ prędicatur: ſtatim imago Cruci imponitur, clauis trãſfigitur, inſonat malleus, auditur late ſonitus, quem adſtantiũ lachrymæ, & ſingultus comitantur; ita enim ad viuũ actio illa exprimitur, vt Chriſtus videatur iterũ crucifigi. Quod qui vident, lapidei planè eſſent niſi fletu, &

ſuſpirijs ſoluerentur. Poſtquam Cruci confixa eſt imago ad locum defertur, vbi quondam erecta eſt Chriſti Crux. Et in eadem foſſa immittitur, quã vbi primùm adſtantes aſpiciunt magnos eiulatus extollunt, & ingenti lachrymarum profluuio inundantes magnum dolorem teſtantur. Quod ſubſecuta paſſionis concione mirum in modum augetur.

Poſt habitam concionẽ nonnullæ fiunt cerimoniæ, quibus finitis quidam Ioſephum ab Arimathia repræſentãs accedit Chriſtum è Cruce deponit, ſindone mundiſsima inuoluit, ac ad locum vbi Chriſtum olim vnxerunt deportatur. Hic duo illi Religioſi, quos argentea vaſa aromatibus plena gerere retulimus; vnctionem à Nicodemo, & Ioſepho factã repræſentant. Alij circumcirca ſtantes magno doloris ſenſu planctum illum referunt, quem in Chriſti morte futurum prędixerat Zacharias cap. 12. *Et plangent eum planctu quaſi ſuper vnigenitum, & dolebunt ſuper eum vt doleri ſolet in morte primogeniti.* Peracta vnctione alia ſindone inuoluitur, ac ad eundẽ locum defertur, in quo Chriſti corpus fuit inſepultũ, & toto qui ſupereſt die ac nocte Religioſi ſepulchrum cuſtodiunt. Prædicens olim Zacharias planctum Chriſto moriente futurum ſimilem ei fore affirmauit, quem in morte Ioſiæ ediderunt. *In die illa*, inquit, *magnus erit planctus in Hieruſalem ſicut campus Adradremmon in campo Maggeddon, & planget Terra: familiæ, & familiæ ſeorſum.* c. 12. n. 11. ſic vt huius mœſtiſsimæ repræſentationis planctum exponã parùm eſt quidquid dixerim, dicã tamen lachrymas, ſuſpiria, gemitus, lamẽta, quæ per hoſce dies audiũtur, dum hæc, quæ retulimus deuoto, & religioſo cultu exercentur, illis eſſe ſimilia, quibus olim Chriſtum morientem proſequebantur. Proceſsione finita, & ſepulturæ officio, in eodem loco matutinum recitatur.

Sabbato ſtatim ſub lucis ortum incipiuntur officia, quæ Guardianus ſolito ritu, magnoq. apparatu, & Pontificalibus cerimonijs, ac ornamentis celebrat. Nihil hìc monendum ſe offert præterquam quod cùm verba Angeli ad Marias referuntur, *Surrexit non eſt hic.* Guardianus ad populum

conuer-

conuerſus,& ſepulchrum digito monſtrans repetit: *ſurrexit non eſt hic*. Generatim verò vbicunque myſterium aliquod recolitur in loco, vbi peractum eſt, ſemper particula hic demonſtratiua adhibetur. videlicet *hic natus eſt, hic reclinauit eum in Præſepio: hic adoratus à magis: hic Crucifixus eſt, &c.* quod magnam vim habet ad excitandum deuotionis affectum.

Dominica poſt mediam noctem dicitur matutinum, & Guardianus in Sancto Sepulchro miſſam celebrat. Lætiſſima, & ſolemnis proceſſio ordinatur, in qua Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum patenter à Guardiano defertur. Omnes Religioſi, & ſæculares etiam pretioſis ornamentis induti, feſtiuis cantionibus alleluia millies repetentes ſepulchrum ambiunt Chriſti Redemptoris noſtri triumphum de morte, deque Inferno partum incredibili gaudio,& exultatione concelebrant: Sibique inuicem de propria reſurrectione gratulantur. Nàm quos ante Chriſti compaſſio, & conceptus de ipſius morte dolor in Crucem egerat, mori fecerat, & ſepulchro condiderat: reſurgentis lætitia rediuiui gloria, triumphantis feſtiuitas ad vitam, ad gaudium, ad hilaritatem creditur reuocaſſe. Quod ſibi accidiſſe teſtatur S. Gregorius Nazianzenus orat.41 dicens: *Heri cum Chriſto in crucem agebar, hodie ſimul glorificor: Heri commoriebar, hodie ſimul viuificor: Heri conſepeliebar, hodie ſimul reſurgo*. Intra ſepulchrum viſitur Chriſti reſurgentis imago, ſic egregiè depicta, vt viuere, & Reſurrectionem ipſam referre videatur, atque adeo inſpectantium animos ipſius Reſurrectionis gaudium refundere. Nequeunt illuc intrantes ab illius conſpectu oculos auertere. Sic omnium animos recreat, reficit, & exhilarat. Finitur tamen proceſſio, & ſoli in Sancto Sepulchro ſex remanent, qui diuina officia peragant, alij ad Conuentum Sancti Saluatoris, depoſita mæſtitudine, & reſumpta de eiuſdem reſurgentis triumpho lætitia reuertuntur. Sequentibus eiuſdem feſtiuitatis diebus vſque ad Dominicam in albis lætiſſimas ſtationes percurrunt,& loca illa inuiſunt, in quibus poſt Reſurrectionem

Chriſtus

Chriſtus Dominus diſcipulis manifeſtus apparuit quouſque ipſis cernentibus eſt eleuatus in Cœlum.

CAPVT II.

De Commiſſarijs Terræ ſanctæ, qui ad colligendas eleemoſynas, & illuc deferendas eliguntur.

SCripſimus quæ ad Guardianum, & reliquam Terræ ſanctæ familiam communiter, priuatimque ſpectabant: iam de Commiſſarijs dicendum erit, qui in diuerſis Europæ locis conſtituti conquirendis eleemoſynarum ſubſidijs deſtinentur. Ampliſſimum eſt Commiſſariorum Terræ ſanctæ munus, & magnam exigit charitatem, æqua fidelitate aſſociatam. Et ideò in Ordine Seraphico non niſi vtraque probatiſsimi in Commiſſarios aſſumuntur. Quia tamen harum virtutum feraciſsima eſt noſtra Religio nunquam deſunt, qui eo muneri obeundo præficiantur. Plurimi ſunt in varijs locis, & Regionibus diſpoſiti. Præcipui tamen; Madriti in ampliſsima Philippi IV. Catholici Regis Curia, dum hæc ſcribimus, P. Fr. Ioſeph. Maldonatus: Romæ P. Fr. Bernardus del Caſtillo Hiſpanus: Viennę in Curia Imperiali Fr. Petrus de Oroſco Hiſpanus Reformatus; Pariſijs P. Fr. Ioannes de Haye; Neapoli pro vtraque Sicilia Fr. Paulus de Madrid, Hiſpanus Reformatus, Conuentus S. Iſidori de Vrbe fundator. Venetijs P. Fr. Ioannes Baptiſta de Venetia Reformatus. His ſex veluti Cardinibus tota huiuſmodi Commiſſariatus moles euoluitur: Hi primarij ſubſidiorum, & eleemoſynarum Collectores habentur: alij temporatim eliguntur, vt collecta ſubſidia, & eleemoſynas Hieroſolymam deferant: omnium tamen officium, præterquam quod ſummæ charitatis ſit, & pietatis, magnam continet dignitatem, ſiquidem Apoſtoli Eccleſiæ Principes Terræ ſanctæ Commiſſarios ſe præſtiterunt. In quo D. Paulus excelluit: Nàm poſt mirabilem ad Cælos raptum, poſt habitas illic viſiones

ſiones in ipſo prædicationis feruore inter gentes ad fidem conuerſas, commendante Petro Apoſtolo, & ſuadente, Eleemoſynas, & ſubſidia conquiſiuit, vt Sanctorum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ ſuſtentationi deſeruirent. Nec collegiſſe ſubſidia contentus, voluit etiam portare, vtrumque Commiſſarij Terræ ſanctæ munus Apoſtolico, & Euangelico ſpiritu mira ſedulitate exercens, ſicut multis in locis, præſertim Epiſtola ad Roman. cap. 15. num. 25. fatetur. *Nunc autem*, inquit, *proficiſcor Hieroſolymam miniſtrans Sanctis. Placuit enim Macedoniæ, & Achaiæ communicationem aliquam facere in pauperes Sanctorum, qui ſunt in Hieruſalem. Nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt Gentiles, debent & in carnalibus miniſtrare illis.*

Audiendus eſt in hoc loco D. Chryſoſtomus homil. 30. Apoſtoli verba eleganter expendens. *Hoc ſane, & hic circa eleemoſynam facit: & vide quam magnificè dictionibus vtatur. Non enim dicit Proficiſcor eleemoſynas deferens, ſed miniſtrans. Si verò Paulus miniſtrat, cogita quantum ſit quod ſit, nimirum, quod Doctor Orbis deferendum recipit. Rurſus non dicit eleemoſynam ſed communicationem: illud autem aliquam, aut quandam non ſimpliciter ponit, ſed ne videatur illis improperare. Et non ſimpliciter dicit in pauperes, ſed in pauperes Sanctorum, duplicem faciens commendationem, vnam à virtute, à paupertate alteram. Et neque iſto contentus adijcit: Et debitores illorum ſunt. Deinde oſtendit quomodo ſint debitores. Etenim, inquit, ſi ſpiritualia communicauerunt gentibus, debent & hæ in carnalibus miniſtrare illis.* Hęc ille, vbi cernitur quam ſit honorificum, vt quiſquam Commiſſarij Terræ ſanctæ munus exerceat, eleemoſynas colligat, & Hieroſolymam deferat, quandoquidem D. Paulus Orbis Doctor id egiſſe fatetur, & quaſi tanto honori ſe imparem iudicaret, ſeruum ſe, & miniſtrum appellat. Quinimo tanquam de re ſummæ dignitatis gloriabatur, quod eleemoſynarum Collector, & Commiſſarius, & inſuper delator extiterit. Vnde in actibus Apoſtolorum ad Felicem præſidem loquens, ita ait: *Poſt annos autem plures eleemoſynas* Act. 24 nu. 17.

facturus

facturus ingentem meam veni, & oblationes, & vota: Quibus verbis ſignificat ſe eleemoſynas, vel liberè oblatas à fidelibus, vel ex voto collegiſſe, & Hieroſolymam detuliſſe; tàm vt pauperibus diſtribuerentur, quàm vt offerrentur in

Lorinus. templo. Ita ad eum locum interpretatur Lorinus. *Denotat*, inquit, *eleemoſynas ipſas collectas ex oblationibus fidelium, vel liberè, vel etiam ex votis factis, quas varijs ex locis Paulus detulit, partim in vſum fratrum Hieroſolymitanorum, partim vt offerrentur in ipſo templo.* Sed loculentius eſt hac de re

1. Cor. 16. à n. 1. vſq. ad 5. ipſius Apoſtoli teſtimonium ex Epiſtol. 1. ad Corint. c. 16. à nu. 1. vſque ad 5. *De Collectis autem*, ait, *Eleemoſynarum, quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinaui Eccleſijs Galitiæ ita, & vos facite. Per vnam Sabbati vnuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat, recondens quod ei bene placuerit; vt non cum venero, tunc collectæ fiant. Dùm autem præſens fuero, quos probaueritis per Epiſtolas, hos mittam perferre gratiam (ideſt eleemoſynam) veſtram Hieruſalem. Quod ſi dignum fuerit, vt ego eam, mecum ibunt.* Honorificum planè eſt hoc eleemoſynarum inter fideles colligendarum munus, cui Paulus electionis vas, dignitatem non addere, ſed honorem ab eo, & excellentiam mutuari arbitratur. Et ideo, ait: *Si dignum fuerit, vt ego eam;* hoc eſt, ſi me cenſuentis dignum, cui tantum ac tale officium committatur. Cumque tam præcelſum ſit, ad illud exercendum non omnes, ſed probatiſſimi requiruntur. Nec D. Paulus alijs, quam per Epiſtolas probatis, illud committendum iudicabat: *Quos probaueritis per Epiſtolas, hos mittam.*

Ex hoc Apoſtoli teſtimonio, & approbatione, quam in ijs prærequirit, qui ad deferendas Hieroſolymam eleemoſynas deputandi eſſent, conijciat noſtri Ordinis Generalis Miniſter, quam maturo examine explorare debeat, quos inſtituit Terræ ſanctæ Commiſſarios, miniſterij huius ampliſſimi adiutores, vt colligant eleemoſynas, vel collectas diſpenſent. Cui exercendo muneri magna prudentia, ingens charitas, & rara fidelitas neceſſaria eſt. Pro quorum inſtructiore aliqua ſubijciemus documenta. Prius tamen dicendum

dum nobis erit quàm gratum Deo ſit, quantumque meriti contineat harum eleemoſynarum ſubſidium, vt hac ratione fideles ad earum largitionem excitentur.

§. PRIMVM.

Acceptiſſima Deo eſt eleemoſynarum largitio, quæ à fidelibus pro Sacrorum Locorum adminiſtratione tribuuntur.

IEſus filius Sirach in ſuo Eccleſiaſtico cap. 50. Simonis cognomine iuſti, & poſt Monarchiam Perſarum octaui Hebræorum Pontificis clariſſimum compoſuit elogium, in quo multis ſimilitudinibus viri ſanctitatem, & plura alia ipſius decora, & ornamenta deprædicat. Stellam vocat matutinam, Lunam in incrementi plenitudine collucentem, Solem radiorum ſplendore fulgurantem, arcum triplici colorum varietate Solis repercuſſu inter nebulas ſplendẽtem, roſam foliorum amænitate purpurantem: & poſt hæc alijs titulis, & nomenclaturis illuſtrat; atque ſuper alios gentis ſuæ Pontifices extollit. At qua prærogatiua meruit Simon ſuper alios euehi? Qua arte Dei gratiam promeruit, & ſic acceptus exſtitit, vt ita largiter in ſacris voluminibus commendaretur? Planè ſacrorum locorum ſtudio, quo ad eorum reparationem, & conſeruationem animum adiecit, gentem ſuam eleemoſynis fouit, & à perditione liberauit. His artibus ſumma Dei potitus eſt beneuolentia, laudibuſque eximijs ab Eccleſiaſtico extolli promeruit. *Simon*, inquit, *Oniæ filius, Sacerdos magnus, qui in vita ſua ſuffulſit domum, & in diebus ſuis corroborauit templum. Qui curauit gentem ſuam, & liberauit eam à perditione*. Si igitur tantùm apud Deum valuit, quod Pontifex templum illud nè laberetur, ſuffulſit, & corroborauit, templique miniſtris auxilio fuit, & alijs etiam eiuſdem gentis hominibus, prout ſuppetijt facultas opitulatus eſt. Quãti meriti erit quamq. acceptum eleemoſynę ſubſidium, quod à fidelibus, & Chriſtianis

Principibus confertur pro ſacrorum locorum ſeruitio, & reparatione, quæ vt antiquiſſima ſunt ruinam minitantur, & niſi eiuſmodi eleemoſynis fulcirentur, nullum iam illorum veſtigium appareret.

Iam verò quæ Fratribus ad victum ſatis tenuem, pauperrimumque veſtitum neceſſaria ſunt miniſtrantibus quantus diuinæ gratiæ cumulus accedat, nemo erit qui dubitet: præſertim ſi videat Gregorij XV. Breue expeditum die 18. Nouembris ann. 1622. Pontificatus ſui anno ſecundo ad fauorem huiuſmodi eleemoſynæ, in quo excommunicationis ſententia ferit quotquot directè, vel indirectè illam occultant, vel impediunt. Idem etiam ſtatuit S.D. Vrbanus VIII. Breui edito Idus Martij Anno 1634. Pontificatus ſui Anno XII. in quo cenſurarum pœnis, & magni ſupplicij comminationibus ab occultatione, vel detentione, ſeù furti eleemoſynarum, vel aliorum bonorum ad loca ſancta pertinentium deterret. Et in alio expedito, die 3. Februarij eiuſdem anni. Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis præcipit, vt in ſuis Diœceſibus ad minus duabus vicibus quolibet anno Aduentus, & quadrageſimæ temporibus per Prędicatores in Concionibus, & alijs actionibus publicis ſacrorum monumentorum neceſſitates populo proponi, & commendari curent ſubuentiones, quibus multiplici neceſſitate oppreſſis, fame, peſteque laborantibus opitulantur. Et tam lata ſunt Chriſtianę charitatis viſcera, vt à fide alienos, & Turcas pauperes complectantur: Quibus etiam eleemoſynis fauent, ac de micis, quæ de magni Regis menſa cadunt aſsiduè ſuſtētant. Sicque in illis impletum experimur, quod mulier illa Cananæa Chriſto Domino obijciebat apud Matthæum cap. 15. *Nam, & Catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum.* Sentiunt charitatem hanc Saraceni canes, & accedentibus Fratrum Minorum exhortationibus rabiem deponunt, fidem amplectuntur, ſeque Romanæ Eccleſiæ ſubijciunt.

Hęc autem, ſi intra humanæ prouidentiæ, ac poteſtatis limites ſiſtendum ſit, fieri nullatenus poſſunt, niſi ſubſidiariæ

riæ Chriſtianorum eleemoſynæ colligantur. Hæ in illis partibus Dei gloriam ſuſtentant, fidem tuentur, totius Chriſtianitatis peregrinos illuc concurrentes protegunt, Saracenos ad Chriſti fidem, ipſiuſque Vicarij Romani Pontificis obedientiam reducunt: Sacrorum locorum cultum, & venerationem amplificant; & ſanctuaria illa, in quibus humanæ ſalutis monumenta exiſtunt, aduerſus temporis edacitatem, & profanam Saracenorum inſolentiam fulciunt, & corroborant. Quod quàm ſit apud Deum meritorium, quotque laudum præconijs extollendum, cæcus eſt, qui non videat, & parum Religioſus, ac nimis durus niſi charitatis igne emollitus, ad huiuſmodi eleemoſynarum largitionem inflectatur. Pro quo audienda eſt illa D. Chryſoſtomi adhortatio homil. 33. de eleemoſyna, cuius ſupra meminimus. *Quid itaque differs cùm iam tanta receperis, & tot expectes, &c.* Porrò multa ſunt, & magna, quæ talium eleemoſynarum largitores à Deo expectare debeant. In primis Dei gratiam, & beneuolentiam, atque vt in ſuis petitionibus exaudiantur. Miſit olim Centurio Iudæorum ſeniores ad Ieſum qui rogarent eum, vt veniret, & ſeruum extremè ægrotantem redderet ſanitati. *Et cum audiſſet de Ieſu miſit ad eum ſeniores* *Luca 7. nu. 3.*
Iudæorum; rogans eum vt veniret, & ſaluaret ſeruum eius. Mirum eſt quo verborum blandimento ſuam obſecrationem temperauerint ſeniores: Nàm venientes ad Ieſum, vt ſalutem Centurionis ſeruo impetrarent, dicebant: *Quia dignus eſt, vt hoc illi præſtes: diligit enim gentem noſtram, &* *n. 4. & 5.*
Synagogam ipſe ædificauit nobis. In eo itaque Centurionis meritum reponebant, quod Iudæos amore proſequeretur, opitulando, prout ſuppetebat facultas: & proprijs expenſis Synagogam extruxerat. Quod igitur illorum meritum reputabimus, qui Religioſos Minoritas in Terra ſancta degentes, charitate amplectuntur, & eleemoſynis fouent, quibus ſanctuaria illa debito cultu, & veneratione conſeruent, & inſuper enumeratis tot neceſſitatibus occurrant. Quantum apud Deum beneuolentia, & gratia valebunt, qui non vnam ædificant Synagogam; ſed tot Eccleſias, tot Sacraria, tot

Conuentus, & domos ſuis eleemoſynis reparant, fulciunt corroborant, quæ omnia prorſus corruerent niſi piorum eleemoſynis,ac expenſis fulcirentur. Meruit hiſce obſequijs Centurio vt ſeruus longiori vita frueretur. Et eleemoſynarum pro Terra ſancta largitores vitam temporalem longiorem obtinebunt, & æternam poſt modum aſſequentur.

Abrahamo quondam obuius Melchiſedech, quem multi, vt refert Petrus Galatinus lib. 2. cap. 8. Sem Noe primogenitum fuiſſe arbitrantur, fœlicitatem enarrauit,& longæuitatem, Sacerdotium, Regnum eleemoſynæ beneficio obtinuiſſe fatebatur. *Propter Iſedac,ideſt eleemoſynam,quam ibi faciebamus feris, & beſtijs, atque volucribus, non enim tota nocte dormiebamus, ſed modo huic, modò illi tribuebamus.* Si ergo tot bona à Deo conſecutus eſt Melchiſedech, propter eleemoſynarum largitionem, quas feris in arca detentis contulerat (ſi tamen eleemoſyna dicenda erat illa victus diſpenſatio) quid quæſo non obtinebunt Chriſtiani? Si non feris, ſed manſuetis Chriſti ouibus, & Seraphici Ordinis Religioſis ſubſidia largiantur: ſi ad peregrinorum hoſpitium, ad ægrotantium medelam, ad captiuorum redemptionem, pecunias largiter effundant. Si ad ſanctorum locorum cultum, ad Chriſti illic naſcentis, viuentis, ac morientis obſequium, ad Theſauri illius ſacerrimi cuſtodiam, adminiſtrationemque Minoribus commendatam ſumptibus minimè parcant:ſed Chriſtiana largitate ſupellectilia, & pretioſa quæque impertiantur.

Galatinus

Illa Melchiſedec enarratio Abrahamũ impulit,vt deinceps domũ ſuam verteret in peregrinorũ hoſpitium (ſicut refert Galatinus) quod officium tanto exercebat ſtudio,vt in ipſo Solis ardentis æſtu è domo exiret, illos ad ſe pertracturus. Hinc vt ab eius Genealogia Chriſtus deſcenderet, conſecutus fuit. Hæc & multo plura ijs ſpondere non ambigo, qui pro ſanctorum locorum ſubſidio liberales ſe præſtiterint. Audeo dicere, plus hoc eis conferet fauoris, quàm ſi ieiunijs, & orationibus indulgerent. Ieiunabant Chriſti Diſcipuli, cùm ab Hieruſalem in Caſtellum Emmaus proficiſce-

ciſcebantur: Magiſtri ſui dilectiſſimi mortem deplorabant. Prophetias, quæ glorioſam ipſius reſurrectioοem prædicebant, intelligere conabantur: Et cum ipſis iterfacientibus, ſe ſocium adiungeret, atque ad confabulandum inuitaret, dicens: *Qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad inuicem ambulantes, & eſtis triſtes?* non tamen eum agnoſcere potuerunt. At verò poſtquam in peregrini forma in Caſtellum receperunt, ac Menſæ participem fieri conſtrinxerunt, dicentes: *Mane nobiſcum Domine quoniam aduesperaſcit.* Tunc eum agnouerunt: tunc eis ſeipſum dignatus eſt manifeſtare. Quod perpendens D. Gregorius homil. 23. in Euangelia ita fatur: *Ecce Dominus non eſt cognitus dum loqueretur, & dignatus eſt cognoſci dum paſcitur.* Itaque nec cum ipſis alloqueretur, & de paſſione ſua cum eis ſermones ſuauiter miſceret, ſe illis manifeſtauit, ſed cùm illum menſæ ſuæ participem effecerunt. *Et cognouerunt eum in fractione panis.* Paſcitur à fidelibus Chriſtus, ac eorum menſæ particeps efficitur, cum ad locorum ſanctorum ſubſidium eleemoſynæ conferuntur, cùm Fratrum Minorum ibi miniſtrantium neceſſitatibus occurritur. Illos igitur magnis fauoribus augebit, & peculiarem gratiam largietur, qui in conferendis huiuſmodi eleemoſynis liberales ſe præſtiterint. Qui verò eleemoſynarum Commiſſarij, & Collectores inſtituentur, rem eſſe magnæ dignitatis meminerint, quippequam Apoſtoli Eccleſiæ Principes libentiſsimè exercuerunt. Iam quæ ad ipſius officij exercitium ſpectant, & qua ratione fieri poſſit citra vllam regulæ noſtræ tranſgreſſionem proſequamur.

Lucæ 24. nu. 17.

nu. 29.

S. Greg.

CA-

CAPVT III.

Regia quædam via ſternitur, vt per eam incedentes Terræ Sanctæ Commiſſarij, pecuniarias pro Sanctis locis eleemoſynas quærere, illucq. tranſportare queant, & Regulæ tranſgreſſores non inueniantur.

MVltiplex eſt eleemoſynarum ſubſidium, & ex magna rerum varietate coaleſcit. Quilibet enim pro vt vires, aut voluntas ſuppetunt multa largiuntur, pecuniam, odoramenta, ſtragulatas veſtes, thoreumata, calices, candelabra ex argento fabrefacta, oloſerica pro Altaribus, & Sacerdotum paratu ornamenta. Necnon ad domeſticum Fratrum vſum plura ſupellectilia, & alia, quæ ad Eccleſiæ cultum, & ad Fratrum victum, veſtitumque deſeruiunt. Ex his quædam in propria ſpecie, alia in res alias commutata Hieroſolymam transferuntur. Quia tam accipere, quàm accepta commutare, ſeu vendere, vt alia magis neceſſaria coemantur, ſtatui noſtro minimè repugnat. Sic enim conceſſit Leo X. cuius conſtitutionem, producit Rodriguez in in ſuis quæſtionibus Regularibus; & Corduba in annotationibus ad compendium. De pecunia verò cùm illius vſus, tractatio, & recurſus Minoribus ex vi Regulæ interdicatur: Videri poterat non poſſe à Commiſſarijs Terræ ſanctæ conquiri, & illuc perſonaliter tranſportari. Nihilominus citrà læſionem Euangelicæ paupertatis quam profitemur prædictis Commiſſarijs fas eſt, pro ſacrorum locorum cultu, conſeruationeq. eleemoſynas quærere pecuniarias, & illuc modo inferiùs deſignando transferre, vt ſequentibus ʃʃ. ſtatuemus.

ʃ. PRI-

§. PRIMVM.

Poſſunt Minores de Obſeruantia ad Sanctorum locorum conſeruationem pecuniarum eleemoſynas, ſeu nummos colligere, quin Regulæ puritatem aliquatenùs lædant.

NVllam in huiuſmodi eleemoſynarum conquiſitione inſtituti noſtri læſionem reperiet, qui commune illud Theologorum placitum apud D.Thom.2.2. quæſt.184. art.1. & 4. diligenter expendet,. Nimirum hominis perfectionem duplici ratione conſiderandam. Prima, vt eſſentialis, & abſoluta eſt; ſecunda, quæ accidentalis, vel ſecundùm quid nuncupatur. Perfectio eſſentialis in charitate conſiſtit, qua quis Deo coniungitur iuxtà Illud Ioannis 2. cap.3. *Qui manet in charitate, in Deo, manet, & Deus in eo.* 1.10.4. Et quantò maiorem charitatem quiſquam habuerit, tantò perfectior erit exiſtimandus. Eſt enim amor animæ quantitas, vt diſertè dixit S.Auguſtinus, ſeu perfectionis menſura. Perfectio accidentalis illa eſt, quæ ex obſeruatione legum, & ſtatutorum in aliquo ſtatu conſurgit, atque ad perfectionis eſſentialis aſſecutionem ordinatur. Et ideo perfectionem dicunt ſtatus, in quo ſub certis legibus, & obſeruationibus auxiliante Dei gratia viuitur; cuiuſmodi cenſetur Religio, in qua Paupertatis, & obedientiæ, caſtitatis vota emittuntur; & alia pro cuiuslibet Religionis differentia obſeruantur, quibus ad eſſentialem perfectionem aſcenditur. Deinde conſiderādum eſt dupliciter ſe habere perfectionis ſtatum. Nam vel dicitur perfectionis acquirendæ ſtatus; vel acquiſitæ iam perfectionis exercendæ ſtatus nuncupatur: exemplum ſit in Theologiæ magiſterio; vbi quidam tanquam diſcipuli addiſcunt, alij, vt præceptores erudiunt: Quidam ſcientiam acquirunt, alij acquiſitam docendo commu-

communicant. Exercendæ perfectionis ſtatum obtinent Epiſcopi: quoniam perfectorū inſtar comparatas iam exercitio virtutes, alijs in Eccleſia docendo communicant. Hinc eſt vt eorum ſtatus, Religioſorum ſtatu perfectior cenſeatur. Quoniam perfectionē in actu ſupponit, quam Religioſi adipiſci obnituntur: atque adeò eorum ſtatus, *acquirendæ perfectionis ſtatus compellatur*. Vnde reliqua Religionis ſtatuta in tantùm obſeruanda erunt, inquantum ad comparandam perfectionem conduxerint.

Cùm autem noſter Minorum Ordo in conſeruatione ſanctorum locorum potiſsimum reſpiciat animarum zelum, infideliū illic habitantium conuerſionem, ſchiſmaticorum cum Eccleſia Catholica vnionem, Turcarum reductionem ad Chriſtum, Catholicorum in fide confirmationem: Qui Fratrum exhortationibus, & locorum conſpectu, vbi Redemptionis noſtræ ſacra viuunt monumenta, charitate inflamantur, ſpe eriguntur, fide roborantur: Quarum virtutum Fratres magna quotidie incrementa ſuſcipiunt, hauſto proficiendi ſpiritu à Saluatoris noſtri, & aliorum Sanctorum exemplo, quod ibi mille monumentis expreſſum intuentur. Nedum quod ſicut ſcripſit egregiè Tertullianus lib. de fuga in perſecutione. *Nuſquam melius proficitur, quàm in caſtris rebellium: Nam & ipſum illic eſſe, proficere eſt*. Et quidem Minores noſtri ibi ſtantes profecerunt, in dieſq. proficiunt. Plurimi enim martyrij deſiderio inflammati, ſanguinem pro Chriſto effuderunt, & ipſius Eccleſiam fidelium multitudine fæcundarunt: vt in Annalibus, & Chronicis Minoritarum paſſim inuenitur. In hoc autem charitatis perfectio, & Chriſtianæ perfectionis ſumma conſiſtit, iuxta illud Chriſti Domini apud Ioannem cap. 15. *Maiorem charitatem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis, &c.* Reliqua omnia vel Chriſti conſilijs tradita, vel Religionum ſtatutis ſancita, velut media ad huius charitatis aſſecutionem ordinata reputātur. Et ideò prout conſequendo fini magis idonea iudicabuntur, temperanda, remittenda, vel prorſùs auferenda erunt.

Hic

Hinc eſt, vt ſtante præcepto noſtræ Regulæ recurſum ad pecuniam prohibente, ſi tamen neceſſum eſſet ad obtinendam charitatis perfectionem recurrere ad pecuniam, vel illam deportare: Quis ita amens, vt vtrumque licitum eſſe diſſiteatur? Maximè cum ob eumdem finem ipſe Religionis habitus à Miſsionarijs quotidie laudabiliter deſeratur. Et meritò, quoniam habitus, paupertatis præceptum, & reliqua Religionis ſtatuta ad conſequendam perfectionem ordinantur, quæ in Dei amore ſita eſt: quapropter ſi aliquando habitus deſertio, pecuniæ recurſus, & tractatio ad hunc finem commodius deſeruiret: Dubium non eſt, quod abſque vlla transgreſsione fieri poſsit: Quoniã hæc omnia propter charitatem, non autem propter hæc charitas commendatur.

At verò conſiderato rerum prçſentium ſtatu, ſanctorũ locorum cultus, manutenentia, poſſeſsio per tot annos, à noſtris Minoribus obtenta, ſine recurſu ad pecuniam ſeruari nequeũt: tot enim exactiones per ſummã Turcarum auaritiam lege, vel cõſuetudine ſtabilitç ſunt, vt neceſſe ſit ad pecuniã recurrere, quò his, & alijs ad locorum conſeruationẽ, & reparationem conducentibus ſatisfieri queat: & apud infideles mendicando colligi non poſſunt. Taceo de victu fratum, & veſtitu vtroque tenui, & vili; item Cõuentuum vtẽſilibus, pro quibus pecuniariæ eleemoſynæ, non colliguntur. Licet inde fratribus, vt Eccleſiæ famulis, ac Miniſtris, pro cuius vtilitate loca poſsidẽt, quibuſq. vt ſacriſtæ deſeruiunt, nonnunquam indirectè, ac in obliquo prçdictarum eleemoſynarum aliquid obueniat. Non tamen ad eorum fauorem, nec vſum, aut proprietatem, ſed in fauorem Eccleſiæ, & potiſsimum Sedis Apoſtolicæ, quæ aliter prædictorum locorum conſeruationem retinere non ita facile poſſet. Huic autem miniſterio interueniunt Fratres noſtri tanquam Procuratores Eccleſię, & potiſsimum ſanctorum locorum deſtinati, quorumque aſpectu pecuniarię oblationes fiunt, & preterea tanquam Commiſſarij Sedis Apoſtolicæ in vtroque foro vt conſtat ex priuilegijs conceſsis Guardiano Hieroſolymitano, ipſiuſq. ſucceſſoribus pro tempore exiſtentibus. Quod verò fratres, qui ex authoritate Sedis Apoſt. & eius nomine

in locis ſanctis degũt pro alimentorũ prouiſione neceſſaria recipiant iuris diuini eſt, nec eorum profeſſioni aduerſatur: quia inter infideles, aliud ad ſuſtentandam vitam,& conſeruanda Sacrorum locorum monumenta remedium non inuenitur. Atque in his circumſtantijs licitus eſt ad pecuniam recurſus: ſiquidem finis ob quem illum admittimus, videlicet Sanctorum locorum conſeruatio ſuperioris eſt Ordinis. ſuppoſito vero fine, & ipſius præſtantia, omnia media, quæ ad illius aſſecutionem neceſſaria iudicabuntur, licita erunt: Vnde cum pro tempore præſenti hinc vrgeat Sanctorum locorum indemnitatis, conſeruatio, cultus: illinc Regulæ noſtre puritas,pecunię tractationē interdicens, planè ſtandũ eſt pro Sanctis Locis & recurſus ad pecuniam admittendus:

Secluſa tamen finis ſuperioritate, adhuc alia ratione licitum fore, ad pecuniam recurſum demonſtratur. Clementina *Exiui*. Et cap. *Exijt* de verbo ſignif.in 6. pro aliquibus Fratrum neceſſitatibus, & Conuentuum, ædificatione recurſus ad pecuniam approbatur, & Regulæ noſtræ minimè contrarius deciditur,vt expoſitores communiter aduertunt & diuturna apud nos praxi, conſuetudineque obſeruatur. Si tamen quatuor modificationes Clementinæ. *Exiui §. porrò* præſtitutæ adhibeantur quas P.Franciſcus de Yepes noſtræ Almæ Angelorum Prouinciæ Lector emeritus ad cap.4.Regulæ ſequenti dyſticho complectitur.

Clauiger, aut Dominus non ſis, & conſule dantem:
Si infidus portans: iudiciumque fuge.

His modificationibus ritè obſeruatis pecunię tractatio licita redditur, quia omne dominium politicum à Fratribus excludunt,quibus non tam interdicitur pecuniarum conquiſitio, ac recurſus, quam modus, qui vt licitus ſit, & permiſſus cenſeatur; his veſtiri debet conditionibus, ab eodem authore alio dyſticho contentis.

Corde, poteſtatem, ſignis opere, ore negabis:
Conditiones hæ cætera cuncta bibunt.

Cùm igitur Minores noſtri pro Terræ ſanctæ conſeruatione pecuniarias colligunt eleemoſynas prędictis non vtantur cautelis, verbi gratia, poteſtatem earum politicam ore, opereq.

opereq. reijciát; nec niſi ad prædictorũ locorum miniſteriũ tanquã ſerui,& miniſtratores adhibeant: nec tenuis apparet rimula per quã in taliũ eleemoſynarum conquiſitionẽ,& pecuniæ recurſum Regulæ noſtræ tranſgreſſio poſſit intrare. Præſertim cum quatuor Magiſtri,quos ſequitur Corduba in minori neceſſitate recurſum permittũt,videlicet ad parẽtes, & benefactores ſecundũ ſuum ſtatum hilariter,& lautè recipiẽdos. Cur etiã pro redimẽdis ſalutis humanę pignoribus, pro ſubleuandis Fratrũ ſuorum calamitatibus nõ permitteret? Niſi enim quæratur pecunia,contributiones ſoluantur. Theſaurus ille ſanctiſſimus diripietur,& noſtri flagellis fuſtibus,& ſcorpionibus verberati ad carceres raptabũtur,vt Saracenorũ mos eſt,ſicut referunt Annal.Min.ad Chriſti annũ 1342. nec eos inde extrahunt,donec vltimũ numerent quadrantem. Ergo cùm opus hoc maioris ſit perfectionis;abſq. dubio propter illud pecuniæ tractatio permittẽda eſt. Nam vt optimè monuit S.Leo, *Quid tam aptum fidei? Quid tam congruum pietati? quàm egentium iuuare paupertatem, infirmorũ curam recipere fraternis neceſſitatibus ſubuenire, & conditionis propriæ in aliorum laboribus meminiſſe*. Quin etiam B. P. N. Franciſcus,qui maius in Fratrum perfectione,& peccatorum ac infidelium conuerſione ſtudium, quàm in pecuniarum interdicto collocauit. Si ad illas recurrere neceſſarium foret ijs, quos prædicandi,& martyrij ſubeundi cauſa remittebat, planè recurſum concederet & indubitanter conceſſit, ac in Regula,vt ipſius expoſitores aduertunt conceſſum reliquit. Quapropter tantum abeſt, vt in conquiſitione pecuniarum pro conſeruandis Hieroſolymæ locis Regulæ puritas violetur, vt potiùs iuxta ipſam ſecundùm ſummorum Pontificum declarationes, Doctorumque interpretamenta præfatus ad pecuniam recurſus tanquam licitus, & pietati conſentaneus (ſicut hactenus factum eſt) continuari debeat.

Cordub. ad c. 3. Regul.

D. Leo ſermon 5.

Præiuerunt ad hanc rem ſuo exemplo Apoſtoli. Nam etſi vt tradidit S.Thomas paupertatis votum emiſerint,& omnẽ pecunię tractationem repudiauerint,iuxtà Chriſti pręceptũ

quo pecuniæ vſum ipſis interdixerat. Nihilominus, vt conſtat ex epiſtola ad Galatas cap.2.num.10. ſicut ſupra retulimus, Petrus Apoſtolorum Princeps inter gentes ad fidem conuerſas ſubſidia comparari, & collectas fieri commendauit, quibus Hieroſolimitanæ Eccleſiæ & Sanctorum pauperibus auxilium coferretur. In quo D. Paulus mirificè excelluit, & ſine Apoſtolicæ paupertatis læſione colligendarum eleemoſynarum officium exercuit, vt cernere eſt in epiſtola 1. ad Corinthios cap.16. *Per vnam Sabbati vnuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat, recondens quod ei bene placuerit, vt cùm venero non tunc collectæ fiant, cùm autem præſens fuero quos probaueritis per epiſtolas, hos mittam perferre gratiam* (hoc eſt eleemoſynam) *veſtram in Hieruſalem. Quod ſi dignum fuerit, vt ego eam, mecum ibunt.* Quid igitur formidabunt Minores exequi, quod Apoſtolus paupertatis amator exercuit? Aut quis tanquam Regulæ tranſgreſſores incuſabit Minoritas, eo quod videat pro Sanctorum Locorum conſeruatione ſeruitioque ad pecuniam recurrentes? Siquidem in hoc Apoſtolorum veſtigia premunt, qui nō tanquam Tyrones, ſed in perfectionis ſtatu cōſtituti pecuniarum collectas ad Sanctorum auxiliū faciebant. Et ſanè minoris meriti nō eſt, quin etiam (audeo dicere) ampliorem continet honeſtatem, vt pro Sanctorum Locorū vſu ad diuinum ibi cultū amplificandum parādam altarium ſuppellectilem, ſoluenda tributa à Saracenis impoſita, Chriſtianis pauperibus neceſſitate oppreſſis ſubueniendum pecuniarias fidelium oblationes quęrant, & non tanquā Domini, ſed Eccleſiæ, Sediſq. Apoſtolicę Miniſtri, fideliter diſpenſent. Et dum ſic pecuniam tractant, & ad illam recurrunt Regulæ integritatem nō infringunt, quia ex huiuſmodi tractatione vel recurſu nulla proprietas, aut poſſeſſio, vel vſus politicus redundat; ſed materialis quædam, & ſimplex acceptio, quæ ex vi Regulæ Fratribus minimè prohibetur.

Quòd ſi aliqui nimia religione tacti, ac ex eorum grege, qui ad vmbras expauęſcunt etiam materialem & ſimplicem pecuniæ acceptionem Regula vetitam contendant: aliter re-

ſpondemus,

ſpondemus,nimirum quod occurrēte loca illa ſeruandi neceſſitate (ſiue Fratrum propria ſit,quia illa poſſidēt,ſiue totius Eccleſiæ cuius nomine,& authoritate adminiſtrant(iam tunc naturali iure ceſſat prohibitio, recurſuſq.ad pecuniā licitus euadit,vt conſtat ex declaratione Nicolai III. quam Hugo de Dina hunc in modum luculēter illuſtrat. *Cum duarum obligationum, quæ diſpariter obligant emergēs occaſio alterum alteri reddit impoſſibile: tunc id quod minùs obligat neceſſe eſt alteri cedat: verbi gratia minus obligat votum non recipiēdi pecuniam, quam præceptum ſeruandi naturam:& ideo cum alio modo natura ſeruari non poteſt,pecunia & recipi,& contrectari poteſt, Nec pecunia eſt illius,qui ſic contrectat & recipit ſed tantum vſus: nec vſus ſimpliciter,ſed ex cauſa ad tempus.Porrò ſoli Deo acquiritur cuius nomine offertur.* Hoc in terminis accidit Minoribus,qui dum neceſſitate premūtur,vt poſſeſſa per tot annos loca tueantur, & ſeruent: Deinde vt Saracenorum violentiam carceres, flagella, & ſæpiùs mortem effugiant. Quidni ad pecuniam recurrent? cum vigente maiori obligatione, quæ minor eſt euanuiſſe prorſus cenſeatur. Et planè maior obligatio eſt tuendi vitam loca illa conſeruandi, quæ Religionis noſtræ, & totius Eccleſiæ commune bonum reſpiciunt: Atque adeo ex ipſo iure naturæ promanat,quàm obligatio abſtinendi à recurſu ad pecuniam,quę à ſolo iure poſitiuo originem trahit. Et hoc verum habet, etiam ſi ſimplex materialiſque pecuniarum acceptio in Regula prohiberetur.

At opponi poteſt neceſſitatem, quam pro conſeruatione Sanctorum Locorum ſupponimus non eſſe eius qualitatis vt propterea recurſus ad pecuniā ſit permittendus. Quoniam S.P.N.Franciſcus cap.4 Regul.vbi tales vetuit recurſus,ſolos duarum neceſſitatum caſus excepit, nimirum infirmorū medelam,& Fratrum veſtimenta, in quibus ad pecuniam recurri poſſe permiſit. *Præcipio firmiter Fratribus vniuerſis, vt nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant. Tamen pro neceſſitatibus infirmorum,& alijs Fratribus induendis per amicos ſpirituales Miniſtri tantum,& Cuſtodes ſollicitā curā gerāt.*

Reſpon-

Reſpondendum tamen eſt S. Franciſcum ſolas duas neceſſitates numeraſſe: non quia alias excludere vellet, ſed tanquam communiores, & frequentiores; quæque magis conſpicuæ eſſent, & facilius apparerent: attamen ſub earum nomine omnes alias ſimiles, & pro tempore occurrentes comprehendiſſe, ſicut interpretatus eſt S. Bonauentura, & declararunt ſummi Pontifices Nicolaus III. ar. 2. & Clemens V. ar. 6. Regulam exponentes, ſicque eiuſdem Regulæ expoſitores cum Corduba ad cap. 4. vnanimi conſenſu ſtatuunt ad res omnes ſeù cauſas nobis, aut ſtatui noſtro pertinentes fas eſſe pecuniam comparare: Nec vero vt ita fiat neceſſum eſt, vt extremæ ſint neceſſitates, & grauiſſimę: ſed opportunæ, & congruæ ſufficiunt, atque ad earum rerum vſus accomodatæ, quæ fratribus iuxtà regulam permittuntur: Dummodo propriæ veræque ſint, præſentes, præteritæ, vel eminentes, nec rebus mendicato conquiſitis reparari queant. Quas conditiones, vt facilius memoriæ mandentur, ligata oratione redditas ſubſcribo, ex Authore ſupracitato.

Vera neceſſis erit, præſens, tibi cauſa recurſus
Et propria, & nequeat mendicitate peti.

Sed quid verius? quid præſentius, & magis proprium neceſſitate conſeruandi ſacrata noſtræ Redemptionis monumenta? Nec quælibet neceſſitas iſthæc eſt, ſed grauiſſima, cuique niſi hac ratione occurratur, in magnum, & Seraphici Ordinis, & totius Chriſtianę Reipublicæ detrimentum redundabit. Iam verò exactiones propediem ſoluendas quis non videt abſque recurſu ad pecuniam, fieri non poſſe; Cum inter fideles, pro recuperandis domibus, ac Conuentibus, & alijs neceſſitatibus, ad pecuniam licitè recurratur, & maior ibi quam inter Saracenos charitas vigeat: & multa in propria ſpecie donari ſoleant.

Sed adhuc inſtabit quiſquam recurſum ad pecuniam fratribus non permitti niſi vt propriam ſubleuent neceſſitatem: hæc vero quam ſupponimus conſeruandi ſacra Terræ ſanctæ monumenta propria non eſt, ſed communis, & Eccleſiæ,

cleſiæ, atque adeo ad eius ſubleuationem illicitus erit ad pecuniam recurſus, & minime ſuſtinendus. Reſpondeo tamen neceſſitatem hanc communem eſſe totius Eccleſiæ, & propriam fratrum, totiuſque Religionis, quæ iam per tot annos, vt in ſuperioribus oſtendimus, loca illa legitimè poſſidet. Et ideo pro illorum manutenentia, & conſeruatione licitè ad pecuniam recurrit: quemadmodum fit ad conſeruanda loca, quæ inter fideles poſſidentur, vbi modo ad hanc, rurſus ad aliam neceſſitatem reparandam propediem recurrit: quemadmodum fit ad conſeruanda loca, quæ inter fideles poſſidentur, vbi modo ad hanc, rurſus ad aliam neceſsitatem reparandam propediem recurritur ad pecuniam: & qui hac tempeſtate ſine his recurſibus viuere in Conuentibus ſperant egregie decipiuntur: Vnde vel cum rectè ſentientibus, & ſecurè quoad recurſum operantibus ſe conforment, vel currum Heliæ poſtulent, & zelatores rigidiſsimi ex hoc mundo transferantur, tempus illud præuenientes, in quo omnes cum Chriſto in aëra rapiemur.

Aſtruimus ergo præfatam neceſsitatem Fratrum Minorum propriam tantum non eſſe, ſed communem Sedis Apoſtolicæ, & totius Eccleſiæ, vt re vera eſt, ad cuius honorem, & vtilitatem magni intereſt, vt talia monumenta retineat, cuique in dedecus, & ignominiam cedat, ſi amittantur, vt apertè cenſuit Clemens VI. in Bulla, cuius iam meminimus, his verbis: *Qui ſepulchrum Dominum, & alia ſacra loca vltra marina proprio ipſius Redemptoris ſanguine dedicata, non abſque Chriſtianorum graui opprobrio detinet occupata*. Ex hoc tamen magis licitus eſt ad pecuniam recurſus, propter communis boni excellentiam, quod in omni euentu priuato ſemper bono antefertur, vt ipſummet naturale ius manifeſtat. Cùm ergo prohibitio recurſus ad pecuniam in Regula Minorum contenta priuatum bonum reſpiciat, & in conſeruatione ſanctorum locorum commune totus Chriſtianitatis bonum contineatur, vt neceſſario fatendum eſt, plane non attenta prohibitione, quæ vrgente communi bono ceſſat, ad pecuniam recurri poteſt, & conquiſitis apud

fideles

fideles pecuniarum eleemoſynis ſactorum locorum conſeruationem retinere.

Nec verò nouum eſt, aut inſolitum, ſed communi Theologorum, & Iuriſtarum placito receptiſsimum quaſcunque priuati boni rationes, & cauſas communi bono, cum illud ſe offerat, poſtponendas. Hinc eſt vt Frater Minor in Epiſcopum, vel Cardinalem, aut Pontificem aſſumi poſſit, & non obſtante regula, quæ pecuniarum vſum interdicit, pecunias tractare; & alia quæ ad Epiſcopale munus attinent exercere, quantumuis regulari inſtituto contraria ſint, & Religionis regula prohibeantur: non aliunde niſi quia communis boni ratio hoc exigit, quæ cuilibet alteri debet anteponi. Adde quod prædictus pecuniarum quæſtus fit à Minoribus, prout Sedis Apoſtolicæ miniſtri ſunt, ad theſaurum ſanctorum locorum, cuſtodiam adminiſtrationemque deſtinati: Et vt rem ſeruent tueanturque, cuius dominium, ac proprietas penes Sedem Apoſtolicam reſidet, ſicut omnium aliarum rerum, quarum Fratres Minores vſum vendicant, vt nemo eſt, qui ignoret. Et quæſtum pecuniarum ſub hac ratione factum nemo niſi per ſummam iniuriam condemnabit. Hæc de eleemoſynarum conquiſitione dicta ſint ſatis. Nunc expendendum eſt, an ita conquiſitas perſonaliter in Hieroſolymam transferre poſsint.

§. SECVNDVM.

Minoribus fas eſt conquiſitas pro Terra ſancta eleemoſynas illuc perſonaliter transferre, vel transferentes comitari quouſque Guardiano Hieroſolymitano conſignentur.

DVplex conſideranda eſt pecuniæ tractatio, quæ in prædictarum eleemoſynarum deportatione contingere poteſt. Prima materialis tantum, ſeù naturalis. Secunda moralis,

moralis, & politica, quando nimirum pecunia pro vſu, ac expenſis, vt cunque faciendis tangitur, & contrectatur: Hæc in Regula noſtra prohibetur, & à Minoribus fieri nequit. Si autem in eleemoſynis deportadis ſola materialis, ſeù naturalis tractatio interueniat, dubium non eſt Minoribus fas eſſe tales eleemoſynas tranſportare: non aliter quam ſi vas aureum tangerent: atque propter proximi charitatem, ad euitandum direptionis periculum aliò tranſportarent. Quod Regulæ S. Franciſci expoſitores vnanimi conſenſu affirmant. Cùm igitur in delatione huiuſmodi pecuniæ magna & moraliter pene certa interueniant pericula, vt ab inuaſoribus diripiatur (habet enim multos inſidiatores pecunia) & ſanctorum locorum charitas vrgeat, poſſunt Minores illam perſonaliter deferre. Neque in hoc aliqua proprietatis actio interuenit. Quis enim agazones pecuniarum proprietarios dicit: eo quod illam ex pacto conducti quocunque tranſportant, ac ſi pondus aliud detuliſſent. Pari ratione de Minoritis philoſophandum eſt, qui attento periculo, & exigente charitate abſque vlla regulæ tranſgreſſione pecuniarias eleemoſynas in Hieroſolymam perſonaliter deferre poſſunt, quouſque Guardiano Hieroſolymitano conſignent; quia materialiter ſolummodo, & naturaliter tractant. Guardianus verò ad euadendum direptionis periculum prædictas eleemoſynas ſub claui magnoque ſecreto abſconditas in Conuentu ſeruat: quoniam alias ſi Saraceni hoc ſcirent, omnia diriperent, vt non ſemel facere intentarunt, ſecreta tamen, & incognita nummorum occultatione deluſi: Et non propterea Guardianus proprietatis damnandus erit, quia occultatio illa pecuniarum politica non eſt, & moralis, ſed materialis ſolummodo, & naturalis, quæ Regulæ noſtræ non repugnat, & Eccleſiæ nomine pro veris neceſſitatibus tales nummos reſeruat. Et ideò ad hoc peragendum nulla opus eſt diſpenſatione, quia Regulæ integritas minimè læditur.

Quæ de pecuniæ tranſportatione diximus viam aperuerunt, vt quid de comitatu dicendum ſit ſtatuamus. Nam ſi

ſratres, dum eos, qui pecuniam deferunt, comitantur, nullam proprietatis actionem exerceant; ſed naturaliter tantum, & materialiter agazones comitando ſe habeant, licitè illos pro maiori ſecuritate pecuniam deferentes comitabuntur. Ad quod ſummopere fauet D. Pauli exemplum, qui vt iam diximus collectas perſonaliter faciebat, ſed etiam ad comitandum collectarum portatores ſe offerebat,
1. Cor. 6. vt patet ex Epiſt. 1. ad Corinth. cap. 6. vbi ita: *Quod ſi dignum fuerit vt ego eam, mecum ibunt.* Quo loco audiendus eſt Cornelij à lapide commentarius. *His verbis*, inquit,
Cornel. *Paulus Corinthios ſtimulat ad largiorem collectam, vt ſcilicet tantam faciant quam dignum ſit, vt ipſemet perferat.* Quemadmodum vero vt Regulæ noſtræ expoſitores docent, fas eſt Minoribus interueniente neceſſitate pecuniam alienam in Conuentu cuſtodiendam retinere, & inſuper ab Inuaſoribus defendere, quin aliqua ipſis proprietatis nota inuratur: ita etiam licebit pecuniam deferentes comitari: quia non minus eſt à proprietate alienus eiuſmodi comitatus. Quapropter Corduba, & alij admittunt, poſſe fratres pecuniam de loco ad locum extrahere, perſonaliterque deferre, non alienam ſolùm, vt à prædonibus, & ſoluendo pedagio liberent, ſed Conuentuum vſui applicatam, vt per Sindicum poſtea expendatur, quod à fortiori de comitatu ſtatuerent. Si quidem à proprietate, & dominio, illiuſque ſpecie longius abeſt, quàm cæteræ actiones, quas hactenus recenſuimus. Et vbicunque politica, & moralis pecuniæ tractatio non interuenit, nulla Regulæ prohibitio inducenda eſt: Quamquam ob alios fines monuerim cautelam, & circunſpectionem hac in re adhibendam. Hæc de eleemóſynis temporatim conquiſitis ſuggerere placuit. De perpetuis, ſeù legatis annuatim ſoluendis, quæ ad plenam Commiſſariorum inſtructionem viſa fuerint neceſſaria, ſtilo non ſcholaſtico proponam.

CA-

CAPVT IV.

Minores Hieroſolymæ degentes, annua legata ſibi perpetuò reddenda pro ſanctorum locorum adminiſtratione capere poſſunt; citra ſtrictiſſimæ ſuæ paupertatis offenſam.

ALtiſſima Fratrum Minorum de Obſeruantia paupertas, Apoſtolicæ quam ſimillima ſtrictam adeo rerum omnium abdicationem ſuis profeſſoribus indicit; vt hæreditariæ ſucceſſionis penitus incapaces efficiat. Non tamen impedit quominus tàm in communi, quàm in particulari legatum quodlibet obtinere poſſint; ſic enim diffinitum eſt, *cap. exijt §. ad hæc quia fratribus de verborum ſignificatione* in 6. vbi communiter Iuriſtæ, & Regulæ noſtræ expoſitores. Ratio verò eſt, quia vt ipſi diffiniunt *§. legatum inſtitut. delegat.* Legatum donatio quædam eſt à defuncto relicta per ipſius hæredem legatario tradenda. Cùm autem Minores incapaces non ſint, vt quidquam donatione accipiant, ſicut ſtatuitur. *Extrauag.* 1 *§. Porrò vt circa ſepulturam de priuilegijs*. Et cum Bart. ad L. *ſeruos* 17. nu. 2. ff. *de aliment. legat. ſuſtinent plurimi*, ſic etiam rem legato ſibi relictam conſequi fas erit: Neque in hoc vlla vnquam extitit controuerſia. Quando autem legata fuerint perpetua, & annuatim ſoluenda relinquantur; grauior eſt concertatio, quam pro parte noſtri Ordinis à me latiſſimè diſcuſſam, & Sacræ Congregationi Eminentiſsimorum Cardinalium Concilij Tridentini pro fundatione Conuentus Victoriæ Reformatorum, ſeù Diſcalciatorum præſentatam An. 1635. & nunc per ſequentes §§. diuiſam inculcabo.

§. PRIMVM.

Exponitur modus, quo Minores legata perpetua obtinendi capaces habeantur.

VT Fratrum Minorum capacitas ad legata ſibi perpetuò relicta conſequendum percipiatur, inſpicienda eſt forma, ſeù modus; ſub quo res ipſa materialis fratribus legato tradenda perhibetur. Is enim aliquando illicitus eſſe poterit, Minoritarumque inſtituto repugnans: Qualis foret ſi teſtator rem immobilem, videlicet agrũ, aut vineam à Fratribus excolendã, vel poſsidendã relinqueret: & tunc reijciendum erit legatum, quia Minores illius obtinendi incapaces exiſtunt, vt ſancitum eſt cap. *exijt §. ad hæc de verborum ſignificat.* ibi *Decernimus quod ſi teſtator modum ſecundum quẽ fratribus (eorum conditione inſpecta recipere non liceret) exprimat in legando, vt ſi legaret fratribus vineam, vel agrum ad excolendum domum adlocandum, vel ſimilia verba in ſimilibus proferret: aut modos ſimiles in relinquendo ſeruaret a tali legato, & eius receptione per omnem modum fratres abſtineant.*

Quamquam in eo caſu hæredes ab implẽda teſtatoris voluntate non eximuntur, ſed tale legatum, quia pium eſt, ſecundum æſtimationem largiri tenentur, ne vita functi diſpoſitio corruat, iuxta decretum l. *legatum ff. de vſufruct. legat.* & docet Menoch. Pręſumpt. 1204. c. 24. & ſequentibus vol. 2. Cordub. in Regul. c. 6. q. 11. *§. Tertiò dubitatur.* Rodriguez to. 2. q. 26. a. 4. cum Barthol. & Ancharano: ideoq. modus ille impoſsibilis legato adiectus ab eo reijciendus erit, vt iubet l. *Obtinuit ff. de conditione, & demonſtratione* l. *repræhendenda C. de inſtit. & ſubſtit* atq. in æſtimationẽ, cuius fratres ſunt capaces cõuertendus. Nã Martinus V. Minoribus cõceſſit, vt legata omnia ad pecuniã reducibilia conſequi poſsẽt.

Menoch. *Cordub.* *Rodrig.* *Bartol.* *Anchar.*

Hęc autem aſſertio fundatur in doctrina plurimorũ Iuris vtriuſque Doctorum apud Couar. c. *Cum eſſet de teſtam.* qui aſſerũt hęredem obligari in conſcientia ad ſoluendũ legatũ

Couar.

in

in teſtamento minus ſolemni relictum, quia certo eam fuiſſe teſtatoris voluntatem agnoſcit: Cùm tamen in foro externo illud reddere non teneatur. Cui Doctorum placito, & iuris diſpoſitioni aſſentiens Capitulum quoddam Generale, vt refert Corduba, & tenet *Firmamentum trium Ordinum* 3. part. fol. 10. in ſtatutis ibi conditis decreuit, vt Legati æſtimatio ſub hac ratione à noſtratibus perciperetur. Ideoque Nicolai Bulla non obſtante, quæ Legatum ſub illiciti modi expreſſione relictum recipere Minoribus interdicit: in modum poſſibilem qualis eſt ęſtimatio conuerti debet, & recipi nè teſtatoris diſpoſitio euaneſcat. Et quamuis ibi Pontifex dicat: *A tali legato, & eius receptione per omnem modum Fratres abſtineant*: particula *per omnem modum*, ita debet exponi, hoc eſt illicitum, & Fratrum paupertati repugnantem, ſi tamen in modum poſſibilem, verbi gratia, æſtimationem transferatur, illud aſſequi fas erit. Quia rei æſtimatio ſolummodo prohibetur, quando res ipſa interdicitur: non autem quando modus tantùm eſt prohibitus, vt in caſu præſenti. Quapropter ablato illicito modo, & alio qui licitus ſit adhibito, Minores legatum obtinebunt. Quod Sixti IV. & Leonis X. conceſſionibus maximè cohæret. Hi enim Pontifices Religioni noſtræ indulſerunt, & legatum ad vnũ vſum à teſtatore relictum, per ſuperiores in alium transferri poſſet: Si igtur legatum, de quo agitur in æſtimationem ſeu eleemoſynam commutent, quorum capaces ſunt, illo frui poterunt. Siquidem non res ipſa, ſed modus, quo legata eſt prohibetur. Cordub.

Deinde modus in legato adhibitus indifferens eſſe poterit, vt cùm res abſolutè abſque aliqua modi expreſſione legatur. Tunc res ſub modo Fratribus licito relicta cenſeri debet; ipſiſque tradenda nè teſtatoris voluntas fraudetur, ſicut citato cap. *Exijt* decernitur. *Si verò Fratribus ipſis aliquid abſque modi expreſſione legetur; volumus, vt ſub modo licito Fratribus intelligatur relictum: ita quod nec legans merito, nec Fratres ipſi effectu relicti fraudentur*. Vnde Sanctus Bonauentura in cap. 4. Regulæ prudenter intulit

præſu-

præſumendum non eſſe quidquam Fratribus legari, niſi ſub modo quo illud obtinendi capaces iudicantur. *Cùm enim legantes*, inquit, *intendant Fratres pro ſe habere interceſſores, non intendunt eos Regulæ ſuæ conſtituere præuaricatores*. Quapropter iuxtà præfatum Pontificis decretum. Et Diui Bonauenturæ authoritatem prædicta legata qualibet ratione valere poſſunt, valida cenſeri debent. Diſpoſitio enim abſolutè facta reſpectu perſonæ ad quam dirigitur menſuranda eſt, & pro validitate actus interpretanda l. *plenũ §. equitis ff. de vſu & habit*. Quod adeo verum eſt, vt quamuis verba diſpoſitionis, relicta ſignificatione propria, ad impropriam diſtrahere oporteat, id fieri debet nè actus valore ſuo deſtituatur. Iaſon l. *Quoties in ſtipulationibus num.* 2 *ff. de verborum obligatione*, Decius in l. *contrahenda num.* 5 *ff. de Regul. Iuris*. Cùm autem diſpoſitio ad Minores dirigatur, iuxtà præſumptam diſponentis voluntatem interpretanda eſt per l. *qui quadraginta* in principio ff. ad l. *falcidiam*: & conſequenter vt modo licito Fratribus obueniat iudicandum. Ita ſuſtinent Bartol. Tract. Minoric. diſt. 4. cap. 1. nu. 19. Abbas cap. *in præſentia num.* 36. *de probationibus*. Florianus l. *cætera §. ſi duobus ff. de legat* 1. & plures alij.

Iaſon. *Decius.* *Bartol.* *Abbas* *Florian.*

Poſtremò fieri poteſt diſpoſitio modo Fratribus licito quique eorum ſtatui non repugnet. Hoc autem dupliciter eueniet. Primò cùm quis teſtamentaria, vel qualibet vltimæ voluntatis diſpoſitione, rem aliquam Fratribus relinquit, vt ſi immobilis ſit vendatur, & pretium ſubleuandis eorum neceſſitatibus deſeruiat, ſub quo modo dubium non eſt, quod Minores ab obtinendum huiuſmodi legatum capaces exiſtant, iuxtà diffinitionem cap. *Exijt §. ad hac quia verſ. ſi verò de verborum ſignificat.* in 6. ibi. *Si verò modum licitum Fratribus in legando teſtator expreſſerit, vt ſi diceret: lego pecuniam, vel domum, agrum, vineam, & ſimilia ad hoc, quod per certam perſonam, vel perſonas idoneas diſtrahatur, & pecunia de rebus ipſis accepta in ædificia, vel alia Fratrum neceſſaria conuertatur*. Secundò accidere poteſt, cùm res legata eleemoſynę titulo Fratribus largienda à teſtatore

iniugitur,

iniungitur, citra omnem obligationem ciuilem. Ita quod legantis hæredes ad rei legatæ traditionem ciuiliter compelli nequeant: Et Fratres nonniſi eleemoſynæ titulo repoſcant. Hic autem legandi modus, vel merè gratuitus poterit eſſe, vel etiam oneroſus. Quando nimirum pro re, quæ eleemoſynæ titulo donatur Miſſarum ſolemnia, conciones, officia & alia ſpiritualia exercitia Fratribus imponuntur: ad quorum exhibitionem ipſi ſolo fidelitatis titulo conſtricti remanent: nec ciuili actione poterunt compelli, vt ſoluant quæ pro legati receptione agenda ſpoponderant. Nec viciſsim legantis hæredes in iudicio conuenient; quoniam ciuilis cuiuslibet actionis incapaces exiſtunt: obligatione tamen naturali, & fidelitatis debent conditiones in legati inſtitutione poſitas adimplere. His de modo quo fieri poteſt legatum adnotatis, de ipſiuſmet legati ſubſtantia tractandum erit, & primum de gratuito quod nullo impoſito onere relinquitur.

§. SECVNDVM.

Regulæ puritati non obſtat, quòd Minores de Obſeruantia ſub prædictis modis legata ſibi gratuito relicta, ſiue temporaria ſint, ſiue perpetua nanciſcantur.

DVplex eſt legatorum differentia, quædam enim temporaria ſunt, quædam perpetua. Ex temporarijs nonnulla ad modicum, alia ad longum tempus relinquuntur. Et vel vna tantùm, vel repetitis largitionibus complentur: nonnunquam moderatæ, aliquando exceſſiuæ poterunt eſſe quantitatis. Si legatum fuerit temporarium quale cenſetur quod decennium non excedit, vt docuit Lappus Alleg. 30. Cardinal. Clement. *Exiui*. Matth. de Afflict. tract. de Iure Prothonotarij, vel quod ad Fratris vitã Cõuentui relquitur, *Lappus. Cardinal. Afflict.*
quia

quia legati perpetuitas, vt patet ex l. *fin. C. de Sacroſanctis* Sanchez. *Eccleſijs*, & notat Sanchez lib. 7. decalog. cap. 6. attendenda eſt reſpectu Religionis, cui legatum immediatè acquiritur Vnde niſi centum annos attingat, nec perpetuum, nec etiam longi temporis dicendum erit. Atque adeo capacitas in in Fratribus Minoribus reperitur, vt illud obtineant. Fatetur Bartol. l. *Seruos ad cuſtodiam ff. de aliment & cibis leg.* cui plures alij adſtipulantur. Ratio eſt, quia legatum ſub hac conſideratione inter immobilia non computatur, quæ Minoribus Clementina *Exiui §. cumque annui redditus* prohibentur.

Quando autem legatum vel vna tantùm vel pluribus confertur largitionibus; ſeu numerata pecunia, ſeu ſpeciebus alijs conſtiterit, dummodo quantitas exceſſiua non ſit, à Fratribus obtineri poterit: quia tunc nõ auferitur mendicitas ſtatui Minorum conueniens prout decernitur c. 2. *de Religioſis domibus* in 6. Et Clement. *Exiui §. cupientes nec liceat eis de verborum ſignificatione* vetuit, nè ſub legati nomine Bartol. hæreditas caperetur. Aſſertionem hanc ſuſtinent Bartolus Tract. *Minoricarum lib.* 2. *diſt.* 1. *num.* 1. Et alij, quia in Minoribus nullius rei accipiẽdæ capacitas inuenitur: niſi quam Sedes Apoſtolica ſub ſuum dominium recipit. At verò in prædicta Clementina tantùm abeſt, vt immoderatæ quantitatis legata acceptentur; vt potiùs ibi eorum acceptio Fratribus interdicatur. *Non liceat eis valorem hæreditatum talium vel tantum dimitti ſibi facere, vel ſic dimiſſa recipere: quin potius iſta ſic fieri ab ipſis ſimpliciter prohibemus.* Igitur quoties legata ad immoderatam excreuerint quantitatem à Minoribus accipi nequeunt. Quæ autem exiſtimanda ſit quantitas moderata Miniſtri, & Cuſtodes pro locorũ, ac temporum diuerſitate, & neceſſitatum magnitudine arbitrabuntur Si verò contingat legatum vnum magnæ quantitatis relinqui, vel duo, quorum quantitas ſeorſim modeBartol. rata, & ſimul exceſsiua reputatur. Tunc vt docet Bartolus Tract. *Minoricarum lib.* 2. *diſt.* 1. *num* 45. Tanta legati pars deſumenda erit, quanta ſubleuandis Fratrum neceſsitati-

bus

bus deſeruiat reſiduum verò ad hæredes tranſmittendum.

Quod ſi legatum fuerit perpetuum, & ſub quantitatis moderamine, quam præſcripſimus relinquatur: Quod etiam dupliciter fieri poteſt: primò, cùm per ſe & immediatè Fratribus largiendum à teſtatore ordinatur: Secundò, cùm Fratrum Eccleſiæ, ſeu Conuentui primo deſtinatur. De quolibet euentu ſeorſim claritatis gratia diſſeremus.

Et quidem de primo ſic ſtatuo. Fratrum Minorum ſtatui non repugnat, vt legata perpetua recipiant, quæ ipſis gratuito, & per modum eleemoſynę conferuntur: Dummodo ciuili actione illud ab hæredibus in iudicio non repetant. In primis non repugnat propter ipſammet legati ſubſtãtiam, quia legatum nihil aliud eſt quàm donatio quędã, ſeu eleemoſyna per teſtatorem hæredibus impoſita, vt ipſo vita functo cuidam loco, aut perſonæ largiantur. *Inſtit. de legat. §.* 1. Sed Minoribus fas eſt eleemoſynas, ſiue pecuniariæ ſint, ſiue non recipere, quandocunque à viuentibus modo aliàs non illicito, conferuntur. Ergo fortiori ratione à teſtatoribus relictas accipient. Nam teſtamento relinqui, vel à viuente donari nullum diſcrimen importat. Et ex legatis eleemoſynæ titulo receptis nullum ius, aut ciuilis actio in Fratres deriuatur, cuius incapaces exiſtunt.

Deinde non repugnat propter perpetuitatem: quoniam annuum legatum, per l. *cùm in ſingulos annos ff. de annuis legat.* nihil aliud eſt, quàm plurium legatorum multiplicatio: Vnde ſi in legatario ſit capacitas, vt pro ſingulis annis legatum conſequi valeat, eandem etiam habebit, vt legatum perpetuò recipiat. Quis enim vetat teſtatori, vt viuens particularem eleemoſynam Fratribus donet, & poſtmodum teſtamento iubeat, vt eadem eleemoſyna alio atque alio anno, & ſic de ſingulis perpetuo donetur. Maximè quia ſic fieri ſolitum quotidiana probat experientia, ſicut deducitur ex l. *Scio §. Medico & §. final. de annuis legatis*, & l. *ſi cui annua §. qui Marco* eodem titulo.

Præterea nulla ex Fratrum incapacitate contradictio prouenit, ſiquidem hæc non reperitur ad obtinenda legata, quæ

ipſis eleemoſynæ titulo relinquuntur, dummodo tanquam iure debita ciuili actione non repetant, vt nemo eſt qui diffiteatur. Minus etiam obſtat mendicitas eiuſmodi legatorum receptioni: Licet enim moraliter certa ſint, & certò Fratribus reddenda. Nihilominus ciuiliter incerta ſunt: quia ciuili actione repeti non poſſunt. Et hoc ſat eſt, vt veræ mendicitatis obſeruantia conſiſtat, ſicut ſtatuitur c. *Religioſ. de Religioſ. domib. lib. 6.* Et inſinuat Corduba ſuper Regul. cap. 6. quæſt. 10. punct. 4. Rodrig. tom. 2. q. Regul. quæſt. 126. art. 4. Alioquin negandum foret, quod cõmuni totius Ordinis conſuetudine recipitur, nimirum, licitum eſſe Fratribus Minoribus vt eleemoſynas petant, vel oblatas ab eo recipiãt, quem ob promiſſionis, vel alterius iuſtæ cauſæ obligationem certò redditurum agnoſcunt: Ea tamen lege, vt ex promiſſione nulla ciuilis actio conſurgat, ob quam promittens ad erogandam eleemoſynam ciuiliter compellatur. Et hinc eſt, vt Hiſpaniarum Diſcalceati nullas Conuentuum fundationes accipiant, quin prius à Ciuitatibus, vel Oppidis pro determinatis neceſſitatibus certa eleemoſyæ quantitas perpetuò eroganda conſignetur.

Cordub. *Rodrig.*

Iam verò altiſſimæ paupertatis perfectio, quam Minores obſeruant non impedit quominus legatis prędicto modo relictis perfruantur: ſiquidem ſub ea ratione quinque politicorum actuũ dominij, ſcilicet, poſſeſſionis, proprietatis vſuſfructus, & vſus Iuris Ciuilis abdicationem minimè lædunt, vt planũ eſt, ſi modus legato adhibitus communi Fratrum ſtatui nõ ſit contrarius: Nam ſi particulari alicuius conditioni repugnet, verbi gratia, ſi layco libri Theologiæ reliquantur, non caducum erit legatum, ſed iuxta diſpoſitionẽ Iuris l. *Obtinuit de condit. & demonſtrat.* l. *Reprehendenda C. de inſtit. & ſubſiſt.* in modum congruentẽ imutari debet, & libri aliorum Fratrum vſui accomodandi erunt. Hinc etiam deducit Bartol. l. 2. diſt. 3. c. 2. Rodrig. in q. Regular. tom. 2. q. 126. Sorb. *in compendio priuilegiorum Mendicant. verbo legata in ſuis annot. verſ. ſed ſi aliquod legatum,* quos refert & ſequitur Sanchez lib. 7. Decalog. c. 26. n. 24. legatum pro certæ neceſſi-

Bartol. *Sorbus.* *Rodrig.* *Sanchez.*

neceſsitatis ſubleuatione relictum, quæ tamen non ſubſiſtit, accipi poſſe ad aliam neceſſitatem ſubleuãdam. Atque adeo hæredem, cui teſtatoris voluntatem inuertere non licet, vt iura ſtatuunt l.4. ff. *de ſeruo expoſit.* ad legati traditionẽ conſtringendum iri: nè illi accreſcat, ſed totum in teſtatoris vtilitatem conuertatur; cuius animæ prouidendum decernitur l. *Legatum* ff. *de vſufructu legati*, & ſæpe alibi. Quod à fortiori verum habet attenta Martini V. & Pauli IV. determinatione qui pecuniam Fratribus Minoribus oblatam in dominium Sedis Apoſtolicę tranſire ſtatuerunt. Et ideo pro hac parte ſtat Baldus in prędicta decretali *§. in eo vero caſu* Ancharan. Clement. *Exiui* Serena conſcientia quæſt. 18. Baldus: Anchar.

Facta hucuſque enumeratione patefit nihil Fratribus Minoritis de Obſeruantia obeſſe ad legatorũ quæ prædiximus acquiſitionem. Quia ſi legati ſubſtantia non obſtat, vt diximus, & fatetur Bartol *Tract. Minoricarum* l.2. diſt.6. cap.1. num.33. Et ideo res eadem quæ tanquam legatum annuum relinquebatur, ſi ſub alio nomine Fratribus legetur, videlicet eleemoſynæ titulo annuatim reddẽda Fratres licite illã obtinebunt, vt egregie adnotauit Abbas cap. *in Præſentia* n.63. *de probat*. *Sorbus in compendio verbo legata*. Nec etiam obſtat perpetuitas, quia eleemoſynis gaudere perpetuis Minores poſſunt. Tandem nec eorum incapacitas, extrema paupertas, & profeſſa mẽdicitas taliũm legatorum aſſecutionem impediunt. Nihil ergo ſupereſt niſi modus, quem iam licitum ſtatuimus, vbi primùm legata, non quatenùs talia, ſed tanquam eleemoſynę ſunt dominio proprietate, ciuiliq. actione excluſis recipienda fore declarauimus. Firmum igitur & ſtatutum manet, nullam in hac parte Regulę tranſgreſsionem admitti: atque adeo quotieſcunq. modo & forma præſcriptis legata relinqui Minoribus contingat, illa valide, liciteque acceptabunt. Vt autem omnis mali ſpecies auferatur, & Regulæ noſtræ ſinceritatem ignorantibus ſcandali occaſionem prę ſcindamus: quæ ante legatorum acceptationem peragenda ſunt, ſequenti §. inculcabimus. Bartol. Abbas

§. TERTIVM.

Quid Fratres Minores agere debeant antequam legata perpetua ſibi gratuito relicta acceptent.

CORduba ad cap. 6. Regulæ quæſt. 10. docet ante legatorum receptionem neceſſum eſſe, vt Fratres Minores non aliter, quàm eleemoſynę titulo abſque vllo iure, & ciuili actione recepturos proteſtentur: non quia huiuſmodi proteſtatio ad validitatem receptionis, & indemnitatem neceſſaria ſit, ſed nè ſcãdali occaſio ignorãtibus præbeatur. Quẽadmodũ Chriſtus Dominus apud Matthęum c. 17. ſe tributi minimè debitorẽ oſtendit: nihilominus vt auferret ſcandalũ, Petro pręcepit vt hamũ in mare mitteret, captum piſcẽ exẽteraret, & inuẽtum in eo ſtaterem ſolueret. *Vt autem*, inquit, *non ſcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem qui primus aſcenderit tolle, & aperto ore eius inuenies ſtaterem, illũ ſumens da eis pro me, & te.* Proteſtatio iſta, quã fieri monet Corduba nõ ex debito, ſed ex quadam congruitate atq; ad omnem ſcandali ſpeciem auferendam præmittenda eſt. Quo, reor, aſpectu in capitulo Burgẽſi anno 1523. celebrato conditum fuit huiuſmodi ſtatutũ. *Declaratur quod ad perpetua legata petenda non poſſunt Fratres recurrere, niſi per modum eleemoſynæ, abſque alicuius debiti allegatione, imò cum declaratione ſcripta, & ſigillata hæredibus, vel Commiſſarijs facienda, quod nimirum Fratribus non licet talia petere, niſi per modum eleemoſynæ.*

Politius. D. Matth. Hoc Generalis Capituli decretum approbat Politius. c. 6. n. 45. & vltra proteſtationem ibi fieri præceptam, conſulit, vt actus renũtiationis interueniat à Notario publico confectus, in quo Fratres omni iuri ad prædicta legata renuntient, eò quod ex regulari profeſſione, conſtitutionibuſque Apoſtolicis eorum incapaces exiſtant. Quod licèt neceſſarium non

ſit:

ſit: congruum tamen eſt, & alijs capitulorum Generalium decretis conſentaneum, ne ſtante teſtatoris diſpoſitione, hæredes dominium aliquod, ſeù ius ad rem legatam apud fratres reſidere falſo arbitrentur. Quamquam ipſimet hæredes à naturali debito non eximantur quo ad implendam teſtatoris voluntatem conſtringuntur.

Nec fratrum ſtatui repugnat eleemoſynæ titulo accipere quod quiſquam ex debito naturali ad alterum, ſeu quod perinde eſt ex voto ad Deum quotannis perpetuo ſoluere teneretur. Et ita cenſuit Angelus *verbo legatum* 1. *nu.* 5. Syl- *Angel.* ueſter *verb. legatum l.* 2. *quæſt.* 3. *dicto* 3. Tabien. *verbo le-* *Syluest.* *Tabien.* *gatum* 1. *quæſt.* 4. *nu* 5. Rodrig. *tom.* 2. *quæſt. Regular. quæſt.* *Rodrig.* 126. *a.* 4. quorum ſententiæ patrocinatur Lara in l. *ſi quis à* *Lara.* *liberis* §. *vtrum nu:* 14. *ff. de liberis agnoſcend.*

Quod autem hæredes etiam poſt factam à Minoribus proteſtationem defuncti voluntatem implere iuris naturalis debito, & rem per ipſum legatam modo fratribus licito reddere teneantur, planum fit. Nam vt habetur §. *per traditionem. Inſtit. de rerum diuiſion.* Nihil Iuri naturali, & æquitati tàm congruum eſt, quàm vt vltima decedentis voluntas, qua rem ſuam in alium transferre ſtatuit, rata inuiolabiliſque perſeueret. Et ideo hęres, ſeu teſtamenti executor legata omnia à teſtatore relicta perſoluere tenetur, maxime pia cùm fuerint ad quorum validitatem ſat eſt, vt iuris gentium ſolemnitas adſit, duorum videlicet teſtium præſentia, quamquam aliæ Iuris Ciuilis ſolemnitates deſiderentur, vt optimè cenſuit Couar. *Rubric. de Teſtament. cap.* *Couar.* *relatum* 1. nu. 4. Iulius Clarus §. *Teſtament.* quæſt. 6. Quinimò *Iulius Cla.* ſicut à Iure Canonico diſponitur pro conſcientiæ foro, nec duo teſtes requiruntur, quia illos ſolummodo neceſſarios iudicat, vt in foro extreno Index requiſitus pro validitate legati ſententiam pronunciet, & ita ſancitum autumat Leonardus in citato cap. *relatum* lib. 7. *de Iuſtit.* cap. 19. *Leonard.* dub. 2. nu. 4. Atque adeo nihil vltra ad prædictorum legatorum validitatem exigitur, quā vt in diſponente poteſtas, in diſpoſitione libertas, in recipiente capacitas inueniatur.

Cùm

Cùm igitur Minores legata perpetua eleemoſynæ titulo ſub appoſitis conditionibus recipiendi capaces exiſtant, vt nemo ſanæ mentis inficiabitur, quoniam vt ſic ab eleemoſyna nihil differunt, quæ tantum abeſt, vt ipſorum ſtatui repugnet, quod iuxtà regulam quando laboris pretium illis non daretur, de eleemoſynis viuere teneantur. Vnde ſi reliqua adſint hæredes iuxtà Teſtatoris voluntatem in vtroque etiam foro rem legatam Fratribus tradere debent, vel in eorum neceſſitatibus expendere. Et propter hoc omnes ferè Regulæ noſtræ expoſitores partem hanc amplectuntur

Politius. Rodrig. Angelus. Anton. Patti.

Politius loco citato Rodrig. *tom. 2. quæſtion. regular.* q. 126. ar. 4. Angel. verbo legatũ 1. §. 5. Fr. Antonius à Patti c. 6. a. 5. n. 32. & alij qui iure optimo in prædictorũ receptione altiſsimam paupertatem, quam Fratres in regula profitentur minime lædi, & mendicitatem, de qua viuere conſtringuntur non auferri viriliter propugnant, ſub S. Bonauenturæ patrocinio, qui. 6. quæſt. ex 27. quas aduerſus regulæ vituperatores agitauit, rem hanc dilucidè expoſuit. Qinimò totius Ordinis Minorum Generalem Miniſtrum cum ageret in Capitulo Generali apud Narbonam celebrato anno 1206. ſequens Decretum ſtabiliuit, vt prima parte ſupplementi fol.

D. Bonau.

30. habetur. *Inhibemus, vt nullus frater inducat aliquam perſonam ad ordinandam eleemoſynam perpetuam annuatim, vel certis temporibus exhibendam, ſi aliqua tamen legata fuerit, nullo modo à fratribus in iudicio exigatur.*

Ex hoc Seraphici Doctoris ſtatuto manifeſtè colligitur, quo pacto in ipſo ſtatim Religionis exordio ſancitum fuerit, eleemoſynas etiam perpetuas Minorum ſtatui non repugnare: dummodo per ciuilem actionem in iudicio non repeterentur. Et ſi res aliter ſe haberet, Sanctus Pater quemadmodum petere interdixit, ita etiam ſpontè oblatas recipere prohiberet, ſicut ibidem in alia materia feciſſe deprehenditur. *Fratres non morentur in Conuentibus habentibus Parochialem, Cæmiterium, vel Baptiſterium: quia hoc contra regulam eſt, & minime licet, niſi interueniente iuſta diſpenſatione Pontificia.* Nec quidquam obeſt quod Fratribus

iuſſit,

iuſſit, ne qui eorum illud eleemoſynarum genus procurarent; quoniam id prudenter fecit, vt omnem auaritiæ occaſionèm abſcinderet: non tamen prohibuit, ne quæ liberaliter offerrentur acciperent: aut iam accceptatas retinere poſſent. Quoniam optimè nouerat id Seraphicæ Religionis ſtatui nullatenus repugnare. Sicut etiam cernere eſt in ijs, quæ in Apologetico tom. 2. quæſt. 9. luculenter ſcripſit: *Si aliquis diſponeret per ſe, vel per alium, quod de prædio, vel prouentibus illis, vel illis darentur fratribus quotidie tot panes, vel tantum eleemoſynæ ſingulis ſeptimanis, vel annis, non eſſemus propter hoc prædij, vel redditũum poſſeſſores. Nam ſi me petente eleemoſynam aliquis diues promittat quod ſingulis annis vellet dare fratribus duas tunicas, vel vnam tantum, vel ſingulis hebdomadis tot panes: & hoc committat officialibus ſuis, vt ſicut ſui illa dent, & abſente eo, hoc pro fratribus recipiam, vel exigam: & ſi poſt obitum illius vxor illius, vel alij amici pro anima illius adhuc velint pro aliquo tempore talem nobis eleemoſynam per ſe, vel ex diſpoſitione illius elargiri, poſſemus ſimiliter accipere ex eadem gratia.* Hæc Seraphicus Doctor. D. Bonau.

Eſt autem eius iudicium hac in re plurimi faciendum; quippe qui Minorũm Ordinem per octodecim annos Generalis Miniſtri officio functus adminiſtrauit. Et cùm inter annuos redditus nõ computãdum cenſeat legatum, vel quamlibet diſpoſitionem ſpontè, liberaliterque fratribus oblatã, dũmodo nec ipſi ius acquirant, vt ciuili actione poſſint repetere: nec legans, aut diſponens, eorumque hæredes vllam præter naturalem fidelitatis, & cõſcientiæ obligationẽ contrahant. Et ideò Sac. Cõgregatio Concil. Tridentini authoritate S. Bonauenturæ innitens proponentibus Eminentiſſimis, & Reuerendiſſimis Dominis Cardinalibus Pamphilio, & Saccheto, quibus commiſſa fuerat cauſæ diſcuſſio, ſtatuit, diſpoſitionem factam per Tribianæ Comites ad fundandum Victoriæ Cõuentum pro noſtris Hiſpaniæ diſcalceatis, validã extitiſſe, & à fratribus obtineri poſſe, quicquid in contrarium

rium à Carmelitanis Diſcalceatis opponebatur, non obſtante. Quoniam legata quantitas quæ ſingulis annis pro fratrum ſuſtentatione reddenda diſponebatur, omni actione,& obligatione ciuili denudata erat: Ita quod fratres ſolo eleemoſynæ titulo acciperent,& Comites gratuito,& liberaliter per ſe, ſuoſque hæredes donandam ſponderent, Quā diſpoſitionem ita viciſſim ordinatam confirmauit Sanctiſſimus Dominus Noſter Vrbanus VIII. vt poſtea referemus, diuerſa exemplaria recenſentes, quæ ad noſtræ reſolutionis confirmationem ſummopere conducunt.

Vt autem diſpoſitiones ita factæ ſuo effectu minime fraudentur, quia hæredes grauati ad legati ſolutionem ciuiliter conſtringi non poſſunt, ſiquidem fratres ciuili carent actione ad repetendum, Epiſcopus ex officio compellet, vt quæ fidelitatis titulo debent, fratribus exoluant; vt deduci videtur ex cap. *Tria*, & cap. *Ioan.* eodem titulo, & prædicta decret. *§. ad hac* Bart. in l. *ne quidquam §. fin.* ff. *de officio pretoris* Ioan. Andreas in cap. *ſi hæredes* Extrauag. *de Teſtament.* Bald. in l. *nulli* C. *de Epiſcopis,& Clericis.* Ancharan. Clement. *Exiui*,& Couar. in cap. *ſi hæredes Rubric. de teſtamen.* nu. 1. Quinimo Iudex ciuilis quamuis legata ſint pia pro eorum executione compellere valebit hæredes: quoniam res hæc mixti fori iudicatur in *Authent. de Eccleſ.* tit. *§. ſi quis autem column.* 9. & clarius in l. *hæreditas* ff. *de petitione hæreditatis*. Et docet Roman. *in Authent. ſimiliter* C. *ad leg. falcid ſpeciali* 20. *vltim. volunt.* Couar. loco citato, & cap. *relatum de Teſtament.* notat egregiè, quòd ſæcularis Iudex, cùm apud ipſum de legatis pijs agitata fuerit controuerſia, ſecundum canonici Iuris leges, & ſeruato ipſius ordine ſententiam pronuntiare teneatur, quamuis in temporalibus Romanæ Eccleſiæ non ſubiaceat.

Bartol. *Io. Andr.* *Bald.* *Anchar.* *Couar.* *Român.* *Couar.*

Præter Epiſcopum,& Iudicem ſæcularem, Ciuitati etiam fas erit pro eiuſmodi legatorum executione contendere non aliter quam ſi eidem relinquerentur, vt cenſuit Bartol. lib. 2. diſtinct. 7. cap. 3. nu. 41. Ratio eſt, quoniam quicquid pro pauperum alimentis relinquitur, Ciuitati, cuius intereſt

ne

ne pauperibus alimenta deficiant, legatum exiſtimatur l. *ſi cui* l. *ciuitatibus* 125. *in princip. nu.* 5. *ff. de legat.* 1. C. *de Sacroſanct. Eccleſ.* l. *priuilegia*. Quis verò Minores Apoſtolicæ paupertatis profeſſores e mendicatis propediem victitantes inter pauperes fore connumerandos inficiabitur. Nec verò abſonum eſt, vt numeratis perſonis competat talium rerum executio, quoniam vt habetur *in compendio priuilegiorum verbo hæredit* nu. 6. eorum intereſt, ne quiſpiam re ſua abutatur, ſicut tenet *§. ſed hoc tempore Inſtit. de his qui ſunt ſui, vel alieni Iuris*. Et vita functorum cauſa omnes communiter tangit, vt optimè aduertit Andreas Barba. *Andr. Bar.*
Rubric. de Teſtament. col. 25. & tenet gloſſ. in l. *Iulianus ff. de action. competent*. Atque adeo ſi ad rei priuatæ commodum attenditur l. *ſi quis C. de bon. proſcrip.* multò melius quod omnibus commune eſt, nimirum, defunctorum voluntas executioni tradenda procurabitur. Alioquin, niſi ita fieret propter improbam hæredum calliditatem pium defunctorum propoſitum cælaretur, vt notatur in text. l. *nulli* C. *de Epiſcop. & Cleric.* & docet Bart. citata l. *ciuitati* in princ. num. 7. Abbas cap. *nos quidem num.* 5. *de teſtamentis*. Anchar. Clemen. *exiui* nu. 16. Et pauperes qui in Iudicio agere nequeunt quales ſunt Fratres Minores, legatis ſibi rebus fraudarentur: & ideo hac ratione vtriſque prouidendum fuit. Quod adeò verum eſt, vt Bartol. in l. *ne quidquam* cum alijs iuribus: Roman. *in Authent. ſcilicet C. ad legem falcidiam*. Cordub. cap. 6. q. 11. punct. 4. Redoan. *de ſpolijs Eccleſiaſt. quæſt.* 8. *in princ. nu.* 35. cuilibet de populo, vt legata ad pias cauſas relicta impleantur in iudicio contendere fas eſſe conſtanter ſuſtineant: Pro quo text. eſt optimus in *Authen. de Eccleſ.* tit. *§. ſi autem* colum. 9. l. *in Prouinciali §. fratrum, & l. ſequent. ff. de oper. nou. nunt.*

Abbas. *Anchar.* *Bartol.* *Roman.* *Cordub.* *Redoan.*

Poterunt etiam Minores Iudicum fauorem, modeſtè tamen, humiliterque extra iudicium implorare, vt hæredes vel alios ex teſtatoris diſpoſitione grauatos adimplendam ipſius voluntatem ex officio conſtringant: Quinimo ipſoſmet hæredes adhortari licebit, vt ſuæ obligationi ſatisfa-

ciant. Neque enim dum hæc peragunt aliquid Iuris obtinere in eiuſmodi legata prætendunt, vt expreſsè docuit S. Bonauentura in Regul. cap. 4. poſt ſolutionem ad 4. quem ſequuntur Cordub. ibidem cap. 6. q. 11. punct. 4. Rodriguez tom. 2. quæſt. Regul. q. 126. a. 4. Et externorum quampluimi, Bart. l. *Ciuitat. in princ.* nu. 5. Reduan. *de ſpolijs Eccleſiaſt. q.* 8. *in princ.* nu. 47. Angel. verbo Hæreditas nu. 17. Syluester ibid. quæſt. 7. dicto 1. nu. 10. Abbas cap. *in præſentia* nu. 63. *de probat.* Horatius Lucius l. 1. nu. 18. ff. *de Iuriſdiction. omn. Iudic.* & alij quibus aſſentitur Sanchez lib. 7. Decalog. cap. 26. nu. 62. quamquam hodie ſuperflua cenſetur talis imploratio, quoniam ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ Fratrum Minorum Syndicus, nomine Romanæ Eccleſiæ, vt citati Doctores admonent pro legatorum executione, ſi debitæ aliàs circunſtantiæ interueniant apud vtriuſque fori Iudices contendere valebit. Nec obſtat, quod Fratres iudicialiter petendi incapaces habeantur, quominus Iudex ex officio grauatum ad legati ſolutionem compellat: quoniam vt habetur l. *ſeruos ff. de aliment. & cibar. legat.* Quæ relinquuntur ſeruis templi ſeruitio dicatis ante ipſius templi conſtructionem, valida ſunt, & Iudicis officio tradenda, quamquam ſerui actione careant ad repetendum. Quod æqua ratione in Minoribus obſeruandum erit.

D. Bonau. Cordub. Rodrig. Bartol. Angel. Reduan. Syluest. Abbas. Horatius Sanchez.

In eorum namque fauorem ædita eſt à Clemente VII. conſtitutio, quæ incipit. *Nuper pro parte veſtra*, die 27. Nouembris Anno 1527. vbi noſtris Superioribus conceditur, vt Apoſtolicis procuratoribus locorum interuenientibus circa legata perpetua iam relicta, vel in poſterum relinquenda compoſitio cum hæredibus, vel teſtamẽtorum executoribus fieri poſſit, ita quod ad certam pecuniæ ſummam pro Fratrum ſubuentione, vel locorum inſtauratione expendendam reducantur. Quam conſtitutionem viſitationis Apoſtolicæ Reformatores per Clementem VIII. pro cauſis Regularium deputati, ſicut refert Antonius à Patti in expoſitione Regul. cap. 6. a. 5. nu. 24. delegatis abſque onere relictis interpretati ſunt. Et meritò, quoniam compoſitio

Anton. a Patti.

de

de illis, quæ ſub Miſſarum, & officiorum onere relinquuntur in Tertij præiudicium reſultaret. Hinc eſt vt Sacra Eminentiſſimorum Cardinalium Congregatio negotijs Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, Memoriali à præfatis Viſitatoribus porrecto reſponderit, compoſitionem in legatis abſque onere relictis tantummodo fieri poſſe, ex quo eiuſmodi legata valida eſſe, legitimèque à Fratribus obtineri poſſe conuincitur: Alioquin ſi valida non eſſent: Cur permitteret Sacra Congregatio, & Fratribus concederet vt ſuper eiuſmodi legata compoſitionem inire potuiſſent. Cui reſolutioni patrocinatur Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium Concilij Tridentini declaratio ædita tertio Aprilis die Anno 1602. vbi legatum annui redditus Religioni factum, quæ etiam in communi bonorum immobilium incapax exiſtit minime caducum eſſe quoad ſubſtantiam decreuit: Quapropter obtineri poterat dummodo quantocius diſtraheretur. Vnde cum ſupra ſtatuerimus legatis annui redditus, quæ Fratribus relinquuntur, addendum eſſe modum ſeu titulum eleemoſynæ, vt illis licitè, ac iuxtà paupertatis noſtræ profeſſionem perfruamur: planum fit, & indubitatum licite valideque à Fratribus citra Regulæ tranſgreſſionem obtinenda, quoties eleemoſynæ titulo relinquantur. Iam de oneroſis tractandum erit.

§. QVVRTVM.

Fratrum Minorum Regulæ contrarium non eſt, vt annui redditus legata ſub Miſſarum, & Officiorum onere relicta, comparare poſſint.

QVæ ante de legatis gratuito relictis præmiſimus, hic etiam aduertenda ſunt, non tamen repetenda. Illis igitur ſuppoſitis, ſtatuendum eſt legata ſub onere Minoribus relicta validitatem habere, licitèque ab ijſdem acceptari poſſe: dummodo limitationes ſtatim adhibendæ obſeruentur. Hanc reſolutionem amplectuntur omnes quos ſupra

Syluest. Angelus. Palud. retulimus. Syluester verbo legatum 2. §. 4. Angelus ibidem legatum 1. n. 15. Paludan. in Epiſtola ad Magiſtrum Ordinis qui locutus de anniuerſarijs, quæ Minorum Ordini relinquuntur, hæc ait: *Sicut non eſt contra ordinem, imo de ordine recipere quotidianas eleemoſynas; ita etiam anniuerſaria perpetua. Neque hoc eſt habere redditus recipiendo gratis, & petendo extra iudicium. Nec eſt in hoc neceſſaria diſpenſatio, ſicut nec quotidie mendicando: ſed petere illa in iudicio tanquam redditus ſibi debitos, non licet abſque diſpenſatione, quæ fieri non debet; neque illud diſſimulari, niſi ex cauſa neceſſitatis, puta in locis vbi ita refrixit charitas, quod fratres ſeminantes ſpiritualia non poſſunt aliter metere carnalia.* Hæc ille prout refert Syluester loco citato vbi Archidiaconum, & alios pro eadem ſententia producit, quam mihi ſequentes rationes indubitatam efficiunt.

Huiuſmodi anniuerſariorum acceptatio Fratrum Minorum paupertati, & mendicitati non repugnat. Quapropter ſi hæres à teſtatore iubeatur, vt certam quantitatem Minoribus quotannis elargiatur ſub onere vt pro ipſo teſtatore Miſſarum ſolemnia, vel alia diuina officia peragantur, licitè illam accaptabunt, quia nulla ad hoc in eis incapacitas reperitur: Siquidem vt optimè aduertit Antonius Cucus lib. 3. *inſtit. maiorum* tit. 1. nu. 36. & triplici ſequenti Rodriguez tom. 2. quæſt. Regul. tom. 2 quæſt. 126. a. 4. Ribadeneira ſocietatis Ieſu de ipſius inſtituto cap. 23. nihil aliud hoc eſt quàm hæredi imponere, vt ea ſacrificia peragi à Fratribus procuret, & debitum pro eis ſoluat ſtipendium, & ſic quantitas illa exiſtimanda non eſt legatum Fratribus relictum, ſed laboris ſtipendium: Quod tantum abeſt, vt Fratrum ſtatui repugnet, vt potius iuxtà regulam, priuſquam ad mendicitatem recurrant, de laboritio viuere debeant: Quatuor enim viuẽdi rationes à ſummis Põtificibus approbatæ, & declaratæ Fratribus aſſignãtur, ſcilicet, *de laborito, de oblationibus, de mendicationibus, & recurſu ad pecuniã*, quibus viciſſim, vel ſimul cogente neceſſitate fas eſt vti, quemadmodum à Seraphico Patre noſtro Franciſco cap. 5. Regulæ

Antonius Cucus. Rodriguez. Ribadeneira.

præ-

præcipitur. *Fratres laborent fideliter & deuotè, de mercede verò laboris, pro ſe, & ſuis Fratribus corporis neceſſaria recipiant.*

Quia verò Sanctiſſimus Pater in teſtamento ſuo addidit verba illa. *De laboritio; quod pertinet ad honeſtatem:* Dubitatum fuit de quo labore loqueretur. Cùm autem Magiſtri quatuor, & Regulæ expoſitores ſuper hoc conſulti eſſent, vnanimiter reſponderunt: laboris nomine intelligendum eſſe, vt *Miſſas celebrent. Defunctorum officia peragant, proceſſionibus interſint, mortuos ſepeliant, alijſque ſpiritualibus exercitijs incumbant.* Quo loci aduertendum eſt quod cum Fratribus permiſerit, vt de mercede laboris viuerent, conſcius, quod ea non ſemper ad alimenta ſufficiens haberetur, iure optimo adiecit: *Et quando non daretur nobis pretium laboris recurramus ad menſam Domini petendo eleemoſynam.*

Primus itaque viuendi modus Minorum ſtatui congruẽtior eſt, vt de laboris proprij mercede victitent: aque adeo citra omnem Regulæ trangreſſionem pro celebrandis Miſſarum ſolemnijs, alijſque Officijs de more peragendis legata tanquam mercedem accipere poſſunt. *Dignus eſt enim operarius mercede ſua:* Luc. 10. Et ita cenſuit S. Bonauentura ſuper Regulam cap. 4. Quod euidenti planè ratione demonſtratur. Omnes ferè citati authores indubitanter affirmant, Minoribus fas eſſe oblatam pro mercede eleemoſynam recipere, quamuis perpetua ſit: Ergo legata perpetua, & anniuerſaria licitè recipient, cùm pro laboris mercede, tituloq. eleemoſynæ vltro & liberaliter offerentur; ne vlla inde ciuilis actio reſultet, ob quam hæredes, ſeu grauatos in iudicio conſtringant. Illatio optma eſt, quoniam tam legata anniverſaria, quàm aliæ diſpoſitiones teſtamentariæ Fratribus relicta, ciuili obligatione ſublata, qualiter fit per proteſtationem, qua niſi liberè, ac eleemoſynæ titulo ipſis donentur, non accepturos profitentur, annualium redditu um naturam exuunt, & eleemoſynæ reputantur, vt per ſe patet. Ergo eodem modo poterunt à Minoribus acceptari. Nulla enim diſparitatis ratio producetur. Et vbi ratio eadem eſt, ius idem

Luc. 10.

D. Bonau.

ſtatui

ſtatui debet, iuxtà l. *Illud in principio ff. ad l. Aquil.* & docet
Menoch. Menoch. *conſ.* 113. *num.* 4. *lib.* 5.

Nec obijci poteſt extenſionē fieri non poſſe ab eleemoſynis ad legata, quoniam hęc ciuili obligatione denudata eleemoſynæ rationem ſortiũtur. Vnde perperam vocatur extentio. Cùm enim eadem ratio interuenit, vt docet Tiraquell.
Tiraquel. Grauet. Suarez. l. *Si vnquam verbo litteris num.* 45. Grauet. *Conſil.* 183. *nu.* 3. & alij comuniter, nulla fit extenſio. Quando enim vtraque res propter identitatem rationis ſub eadem diſpoſitione continetur comprehenſio quædam neceſſitatis reperitur, vt tenet Suarius de legibus libro 6. capite 3. & 4. Sigiſmundus argument. cap. *Cupientes* de elect. in 6. Ne contra rationem vel prudentiam ſeu iuſtitiam factum videatur, vt in vno caſu taliter fuerit diſpoſitum, & non in alio, cum vterque eandem participet rationem. Cùm igitur omnes ferè Iuris vtriuſque DD. ſtatuant, fas eſſe Minoribus perpetuas eleemoſynas accipere, cur id de legatis ciuili actione denudatis inficiabuntur? Cum vt ſic nihil aliud, quàm eleemoſynæ ſint. Et Fratres non aliter, quam ſub ratione eleemoſynæ gratuito, & liberaliter oblatæ recepturos profiteantur: quemadmodum in Capitulis Generalibus multoties fuit ſtatutum.

In primis Capitulum Generale Aſſiſij celebratum anno 1526. vt refert Corduba in Regula capite 6. quæſt. 11. puncto 4. notab. 2. ſequens decretum ſanciuit. *Decernitur ac præcipitur, quòd Fratres nullo modo recipiant aliqua legata perpetuò relicta aliquibus perſonis, vel hoſpitalibus, vel alijs domibus, vt dent Fratribus certam eleemoſynam ſimpliciter, vt ipſi dicant certa Officia vel Miſſas, imò quod Guardianus, vel præſes faciat proteſtationem iuridicam, & authenticam ei, qui implere tenetur teſtatoris voluntatem, quod nolunt eas eleemoſynas ex vi illius legati, nec volunt obligari ad illa officia, vel Miſſas, & quod ſi volunt legatarij transferant ad alium locum; ſi tamen facta iſta proteſtatione legatarius præfatus voluerit ex ſua mera voluntate dare eleemoſynas illas, & committere*

Fratribus

Fratribus dicta officia, & Miſſas poſſunt Fratres cum bona conſcientia recipere Clariùs tamen, & opportuniùs ad præſens inſtitutum declarauit Capitulum Burgenſe anno 1523. celebratum. *Declaratur, quod ad perpetua legata petenda non poſſunt Fratres recurrere, niſi per modum eleemoſynæ abſque alicuius debiti allegatione, imò cum declaratione ſcripta & ſigillata hæredibus, vel Commiſſarijs facienda, quod ſcilicet Fratribus non liceat talia petere, niſi humiliter per modum eleemoſynæ.*

Et iam antea Capitulum Generale Toletanũ anno 1504. cap. 3. tit. de pijs legatis ſtatuerat, vt Monaſteria, quibus annuum legatum, aliave inſtitutio annuatim perpetuò adimplenda relinqueretur proteſtationem antea præmitterent: quod nullum ius compararent, aut ciuilis inde actio naſceretur, ob quam in iudicio talia repetere poſſent, quoniam ſolo eleemoſynæ titulo recipiendi capacitatem obtinebant. Et ita Salmanticæ ſtatuta anno 1553. edita cap. 6. confirmarunt, vbi inſuper additur: *legantes, & inſtituentes ius aliquod, vel actionem Fratribus conferre non intendere, ſed eo tantummodo legata ipſis relinquere, quò licitè citrà Regulæ tranſgreſſionem illam conſequi valeant*. Poſtea verò in Segobienſi Capitulo anno 1621. præfatæ declarationes in compendium redactæ fuerunt, communiq. Patrum aſſenſu comprobatæ. Ibi. *Decernitur præterea & præcipitur, quod quotieſcunque relinqui contingat aliqua legata perpetua aliquibus perſonis, ſeu hoſpitalibus, vel alicui Reipublicæ, & alijs domibus ea lege quòd teneatur Fratribus præſtare ſingulis annis certam eleemoſynam ſiue omninò gratis, ſiue vt ipſi Fratres dicant certa Officia, & Miſſas Guardianus faciat proteſtationem ei, qui teſtatoris voluntatem implere tenetur, quod ad illas eleemoſynas nullum ius habent Fratres ex vi legati, nec poſſunt obligari ad illa Officia, vel Miſſas, ſi tamen facta iſta proteſtatione hæres ex ſua libera voluntate voluerit dare eleemoſynas illas, & committere Fratribus dicta Officia, & Miſſas: Tunc Fratres tuta conſcientia poſſunt eleemoſynas*

huiuſmodi

huiuſmodi recipere. Eſt autem hac proteſtatio neceſſaria iuxtà S. Bonauentura ſententiam, nè ab ignorantibus noſtrum Inſtitutum Regulæ noſtræ trangreſſores iudicemur. Hic conſtitutionis tenor; in qua iure optimo aduertitur, proteſtationem non eſſe neceſſariò faciendam, quia cùm Fratres omnis dominij, proprietatis, iuris, & ciuilis actionis incapaces exiſtant, non oportet vt talium rerum renuntiationem faciant, dum ſimiles diſpoſitiones acceptant: maximè quia Salmanticenſe Capitulum declarauit: *Legantes, & inſtituentes ius aliquod vel actionem conferre Fratribus non intendere ſed eo tantum modo legata ipſis relinquere, quo licitè citrà Regulæ transgreſſionem illa conſequi valeant.* Et quæ ſuapte natura vel ex Iuris diſpoſitione actui inſunt, opus non eſt; vt in eo exprimantur, ſicut tenet communis iuriſtarum ſententia. Cùm autem Minores ſint incapaces ex Iuris ſtatuto, vt vidimus, vt dominio, proprietate, ciuilique actione perfruantur, & legantes talia ipſis conferre non intentant, ſuperflua cenſetur ſuper huiuſmodi renuntiationem proteſtatio. Congruum tamen eſt, vt fiat pro vberiori cautela, & vt omnis ſcandali ſpecies reſcindatur. Quod autem legantes non intendunt ius aliquod vel actionem Fratribus elargiri; inde conſtat, quoniam vt Sanctus Bonauentura in capite 4. Regulæ prudenter aduertit præſumendum non eſt legantes qui apud Deum Fratres pro ſe interceſſores habere intendunt dominium conferendo Regulæ ſuæ præuaricatores fieri voluiſſe.

Iuxtà citatas tot Capitulorum conſtitutiones, Regulæ noſtræ expoſitores vnanimi conſenſu ſtatuunt nullam in Fratribus incapacitatem inueniri, quominus legata prefato modo relicta conſequantur. Rodrig. tom. 2. q. Regular. q. 127. art. 4 per tot. & in ſum. tom. cap. 129. verbo Eleemoſyna num. 8. Miranda in expoſitione Regul. cap. 63. Difficult. 2. Villalob. in ſumma 2. p. tract. 35. de voto paupertatis Difficult. 33. Hieronym. Rodrig in Compendio quæſt. Regul. reſolut. 83. num. 19. vbi ita. *Licèt annui redditus Fratribus Minoribus omnino ſint prohibiti, nullumque Ius aut ciuilem*

Rodrig. Mirand. Villab.

actionem

actionem habeant ad petendum aliquid annuum quacunq. cauſa relictum, cùm ſint incapaces cuiuſcunque iuris, aut proprietatis ex dicto cap. Exijt, adhuc tamen legata annualia in ſtipendium Miſſarum, & Officiorum Diuinorum apud Monaſteria eorumdem Fratrum celebrandorum valida ſunt, & ad illa ſoluenda tenentur hæredes in conſcientia, & teſtamentorum executores. Quamuis enim dicti Fratres incapaces ſint ad petendum in iudicio per ciuilem actionem: non ſunt tamen incapaces ad recipiendum annuatim quod ipſis debetur in conſcientia. Quoniam quæ ita debentur, inter immobilia & annuos redditus computari nequeunt: Hinc eſt vt Fratres eleemoſynam perpetuò largiendam accipere valeant, ad quam voto quilibet ſe obſtrinxit, quia nulla ibi ciuilis obligatio reperitur, quæ eorum ſtatui repugnat. Nemo tamen inficiabitur, quod habeant capacitatem paſsiuam, vt accipiant, quod hæredes, & teſtamentorum executores in conſcientia reddere tenentur, & ideo hanc partem ſuſtinent Angelus verbo Legatum 1. num.5. Sylueſt. legatum 2. quæſtione 3. dicto 3. Tabien. legatum 1. quæſt.4. n.5. Rodrig. tom.2. quæſt. Regul. quæſt.126. art.4. *Sylueſt.* *Tabien.* *Rodriguez*

Fauet huic reſolutioni Decretum Societatis Ieſu 6. part. conſtit. cap.2. §. ibi. *Præcipitur, vt nullus procuret eleemoſynam perpetuam pro domibus profeſſis, & hoc propter ædificationē. Si tamen aliquæ tales eleemoſynæ eis relinquātur ligant in conſcientia, & ſi non competat ipſis actio ad exigendas.* Iulius III. Bulla. 1. Societatem confirmirmando decretum hoc approbauit. Et tamen Societas in domibus tantùm profeſſis annualium reddituum incapax eſt ſicut in ipſius cōſtitutionibus habetur. *Sic voueant ſinguli, & vniuerſi perpetuam paupertatem, & non ſolùm priuatim, ſed etiam communiter profeſſi, aut vlla eorum domus ad aliquos prouentus, redditus, poſſeſſiones, ſed nec ad vlla bona ſtabilia retinenda ius aliquod ciuile acquirere rebus ſibi ex charitate donatis ad neceſſarium vſum contenti.* Parte 6. cap.2. §. 5. Hac tamen incapacitate non obſtante, Societas Ieſu eleemoſynis perpetuis frui poteſt, ad quarum largitionem hære-

des & teſtamentorum executores ex conſcië tia,& fidelitãtē aſtringuntur: quamquam Ieſuitæ eiuſmodi eleemoſynas ciuili actione in iudicio repetere prohibeantur, vt citata Iulij III. Bulla manifeſtat. Igitur idem iudicium de Minoribus ferendum eſt Atque adeò licèt annuos redditus obtinendi incapaces habeantur; eleemoſynas tamen perpetuas. & legata ſeu anniuerſaria ſub Miſſarum,& Officiorum onere tanquam eleemoſynas pro labore ipſis relictas conſequi fas erit. Abſurdum enim eſſet, vt ſtante eadem ratione, Ieſuitæ, & Minores ſub eadem diſpoſitione non comprehenderentur. Et ſi alicubi maxime in hoc caſu admittenda eſt duplex extenſio comprehenſiua neceſsitatis vel congruitatis, de quibus præter iam citatos agit Puteus deciſ.15.n.3. Calder.conſil.1. in principio, & cum multis Rotta per Martin. And.deciſ.28.num.12.& 13.

Puteus. *Calder.* *Rotta.*

Iam verò legata, & anniuerſaria præfato modo Minoribus relicta, ciuilique obligatione denudata, annui redditus, & bonorum immobilium rationem amittunt, ad quæ obtinenda Fratres ſolummodo incapaces per decretalem efficiũtur: & vel eleemoſynę ſunt, vel pro mercede laboris redduntur, quod tantùm abeſt, vt Fratribus ſit prohibitum, quod de mercede laboris primo, & deinde ex eleemoſynis viuere per Regulam iubeãtur. Hoc aſſumptum probat egregiè Bartolus: quoniam ea tantummodo immobiliter, perpetuoque habere exiſtimamur, quæ vel iam habemus, vel ciuili actione fruimur ad habendum argumento l.1. ff. de *acquirendo rerum dominio:* ſed legata, quæ eleemoſynæ titulo ſub Miſſarum, & Officiorum onere Fratribus relinquuntur, nec ab ipſis habentur, nec vt habeant ciuili actione perfruuntur, vt per ſe patet: Igitur cum ipſis fuerint oblata, licitè recipientur. Quod autem legata ciuili obligatione viduata, redditus annui per *Clement. Exiui §.cumque annui redditus de verborum ſignificat.* Fratribus prohibiti dicenda non ſint, oſtenditur doctrina Bartoli lib.2. Minoricarum diſtinct. 7. cap.2. num. 38. Quoniam duplex eſt obligatio, prima proprie, & ſtricte ſumpta pro Iuris vinculo,

Bartol. *Bartol.*

quo

quo quis ex neceſſitate conſtringitur *Inſtit. de obligat.* in principio. Hæc obligatio duo requirit extrema, alterum in quo illa ſit, alterum quod ad illius executionem ius ſibi vendicet. Et hac ratione tam inſtituentes, quàm legatarij, & hæredes Fratribus non obligantur, eo quod propter altiſſimam paupertatem, quam profitentur, eiuſmodi obligationis incapaces exiſtant. Secunda obligatio largior, & minus propria eſt, quam dicunt fidelitatis: Cùm nimirum, quiſpiam in ſeipſo ad præſtandum aliquid alteri coſtringitur, licet is cui obligatur nullum habeat ius, vt illum in iudicio conueniat. Exemplo ſit: Vouet quiſpiam certam eleemoſynam quotannis loco pio erogare, antequam acceptatio accedat, iam vouens ad exhibitionem eleemoſynæ propter promiſſionem Deo factam conſtringitur, quamuis in loco nulla ſit actio, qua vouentem conſtringere poſſit. Eadem ratione ſi quis votum Deo emitteret, quo ad dandum Minoribus certam eleemoſynam quotannis ſe obligaret, vel teſtamentum condens hæredem grauaret, vt eandem eleemoſynam largiretur. Nemo dubitat vouentem in conſcientia obligatum eſſe ad eleemoſynam largiendam, & grauatum fidelitatis pariter & conſcientiæ obligatione ad voluntatem teſtatoris adimplendam teneri. Quamuis in Minoribus nullum ius, aut actio reperiatur, vt vtrumque circumueniant, & promiſſam, vel legatam eleemoſynam erogare compellant: quia tamen capacitatem paſſiuam habent, vt oblatas ſibi eleemoſynas, quamuis perpetuæ ſint, recipiant, quod eorum ſtatui, & mendicitati non repugnat: ideo quando legata tanquã eleemoſynę citra ciuilem obligationẽ, & actionẽ eis relinquẽtur, licite obtinebũt.

Propter hanc rationem Diſcalceati, & Recollecti, qui paupertatis Seraphicę obſeruatores rigidiſſimi vulgo exiſtimantur in Hiſpaniæ Conuentibus perpetuas eleemoſynas annuatim accipiunt, vel triennales pro Capitulorum celebratione. Quinimo Conuentuum fundationes minime acceptant, niſi prius fundatores, vel Reſpub. certam eleemoſynam olei, piſcium, & ſimilium ſingulis annis

perpetuò largiendam conſignet. Neque in hoc Regulæ noſtræ tranſgreſſio reperitur. Ergo à fortiori cùm tales eleemoſynæ mercedis vice pro Miſſarum, & Officiorum labore nobis relinquentur, licitè recipiemus. Nec oberit quod talis eleemoſyna dicatur legata, quoniam dum ciuili obligatione exuitur legati naturam amittit, & eleemoſyna pro Officiorum onere reddenda exiſtimatur, quod Minorum Regulæ magis conſentaneum eſt: ſiquidem S. Franciſcus pro prædijs, annuiſque reditibus laborem filijs ſuis teſtamento legauit. *Ego*, inquit, *manibus meis laborabam, & alij Fratres volo firmiter quòd laborent de laboritio quod pertinet ad honeſtatem*. Quod adhibita proportione menſurandum eſt, atque adeo laici corporeo labori indulgeant: Clerici choro deſtinati officijs diuinis intendant, prout munus illud exigit: vtrumq. enim Sanctus Franciſcus exercebat, tanquam Diaconus officia diuina peragebat, & veluti laicus corporeo labori ſe dabat, omnibus exemplo futurus, vt quiſque ſuum tenens ordinem, victum labore proprio ſibi compararet, vt quatuor expoſitores adnotarunt: idcirco non niſi laboris deficiente mercede ad mendicandum remiſit. *Quando*, ait, *non daretur nobis pretium laboris recurramus ad menſam Domini petendo eleemoſynam*; quę viuendi ratio perfectior eſt, & Apoſtolicæ paupertati congruentior, quam D. Paulus ſectabatur. Vnde Epheſijs dicebat: *Nemini fui oneroſus, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant laborauerunt manus iſtæ*. Prius itaque labor Fratribus indicitur pro victu & poſtea ad eleemoſynam remittuntur. Vnde poſtquam Pōtifex citata decretali dixerat. *Quod ſemper in eis, & eorum actibus paupertas ſancta reluceat*. Statim ſubiunxit: *Prout ipſis ex eorum Regula inuenitur indicta*. Sed paupertas, quæ Minoribus indicitur, eſt vt primo de labore viuant, & quando laboris merces defuerit ad mendicandum recurrant. Ergo ſi pro Officiorum, & Miſſarum onere legata perpetua & anniuerſaria ſine ciuili obligatione, ſed eleemoſynæ titulo relinquantur abſque vlla Regulæ trangreſſione acceptabuntur. Quoniam hoc nihil aliud eſt, quàm de laboris mercede,

& elee-

& eleemoſynis viuere, ſicut in Regula præſcribitur.

Vt autem Fratrum mendicitas exactè ſeruetur, opus non eſt vt quotidie mendicent, & omnia ad victum, & veſtitum neceſſaria ex mendicitate proueniant, & ideo vt notat Rodrig. tom. 1. quæſt. Reg. quæſt. 26. a. 4. fas eſt Minoribus triticum, & alia vltra neceſſitatem ſuperabundanter accipere, vt pro alijs quibus indigent commutentur, vel ad ea coemenda vendantur: ſic enim conceſſit Leo X. vt refert Sanchez lib. 7. Decalog. cap. 26. nu. 14. oportet vero vt talis ſuperabundantia non accipiatur, niſi ad ea obtinenda, quæ abſque pecunia comparari non poſſunt, & commutatio, ſeù venditio per Syndicum Apoſtolicum exerceri debet. Quapropter ſola quantitas iudicanda eſt exceſſiua, & Fratrum Minorum mendicitati repugnans, quæ mendicitatem è Cōuentu prorſus eliminaret vt cenſet Miranda cap. 63. diffic. cult. 13. vel vt tenet Sorbus in compendio verbo *legat. in annot.* Bart. tractat. *Minoricarum* lib. 2. diſtinct. 1. nu. 4. Sanchez ſupra nu. 13. non ſubleuandæ neceſſitatis, ſed auaritiæ, & Theſaurizationis opus crederetur.

Rodrig.
Sanchez.
Miranda.
Bartol.
Sanchez.

Hinc eſt, vt ab ipſo naſcentis Religionis exordio vſque in hæc tempora Minores legata receperint perpetua, quæ ſub Miſſarum, & ſacrificorum onere ipſis relinquebantur. Quæ conſuetudo longa trecentum annorum ſerie propagata ius humanum valet interpretari ſicut habetur in l. *ſi de interpretatione ff. de legibus*, & tenent Doctores ad cap. *cum dilectus de conſuetudine*. Nec ſolius humani Iuris ſed etiam diuini, in ſenſu dubio, interpres eſt conſuetudo Couar. in 4. p. 2. cap. 6. §. 5. nu. 1. Vaſq. 1. 2. tom. 3. diſput. 62. Tantum vero conſuetudinis interpretatio valet, vt contra legis obligationem præſcribat, Suar. de legib. lib. 7. cap. 16. nu. 4.

Couar.
Vaſquez.
Suarez.

Hinc eſt vt quę conſuetudine recipiuntur, communi Iure approbata cenſeantur. Bart. in l. *ſi pign. §. vltimo* ff. *de pignor.* Iaſon. in l. *certi Iuris*. Valaſcus tom. 1. conſult. 8 nu. 7. præſertim ſi rationabilis exiſtat, Doctores ad cap. vltimum de conſuetudine vt autem rationabilis dicatur ſat eſt, vt à viris grauitate præſtantibus introducta fuerit. Quod autem

Bartol.
Iaſon.
Valaſc.

in Religione Minorum conſuetudo vigeat, vt legata prædicto modo recipiantur, indubitata probatur inductione: quoniam tum in Hiſpania, tum in alijs Europæ locis ſiuè Fratrum de Obſeruantia, ſiue Diſcalceatorum, & Reformatorum Conuentus plurimi exiſtunt, in quibus tam in ipſa ſtatim erectione perpetuæ, annualeſque eleemoſynæ, necnon legata eleemoſynæ titulo relicta, Patronatus, & aliæ inſtitutiones ſub certis Miſſarum officiorumque oneribus admiſſa cõſpiciuntur, quàm quę tẽporis decurſu ex pietate, fideliumq; liberalitate obuenerunt. Exemplo ſit Alma Angelorum Prouincia quæ Beſſarij Duces Patronos colit, & eorum beneficientia pro Capitulorum Prouincialium expenſis trecẽtum aureos ſingulis triennijs recipit: Quinimò plurimis eiuſdem Prouinciæ Conuentibus videlicet Belarcenſi, Inogenſi, Pueblæ ab Alcozer, & Herreræ annuales eleemoſynæ de ipſorum Ducum inſtitutione conferuntur. Albani Duces Conuentum Albę conſtruxerunt, & collatis annuatim eleemoſynis perpetuò ſuſtentant. Xenodochium Beneuẽtanum grauatum eſt, vt ſingulis annis pro illius Prouinciæ Conuẽtuum expenſis, & Capitulorum celebratione certam pecuniæ ſummam largiatur. In Cantabria Conuẽtus Pueblæ Arganzonis, & alij ſimilibus legatis eleemoſynę titulo donandis perfruuntur. Mitto alios in tota Religione frequentiſſimo vſu, & conſuetudine per ipſam approbatos. Quod ſatis eſſet, vt indubitatum maneret legatorum receptionem, quę mercedis vice, vel eleemoſynæ titulo ſub Miſſarum, & Officiorum onere Fratribus relinquuntur, licitam eſſe, eorumq. ſtatui minimè repugnantem.

Accedit tamen Sacrarum Congregationũ Concilij Tridentini, & Regularium declaratio, qua ſtatutum eſt Fratres Minores ſub modo licito, qualem hactenus expoſuimus, inſtitui poſſe, iuxtà conſtitutionem Nicolai III. *§. ſi verò modum licitum*. Et quamuis modus licitus non fuiſſet adiectus, ſemper tamen legatum, ſeù inſtitutionem modo Fratribus congruò factam interpretari fas ẽſt, niſi contrarium exprimeretur. Ita cenſuit Cardinal. Carrafa in declara-

tionē Concil. Anno 1590. Hæ verò declarationes ſummorum Pontificum authoritate, & conſtitutiònibus ſtabiliuntur: Nam Pius V. bona Conuentualium, quæ ab ipſis in Hiſpania poſſidebantur ad Moniales S.Franciſci deſtinauit, ſub conditione, vt ipſæ legata quædā, & anniuerſaria, ad quę antea Conuentuales tenebātur implerent per noſtros. Paulus IV. in Bulla. *Ex Clement. §. ſupplentes*, prædictarum diſpoſitionum, eleemoſynarumque acceptationem Minorum ſtatui non eſſe repugnantem ſtabiliuit. Idem cenſuiſſe videtur Clemens VIII. vt apparet ex Bullar. fol. 155. Bull. 101. §. 4. vbi ita, *Reliquas verò Miſſas quomodolibet incumbentibus in Eccleſijs Fratrum perpetuis futuris temporibus aſſignata, & tradita eleemoſyna per ipſos celebrari volumus.* Sanctiſſ. D. N. Vrbanus VIII. in decreto vltimo de celebratione Miſſarum Minoribus fore licitum ſtatuit, vt pro Miſſarum ſacrificijs peragendis annuales eleemoſynas accipere valeant. Quinimo decimaquarta Februarij die Anno 1633. decreuit fas eſſe hæredibus, & debitoribus annua legata ſi vellent Minoribus elargiri. Quod decreto Nicolai III. mirificè congruit. Nam citato cap. *Exijt §. Ad hæc*, ita habet. *Si verò modum licitum Fratribus in legando teſtator expreſſerit, vt ſi diceret: lego pecuniam pro Fratrum neceſſitatibus, vel domum, agrum, vineam, & ſimilia, ad hoc quod per certam perſonam, vel perſonas idoneas diſtrahatur, & pecunia de rebus ipſis accepta in ædificia, vel alia Fratrum neceſſaria conuertatur, aut in legando ſimilibus modis vel verbis vtatur. In hoc caſu illud in omnibus, & per omnia conſideratis eorum neceſſitatibus, & moderationibus ſupradictis quantum ad Fratres ſeruari decernimus, quod per nos eſt inferius in conceſſis pecuniarijs eleemoſynis declaratum.*

Ex hac Nicolai III. conſtitutione, & alijs aliorum Pontificum Decretis, & Sacrarum Cōgregationum pręcitatis declarationibus arctiſſimæ Fratrum Minorum paupertati nullatenus repugnare conuincitur, quod annuales eleemoſynas recipiant, ſiuè liberaliter, ſiuè in mercedem laboris

erogandæ

erogandæ conferantur. Ergò idem erit de legatis, & alijs diſpoſitionibus ſtatuendum, dummodo licitus adſit modus, ideſt nulla apud inſtituentes, ſeù legatarios, vel hæredes, aut teſtamentorum executores ciuilis obligatio permaneat nec fratres ius aliquod, vel actionem talia repetendi nanciſcantur, ſed totum merè gratuitum, & liberale ſit in exteriori foro, & ſola in vtraque parte fidelitatis obligatio reſideat, quod facta proteſtatione ſuperius inſinuata conſtabit. His autem exhibitis nihil obſtat quo minus fratres legata præfato modo recipiendi capaces habeantur. In primis non nocet perpetuitas: quoniam vt hactenus monſtratum eſt Minores perpetuis eleemoſynis frui poſſunt. Quod Sixtus IV. Seraphici Inſtituti clariſſimus interpres decreto ſuo, & exemplo ſtabiliuit. Certam enim frumenti quantitatem Conuentui Aracælitano quotannis largiendam aſſignauit onere Fratribus impoſito, vt in Rogationibus apud S. Petrum reſponſorium. *Libera me Domine* perpetuò recitarent. Deinde non obſtabit quantitas niſi talis ſit, quæ mendicitatem auferat: Vt autem mendicitas ablata non iudicetur neceſſe non eſt, vt quotidie exerceatur, nec omnia, quibus Fratrum neceſſitatibus occurritur mendicitate proueniant. Vnde, vt monet Rodriguez tom. 2. quæſt. Regul. q. 26. a. 4. & alij poſſunt Minores triticum, & alia vltra neceſſitatem ſuperabundanter recipere, vt pro alijs neceſſarijs commutentur, vel ad eorum emptionem diſtrahantur: ſic enim, vt refert Sanchez lib. 7. cap. 26. nu. 14. Leo X. conceſſit dummodo quæ ſic accipiuntur ad ea obtinenda conferant, quæ abſque pecunia haberi non poſſunt, & talium rerum commutationes, aut venditiones non niſi per Syndicum Apoſtolicum exerceantur. Sola igitur legati quantitas nocebit ne accipiatur, quæ vt aduertit Miranda cap. 63. difficult. 13. mendicitatem è Conuentu prorſus excluderet, vel non ſubleuandæ neceſſitatis, ſed auaritiæ opus crederetur, & ideo hanc partem ſuſtinet Sanchez. lib. 7. Decalog cap. 27. nu. 13. Bartol. tract. Minoric. lib. 2. diſtinct. 1. nu. 4. & ſeq. Sorbus in *Compendio verbo leg. in annotat.*

Rodrig. Sanchez. Mirand. Sanchez. Bartol.

Quam-

Quamquam verò hæc ſatis ſint vt omnem in hac materia difficultatem euellant, pro vberiori tamen probatione, adiungo. Propterea Minores legata, & Anniuerſaria perpetua ſub Miſſarum, & Diuinorum officiorum onere relicta recipere non poſſent, quia annui redditus eſſent, ac inter bona immobilia reputarentur, quorum acceptatio Fratribus interdicitur. Sed hoc eſt aperte falſum: Nam annui redditus quandiu non ſunt in poſſeſſione, nec datur actio ad exigendum immobilibus non adnumerantur vt docuit Iaſon in l. *ſciendum ff. de his qui ſatis dare cogantur* nu. 23. Et Minores in legata perpetua, quæ ipſis, conditionibus ſupra poſitis relinquuntur: Nec dominium, nec vſum fructum, nec poſſeſsionem, nec vſum iuris qualem habet Vſuarius *Inſtit. de vſu, & habitat.* l. *Plenum* in fin. ff. *de vſu, & habitat.* ſed ſimplicem vſum duntaxat, & hunc non iuris ſed facti, nec vllam actionem ſibi vendicant. Igitur quoties illis relinquentur abſque regulæ tranſgreſſione acceptabunt. Quoniam tunc immobilia ſeù annuos redditus non accipiunt, ſed ſolam eleemoſynam; cuius perpetuitas, & naturale ius, quod Fratres habent, vt legata recipiant, ac extra Iudicium, non aliter quàm reliquas eleemoſynas exigant, nec inter immobilia computandum eſt, nec ad tertiam bonorum ſpeciem reducendum. Congruit hoc prædictorum Pontificum prohibitionibus, qui ſolam legatorum receptionem Minoribus interdixerunt, quæ modo incongruo ipſis relinquerentur. Ea vero, quæ eleemoſynæ titulo abſque actione aliqua, & ciuili Iure, vel tanquam laboris ſtipendium relinquuntur, congruum habent modum, nec vlla in Minoribus ad eorum receptionem incapacitas reperitur.

§. QVINTVM.

Loca Terræ ſanctæ, & aliæ Eccleſiæ in quibus Fratres Minores tanquam Miniſtri exiſtunt legata accipere, & hæredes inſtitui poſſunt.

NOn agimus hoc loco de perſona Fratrũ, ſeù priuatim, ſeù communiter accipiantur; quatenus cum loco, vbi degunt perſonam moraliter, vel ciuiliter vnam conſtituunt. Quoniam tunc, ſicut iam ſtatuimus, legata perpetua, qua talia obtinere non poſſunt, & multò minus hęredes, & fideicõmiſſarij vniuerſaliter teſtamento deſignari, vt tenet commu nis doctrina ex Concil. Trident. deducta ſeſſ. 25. de Regularib. c. 3. & ſequitur Bart. Tract. Minoricar. lib. 1. diſt. 2. cap. 1.
Bartol. Bald. Bald. *authent. ingreſſi* n. 49. C. de Sacroſanct. Eccleſ. Ancha-
Ancharan. ran. Clementina *exiui* n. 8. *de verbor. ſignif.* Iaſon. l. 1. n. 99. ff.
Iaſon. Cordub. de legat. 1. Cordub. in Regul. D. Frãciſci c. 6. q. 11. puncto 1.
Rodrig. Rodrig. *tom 2. q. regul.* q. 78. a. 2. Duennas Reg. 381. *ampliat.*
Duennas. 1. n. 1. plurimos referens. Ratio huius aſſertionis in Fratrum incapacitate fundatur: Nam vniuerſale hæreditatis ius in hærede ſemel fundatum, & radicatum ab eo ſeparari non poteſt, aut in aliquem vſum materialem immutari. Licet enim hæres diſtrahat hæreditatem aut diſſipet, ſemper manet hæres. Vt habetur in l. *Imperator* ff. *ad Trebell. & l. & ſi lege* §. *Quod autem* ff. *de petitione hæreditatis:* Sed Fratres Minores propter ſuam incapacitatem tale ius retinere non poſſunt: Ergo neque hæredes inſtitui. Quod adeo verũ eſt, vt aſtruat Felin. cap. *in præſentia n.* 50. *de probationib.* Barbatius cap. *Tua nos nu.* 10. *de teſtamentis* tantundem valere quod Minores inſtituãtur hęredes, ac ſi mortuus fuiſſet inſtitutus. Quod autem de teſtamento aſſerunt præfati Doctores, & Anto-
Gabriel. nius Gabriel tom. 3. *commun. opinion.* concluſ. 1. nu. 1. & 3.
Gualdenſ. Gualdenſ. de arte teſtandi tit. 1. cautel. 10. nu. 1. & alij de fidecommiſſo vniuerſali pariter intelligendum eſt. Nam per l. *Quiquadraginta*, & l. *ſi filios*, §. *quod cum eo ff. ad*

Tre-

Trebellian. fideicommiſſarius vniuerſalis hæres reputatur.

Quando autem Minores inſtituerentur hæredes, appoſita clauſula, vt vendatur hæreditas, & illius pretium in res Fratribus neceſſarias conuertatur, dubium eſt, an tunc valeat inſtitutio. Rodriguez tom. 2. q. Regul. q. 78. a. 4. Imola l. *Lucius* vlt. n. 4. ff. de hæred. inſtit. Bart. tract. Minoricarum lib. 1. diſt. 5. cap. 2. nu. 30. Sorbus *in compend. priuileg. Mendicant. verb. hæreditas in ſuis annotat. quæritur*, & alij pro inſtitutionis validitate probabiliter decertant. Nam ſi teſtator hæreditatem vendi, & in Fratrum neceſſitatibus expendi præciperet nec quidquam de ipſorum in hæredes inſtitutione meminiſſet, valeret, vtique inſtitutio vt docet Cardinalis *Clementina exiui nu.* 11. *quæſt.* 2. Antonius Gabriel & Sorbus ſupracitati Cordub. in Regul. cap. 6. quæſt. 11. puncto 1. Leſſ. lib. 2. de Iuſtit. cap. 19. dub. 5. nu. 54. ergo etiam ſi Fratres inſtituantur hæredes valida exiſtet, & clauſula inſtitutionis pro non adiecta reputabitur, quia vbicunque duo præcepta concurrunt, quorum prius inutile, & poſterius vtile eſt, poſſuntque ad inuicem ſeparari, reiecto inutili, quod vtile eſt valebit argumento l. *hæc ſcriptura ff. de condition. & demonſtration,* & l. *quæ ſub condition. quæ extrinſecus ff. de condition. inſtit.* Et ideo quamuis propter Fratrum incapacitatem illa diſpoſitio quoad hæredis inſtitutionem non valeat, ſed pro non appoſita reputetur, nihilominus quoad piam cauſam ibi adiectam, nimirum, vt vendatur hæreditas, & in Fratrum neceſſaria conuertatur, valida exiſtet. Nec obeſt quod tunc non ſubſiſtat perſona, in quam nomen hæredis cadere poſſit. Quia in cauſis pijs ſat eſt ad inſtitutionis validitatem, quod ad cauſam piam, videlicet redemptionem captiuorum, Eccleſiæ conſtitutionem, & pauperum alimoniam relinquatur hæreditas C. *de Epiſcop. & Cleric. l. ſi quis ad declinandum*. Quamuis igitur perſona Fratrum (quos pauperes eſſe conſtat) ſubducatur, illam tamen repræſentabit Epiſcopus, vel Reſpub. vt ſtatuitur l. *ſi quis ad declinandum,*

Rodrig. Imola. Sorbus.

Gabriel. Corduba. Leſsius.

non proinde caduca erit inſtitutio, ſed hereditas ſicut à teſtatore iubetur vendita Fratribus obueniet, atque ad ſubleuandas eorum neceſſitates accommodabitur.

Oppoſita tamen ſententia verior eſt Clementina *exiui §. cum eo de verborum ſignificat.* Conformior, & ideo eam ſuſtinet Bald. Authent. ingreſſi à nu. 50. vſque ad 53. C. de Sacroſanct. Eccleſ. Cardinal. conſ. 102. nu. 2. dub. 2. Anchar. *Clementina exiui num.* 11. *quæſt.* 2. *de verbor. ſignific.* Felin. cap. *in præſentia nu.* 52. verſ. 2. *de probat.* Gualdenſ. de arte teſtandi tit. 1. cautela 11. nu. 1. Antonius Gabriel tom. 3. commun. opinion. concluſ. 1. nu. 1. & 3. Montalbus l. 10. tit. 5. lib. 3. fori. Probatur quia licet in tali inſtitutione duplex ſit præceptum, vnum tamen velut acceſſorium alteri adijcitur: atque adeo priori deſtructo quod principale eſt, Secundum quod eſt acceſſorium deſtruetur argumento l. *alimenta §. ſeia* ff. *de aliment. legat.* & propterea ius hæredis quocunque modo conſideretur vniuerſale eſt, & dominium ſaltem breui tempore ad hęredem tranſmittit, ac ipſum ad onera hæreditati annexa conſtringit, quod optimè aduertit Pontifex Clementina citata, & ideo Fratribus præcepit, vt ab huiuſmodi inſtitutionibus abſtinerent, quia in his, & dominium, & obligatio ad onera reperiuntur, vt patet ſiquidem præter Fratres nullus ibi hæres inſtitutus inuenitur, quod eorum in capacitati repugnant.

Bald.
Cardinal.
Anchara.
Felinus.

Quod ſi teſtatoris mens eſſet, vt quando teſtamentũ ſuum directo iure teſtamenti validum non exiſteret, ſaltẽ iurę codicilli, vel omni meliori modo quo poſſet validitatem haberet, idque apertè conſtaret, vel in dubio præſumeretur, quia nemo eſt, qui teſtamentũ ſuum omni meliori modo quo valere poteſt, non velit, Tunc quia Fratribus hæreditatis aditio prohibetur, illius æſtimatio ab hæredibus ab inteſtato vel ſubſtitutis, ſeu cohæredibus ex conſcientiæ obligatione reddenda eſt iuxta l. *apud Iulianum §. final.* & l. *ſequenti* ff. *de legat.* 1. l. *fidei commiſſum §. ſi ſeruo* vb i ſtatuitur quod quando non ob delictum, ſed propter perſonæ conditionem aliquis relictæ ſibi rei capiendæ incapax reperitur, hæres ad

red-

reddendam æſtimationem obligatur. Et ita ſentiunt Bartolus Tract. Minoricarum lib. 1. diſt. 1. cap. 3. nu. 7. & 8. Ancharan. *Regula poſſeſſor malæ fidei num.* 19. *de Regul. Iuris in* 6. Roſell. verbo legare nu. 13. Syluester verbo teſtamentum 1. quæſt. 6. Rodriguez tom. 3. quæſt. Regul q. 69. art. 10. Et ſpeciatim de hæredibus ab inteſtato locutus docuit Alciat. lib. 9. conſil. 53. num. 9. Et probari poteſt argumento cap. *Ex parte de cenſibus*, quo in loco tenet Abbas in ſpritualibus, & Eccleſijs, quando conſtat de animo volentis ſe obligare, diſpoſitionem caducam non euadere, propter incertitudinem: Ergo quoties conſtiterit teſtatorem voluiſſe teſtamentum ſuum validum eſſe meliori modo quo poſſet, diſpoſitio non corruet; ſed quia Frattes obtinendæ hæreditatis ſunt incapaces, illius æſtimatio reddenda erit. *Bartol.* *Ancharan.* *Roſela.* *Syluest.* *Rodrig.* *Alciat.* *Abbas.*

Qnanquam hoc probabile ſit, certius tamen eſt, conſiderata Fratrum Minorum puritate hæredes ad reddendam æſtimationem non obligari, nec Fratres illam, vt ſibi debitam poſſe percipere: ſicque deducitur Clement *Exiui de verborum ſignificat.* ibi. *Quia igitur in ſucceſſionibus tranſit non ſolùm vſus rei, ſed etiam dominium ſuo tempore in hæredes. Fratres autem prædicti nihil ſibi in ſpeciali acquirere, vel eorũ Ordini poſſunt etiam in communi, declarando dicimus quod ſucceſsionum huiuſmodi quæ etiam ex ſui natura indifferenter ad pecuniam, & etiam ad alia mobilia, & immobilia ſe extentendunt, conſiderata ſui puritate voti nullatenus ſunt capaces.* Vbi notanda ſunt verba *Nullatenùs ſunt capaces*, quę omnem modũ percipiendæ hæreditatis excludunt. Nã ſi *Nullatenùs*, ſunt capaces, neq. eſtimationis percipiẽdę capaces erũt. Siquidem æſtimatio inter modos quibus percipitur ſucceſſio à Iuriſtis recenſetur per l ſi domus §. confitetur ff. de legat. 3. Et confirmari poteſt ex notione verbi *Nullatenùs*. Quod vt egregiè per multa iura DD. probat Sanchez lib. 6. de Matrimon. Diſput. 32. nu. 7. efficit, vt actus ipſo iure nullus euadat, proindeque omnem modum interdicit, quando rei prohibitæ aſſecutionem perueniri poſſit. Optimè Gloſſ. Clement. 2. verbo *Nullo modo de ætate, & qualitate*, & ibi

Imola

Imola num.19. & 33. Abbas cap. *Non magnopere* num.5. *Nè Clerici, vel Monachi*. Ergo cùm in citata Clementina Fratres per omnem modum ſucceſſionis obtinendæ incapaces iudicentur, neque æſtimationem percipere fas erit. Et ita cenſuit Ancharan. Clementina *Exiui de verborum ſignificat.* num.8. Spino Specul. Teſtamentorum Gloſſ.12. principal, num.15. & 16. Gualdenſis de *Arte teſtandi titulo* 1. *Cautel.* 11. num 1. Sorbus in Compend. verbo *Hæredit.* in ſuis annot. Cardinalis. conſil. 102. num. 2. dub. 1. Duennas Reg. 381. *Ampliat.* 5. num.5. Baldus *Authentic. Ingreſſi*. C. *de Sacroſanct. Eccleſ.* Quæſada quæſtionibus varijs Iuris c. 22. nu. 16. Quod autem dicitur de lege diſponente vt hæredi non ex proprio debito incapaci reddatur hæreditatis æſtimatio, Minoribus adaptari non poteſt: quoniam tunc ei reddenda eſt æſtimatio quando non eſt omnino incapax. At Fratres Min. in dicta Clement. incapaces omnino efficiuntur.

Bald. *Cardinal.* *Spin.* *Duennas.*

Hæc de perſona Fratrũ: de eorum tamen Eccleſijs adhuc controuerti poteſt, an hæredes inſtitui poſſint? Bartol. tract. Minoric. lib.1. diſtinct.4. cap.1. ait, Eccleſiam Minorum dupliciter conſiderari poſſe. Primò quatenùs eſt Fratrum Collegium, vt C. de *Sacroſanct. Eccleſ. accipitur.* Secundò prout eſt locus ſacer muris circundatus. Sub prima conſideratione ſatis probabile ſentit Sorbus *in compendio priuileg. Mendicant verbo hæredit. in ſuis annot. verſ. ſed cum Fratres*, quod hæredes inſtitui nõ repugnat: idem ſuſtinet Abbas conſil.63. num.4. lib.2. Bartol. l *Ciuitatibus* 125. *in principio nu.* 1. *&* 3. ff. *de legat.* 1. Anton. Cucus lib.3. *inſtit, maiorum tit.* 1. *nu.* 37. Ratio eſt quia Eccleſia hæreditariæ ſucceſſionis verè capax exiſtit. At qui Fratrum Minorum Eccleſia ad ius & proprietatem Romanæ Eccleſiæ pertinet: Ergo ſi inſtituatur hæres, talis inſtitutio tanquã ſubiecto capaci facta prorsùs valebit.

Contrariam tamen ſententiam; vt veriorem ſuſtinendam eſſe defendit Angelus *Authent. de Eccleſiaſtic. titul.* §. *Si quis autem* 2. *nu.* 8. *& authent. vt determinatus ſit numerus* in principio nu.1. Rebuff. l. *Vnica* in fin. C. de *Conductoribus lib.* 11. num.4. & Platea *ibi in fin.* Anton, Gabriel. to.3. comm. tit. de *hæredi-*

Angel. *Rebuff.* *Platea.* *Gabriel.* *Cordub.*

hæredibus inſtituend. concl. 1. num. 2. Azor tom. 1. *inſtit. moral.* lib. 12. cap. 23. quęſt. 15. Cordub. in *Regula D. Franciſci* cap. 6 quæſt. 11. punct. 6. *Serena conſcientia* q. 17. Ancharan. Clement. *Exiui* num. 6. & 7 de *verborum ſignificat.* Queſada cum alijs in quæſt. *iuris* cap. 22. num. 19. Baldus *Authentic. ingreſſi* C. *de Sacroſanct. Eccleſ.* Vbi priorem ſententiam, vt omnino falſam explodit. Oſtenditur, quia nec Fratrum Minor. Eccleſia, nec etiam Romana ſuccedit in eorum bona, qui in tali Religione profitentur, ſed omnia hæredibus ab inteſtato obueniūt, vt per ſe patet. Ergo neutra Eccleſia per inſtitutionē ex teſtamēto ſuccedere poterit: quia par vtrobiq. ratio apparet: ideo enim in profitentis bona nō ſuccedit Eccleſia, quia mediū ſuccedēdi eſt incapax, videlicet in Minorum Ordine profeſſus, qui reſpectu vtriuſq. Eccleſię ſēper incapax habetur; & ſuaderi poteſt, quia tūc Romana Eccleſia legatum acquirit Fratribus relictum, cum ipſis modo licito relinquatur, hac enim tantūmodo ratione legatum conſequi valēt. Cum ergo ſucceſsionis hereditarię ſint incapaces, illam Romanæ Eccleſiæ nullatenùs acquirent, quia ſucceſsio non niſi capaci medio, & organo comparatur. Azor. Anchar. Queſada. Bald.

Si autē Eccleſ. Fratrū Min. pro loco ſacro muris circūdato accipiatur, vt Bartol. ſupracit. diſtinguit. Sub hac conſideratione talis Eccleſia Minorū non eſt, quippe qui nihil habent propriū vt c. *Exÿt* & extrauag. *Ad conditorē* decernitur, ſed ad Sedem Apoſt. pertinet; ac proinde ſub diſpoſitione Iuris communis conſtituitur: ſed quælibet Eccleſia de Iure communi hæres inſtitui poteſt. C. de *Sacroſanct. Eccleſ.* Ergo etiā Minor. Eccleſia: Nec propterea ipſi dicentur inſtituti: Quia licèt inſtituta ciuitate, ciues etiam inſtitui iudicentur l. *Ciuibus de condit. & demonſtrat.* hoc Minoribus adaptari non poteſt, quia ipſi in Eccleſia vel domo ſua ius non habent, ſicut ciuis in ſua ciuitate, & alij Religioſi in proprijs Eccleſijs, & domibus: Et ideo cùm in inſtitutione dicitur, Eccleſia Fratrum Minorum, vox hæc demonſtratiuia apponitur, vt quænam ſit Eccleſia dignoſcatur, & inſtitutio velut incerta non corruat. Neque enim, vt

Rodri.

Rodriguez loco ſupra citato adnotauit, præſumẽdum nõ eſt teſtatorẽ hæredes velle incapaces inſtituere. Vnde cùm Minorum Eccleſiam inſtituit perinde eſt, ac ſi diceret: inſtituo talem Eccleſiam, prout eſt Fratrum Minorum vſui per Summum Pontificem comodata, & à fundatore deſtinata. In quo nulla apparet repugnantia: quia Fratres non immediatè, nec mediatè inſtituntur, & Eccleſia vt ſic inſtitutionis incapax non eſt, vt tenet Sorbus *in compend. in annot. verſ. ſed cum Fratres*. Et Politius vbi ſupra num. 45. & 51. Bartol. doctrinam amplectentes.

Ex hoc diſcurſu indubitanter colligi videtur ſacra loca, & Eccleſias in Terra ſancta exiſtentes, non obſtante quod ſub Fratrum Minorum adminiſtratione, & ſeruitio contineantur, hæredes inſtitui, & legata perpetua conſequi poſſe, quin talibus locis inſtitutis, vel legata obtinentibus, Fratres nec inſtitui, nec legata conſequi iudicentur, ſolũmodo enim ibi permittentibus Turcis, ſe tenent, vt talia loca cuſtodiãt, & quæ pro eorum cultu, & ſeruitio à fidelibus donantur, religioſè adminiſtrent. Nec aliter in hac materia ſtatuendum eſt, quam in Eccleſijs vbi Fratres Minores apud vtroſque indos Parochi exiſtunt. Nam ibi tales Eccleſiæ hæredes inſtitui, & legata perpetua conſequi poſſunt, vt nemo inficiatur, quamuis ſub Fratrum adminiſtratione ſint conſtitutæ, & Parochiale munus ibi exerceant: quia primo, & per ſe Fratrum vſui non ſunt deſtinatæ, nec eorum Eccleſiæ abſolutè dicuntur, etiam quoad ſimplicem vſum facti, quem tantùm Fratres habent, vt in rebus quæ ipſis à Sede Apoſtolica permittuntur. Et ſanè Fratres Minores ſacrorum locorũ Miniſtri, Cuſtodeſque deſtinati quandiu ibi ſunt capacitatẽ à prædictis locis auferre nequeunt, vt legata, & hæreditates obtineant, vt planum eſt, quia ad Fratrum dominiũ non tranſeunt. Nec per deputationem qua ipſi eorum miniſterio addicuntur immutari videntur. Quandiu autem res immutata perſeuerat capacitatem, quam primò habebat non amittit, ſtante verò capacitate hæredes inſtitui, & legata conſequi perpetua non repugnat.

§. SEXTVM.

Productis exemplaribus, & Summorum Pontificum conſtitutionibus tradita de legatis perpetuis reſolutiones ſtabiliuntur.

QVamquam iacta hucuſque pro legatorum ſubſtructione fundamenta meo iudicio ita firma ſint, vt nulla oppoſitione poſſint euerti: Nihilominus, vt omnem dubitationis ſpeciem auferam operepretium facturus exiſtimaui ſi aliqua extoto penè Ordine exemplaria referrem, vbi manifeſtè proditur legatorum aſſecutionem, adhibitis, quas præmiſimus, conditionibus, nullā contra ſtatus noſtri paupertatem inuoluere repugnantiam. Quod eò libentius prǽſtiterim, quo me Commiſſarium Generalem in Curia Romana agente nōnulli prætenſa Fratrum Minorum incapacitate ad legata perpetua obtinenda fundationē Conuentus victoriæ per Tribianę Comites inſtitutam diruere intentarint: eorum tamen conatus eliſi, cauſam euici penes Eminētiſſimos Cardinales Congregationis S. Concilij Tridentini. Quorum decretum, vt mox referam Sanctiſſimus Dominus noſter Vrbanus VIII. confirmauit.

Igitur Comites de Chinchon hæredes ſuos grauarunt, vt in capitulis Generalibus, quæ in Hiſpania celebrantur, in perpetuum de alimentis prouiderent; quam diſpoſitionem, ſub certis conditionibus, & oneribus per Religionem adimplēdis, in Generali Capitulo acceptatam, in ſua viridi obſeruantia conſeruant. Pariſijs in Gallia Fratres de Aue Maria perpetuam à Monialibus eleemoſynam pro alimentis accipiunt. In Germania Conuentus Spruch ab Auſtriacis annua eleemoſynæ perpetuæ largitione ſuſtentatur. Romæ apud S. Ioannem Lateranum Patribus Reformatis aſsignata eſt certa eleemoſynæ quantitas, qua ibi citra Regulę tranſgreſsionem aluntur. Neapoli in Conuentu Sanctæ Claræ, & S. Ma-

riæ Madgdalenæ Moniales perpetuis eleemoſynis Fratres ſubſtentant. Sixtus IV. Regulę noſtræ certiſſimus interpres Fratribus Conuentus de Aracæli perpetuam legauit tritici eleemoſynam, dummodo in die Rogationum in Eccleſia S. Petri pro anima ſua Reſponſorium *Libera me Domine* recitarent. Paulus III. Breui expedito Romæ die 17. Aprilis anno 1540 Pontific. ſui ſexto confirmauit Salmaticenſe Collegium, quod Duciſſa Beſarienſis pro quinquaginta Fratribus Ordinis Minorum de Obſeruantia inſtituere decreuerat, legata teſtamento eleemoſynæ quantitate pro Collegialium alimentis per executores teſtamentarios perpetuò largiēda ſub modo, & conditionibus ibidē expreſſis, vt cernere eſt in ipſo Breuis tenore apud Ordinis Regiſtrū volum. 1. fol. 112.

Nuperrimè Marchiones de Cannete Capitulo Generali Romano anno 1635. celebrato pro obtinendo totius Seraphicæ Religionis patronatu ſupplicem libellum obtulerunt certam, & ſtabilem qnantitatem ſub ratione eleemoſynę deſignantes. Ex qua ſingulis annis collecta pro Capitulo Generali in Italia celebrando pararentur expenſæ, cui eleemoſynæ ex pia munificentia tempore ſtatuto ſoluendæ certas addidit conditiones, quas Generale Capitulum libenter, & gratioſè acceptauit, facta proteſtatione, quod nullum in prędictam eleemoſynam Ius acquireret, aut ciuilem ad illam in iudicio repetandam haberet actionem. Vnde ſi Illuſtriſſimi Marchiones, quibus hæc nota eſſe Capitulum obteſtabatur ſponte, & liberaliter prædictam quantitatem, ſub mera ratione eleemoſynæ ſecluſa quacunque obligatione ciuili, proprietate, & dominio elargiri velint à Religione acceptum iri, & inſuper quantum in ipſa ſitum fuerit curaturam, vt ſuffragijs, alijſque ſpiritualibus exercitijs, piæ Illuſtriſſimorum Patronorum voluntati grate, fideliterque ſatisfaciat. Hic appono decretum, vt de veritate plenius conſtet.

Patronatus perpetuus totius Seraphicæ Religionis S. Patris noſtri Franciſci pro vtraque familia in præcedenti authentico ſyngrapho contentus cum omnibus ſuis clauſulis, ac circumſtantijs, quæ Illuſtriſſimus D. Dominus Andreas Hurtado de Mendoza

Marchio

Marchio de Canete, &c. Et Illuſtriſſima Domina D. Maria de Cardenes eius dilectiſsima coniux ob ſingularem pietatis affectũ & deuotionis erga noſtrã prædictam Religionẽ Seraphicam continuò exhibitũ dignati ſunt eleemoſyna neceſſaria modo tamẽ licito, ac noſtrę paupertati minimè diſſẽtaneo fũdare, pariterq. dotare Patrum omniũ Generalis diffinitorij, ac Diſcretorij in Vrbe, hoc anno pro Generalibus Comitijs habẽdis congregatorũ vna nimi conſenſu, ac debita cum gratiarũ actione recipitur, & approbatur, & quoniã approbatum, & acceptatũ fuerat à familia Vltramõtana in proxima Generali Cõgregatione Segobiæ celebrata die 3. Iunij 1621. tam pro expẽſis pro futuris Congregationibus Generalibus in Hiſpania, quàm pro prædictis Capitulis Generalibus in Italia celebrãdis cũ omnibus clauſulis, & ſuffragijs à dicta Religione obſeruãdis, quæ in hoc Decreto habẽtur pro expreſſis ab vtraq. familia, nunc capitulariter cõgregatis acceptatur, & confirmatur, hac verò proteſtatione, quod non ex iure, ſiue iudicialiter, quod noſtro ſtatui, & profeſſioni cõtradicit, ſed eleemoſynas, ſiue quãtitates pro ſingulis Capitulis, ac Congregationibus Generalibus à prædictis Patronis oblatas tantũ eleemoſynaliter, & ex gratia poſſumus, & debemus, & intẽdimus in futurũ petere. Si verò Illuſtriſſimus D. Patronus de Religione noſtra optimè meritus hæredes, ſeu adminiſtratores ab ijſdẽ inſtituti, & nominati dictã eleemoſynã per viam ſimplicis eleemoſynæ quacunque obligatione, & dominio, ſeu proprietate omninò ſublatis prædictæ noſtræ Seraphicę Religioni liberè conferre, & elargiri voluerint, illam ſimpliciter media Apoſtolici Syndici opera accipiet, & ſpiritualibus ſuffragijs, & piæ Illuſtriſſimorum Patronorũ prædictorum voluntati quantum in ipſa Religione fuerit, plenè, & fideliter, ſemperque ſatisfacere curabit. In quorum fidem, &c. Romæ in Conuentu Aracælitano 23. Maij 1625.

Hoc Generalis Capituli decretum à Sac. Congregatione Regulariũ diligẽter examinatum, & cõplanatis, quæ ſe obtulerũt, difficultatibus, approbatũ, vtpote quod D. Bonauẽtura ſẽtẽtię coherẽs Seraphicęq. Religionis inſtituto minime cõtrariũ videretur S. D. N. Vrbanus Papa VIII. die 25. Maij 1625 Pontificatus ſui anno 2. firmitate authoritatis Apoſtolicæ

roboranit prediƈtis Marchionibus indulgens, vt aſsignatam pro Congregationum, Capitulorumq. expenſis, pecuniæ ſũmam aſſignari, & elargiri poſſe, *ſuoſq. hæredes etiam in perpetuum ſub pœnis etiam ipſius arbitrio imponendis ad redditũ prę ſatę quantitatis obligare, necnon quæcunque Inſtrumẽta ſeu ſcripturas licita tamen, ſeu licitas celebrare, ac ſtipulare, Fratribus verò prædictis, vt reditũ huiuſmodi eleemoſynæ tantùm nomine petere, ac percipere, exigere, & leuare, ac in dictarum Congregationum & non alios vſus conuertere, liberè, & licitè reſpectiuè poſſint, & valeant.* Deinde Bulla edita Kalend Ianuarij anno 1626. Pontificatus ſui anno 3. expreſsis ibidem omnibus & ſingulis conditionibus & clauſulis, quibus prędicta ducatorũ ſũma Fratribus largiẽda per prædictos Marchiones, eorũq. hæredes ſtatuebatur conceſsit, vt eleemoſynæ tantũ nomine recipere valerent, Patronatus item dominationẽ, & oblationẽ, quatenus in Seraphici Ordinis vtilitatẽ cederet Apoſtolica authoritate firmauit in hunc modum. *Huiuſmodi ſupplicationibus ex voto venerabiliũ fratrum noſtrorũ S.R.E. Cardinaliũ negocijs Regularium præpoſitorũ inclinati donationẽ, & oblationẽ, ac conceſſionẽ, necnon & ſcripturas, omniaq. & ſingula pacta, & cõditiones in eis contẽtas quæcunq. licita tamen, & honeſta cũ omnibus & ſingulis inde ſecutis, & ſequẽdis quoad decretũ probationis, & cõfirmationis per Capitulũ Generale huiuſmodi vt prefertur factarũ, iuxtà doctrinã S. Bonauẽturę quo verò ad conceſſionẽ Patronatus huiuſmodi, ſi & poſtquã donatio, & aſſignatio prædictæ ſuũ plenariũ ſortitæ fuerint effectum, & non alias perpetua authoritate Apoſtolica tenore præſentiũ ſine tamẽ alicuius præiudicio approbamus, & confirmamus, illiſque perpetuæ, & inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos, tam Iuris, quàm facti, & ſolemnitatũ quarũcunque de iure, vel conſuetudine, vt alias quomodolibet requiſitarum vel neceſſarium, & quos vis alios etiam ſubſtantiales defectus, ſi qui deſuper qnomodolibet interuenerint in ijſdem ſupplemus. Decernentes, donationem, oblationem, conceſſionem, ac ſcripturas, omniaque & ſingula in eis contenta prædicta ſemper, & perpetuò valida eſſe, & fore ſuoſque*

& ple-

& plenarios effectus ſortiri, & tàm a dictis coniugibus eorumque ſucceſſoribus prædictis, quàm à Fratribus dicti Ordinis pro tempore exiſtētibus, perpetuò & inuiolabiliter obſeruari debere.

Poſtremò exorta controuerſia ſuper fundatione Conuentus Victoriæ, quem Comites de Tribiana inſtituerant, & Religioſi Carmelitæ prætenſa Minorum incapacitate euertere conabantur, allegationem iuridicam exhibui Eminentiſsimis Card. Sac. Congreg. Concil. Trid. qua inſpecta matureque examinata per Eminentiſſimos Cardinales Sacchetum, & Pamphilium octaua die à feſtiuitate Sancti Antonij de Padua cenſuerunt Victoriæ fundationem, & legata perpetua, quæ in ea eleemoſynæ titulo relinquebantur nihil continere, quod Regulæ noſtræ aduerſaretur. Poſtea verò per eoſdem Eminentiſſimos Dominos Cardinales cauſa iterum Sacræ Congregationi propoſita, relatiſque fundamentis, & ſolida noſtræ allegationis doctrina, totius Sacræ Congregationis decreto ſancitum eſt in peruigilio S. Bonauenturæ, cuius authoritate potiſſimum fulcitur, Minorum ſtatui, & eorum Regulæ puritati nullatenus obſtare, quod tales fundationes legataque obtineant; & die 13. Iulij Anno 1635. edito ea ſuper re decreto litem omnem extinxerunt. Deinde Sanctiſs. D.N. Vrbanus VIII. in octaua die à feſtiuitate S. Bonauenturæ Bullam expediuit, in qua Sacræ Congregationis decretum, fundationem, & conditiones ibidem poſitas Apoſtolicæ authoritatis firmitate roborauit. Prout in lib. Regiſt. ordinis tomo 4. in officio Commiſſariatus Generalis pro Vltramontana familia continetur.

Deinde cum ex officio Commiſſarij Generalis ad inſtantiam P. Fr. Eliæ Petrot Doctoris Theologi Pariſienſis Minoris Obſeruantiæ, de ordine Eminentiſſimi Cardinalis Barberini totius noſtri Ordinis Protectoris litteras quaſdam expediuerim, in quibus, prout inſpecto eorum tenore ſtatim apponendo conſtabit, de hac legatorum aſſecutione tractabam. S. D. N. Vrbanus VIII. præinſertis in breui de verbo ad verbum litteris noſtris ſtatuit; Nullatenus Regulæ noſtræ

ſtræ puritati repugnare, vt legata perpetua modo, & conditionibus hactenus explicatis aſſequamur.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Elias Petiot Doctor Theolog. Pariſienſis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Regularis obſeruantiæ, Prouinciæ Turoniæ Miniſter Prouincialis cum omnibus ſuperioribus,& ſubditis eiuſdem Prouinciæ quod ipſi à dilecto etiam filio Didaco de Cea Ordinis eorumdem Minorum, Lectore iubilato, almæ Angelorum Prouinciæ,& Ordinis Patre, ac in Romana Curia pro Vltramontana familia Commiſſario Generali,& de mãdato & authoritate dilecti filij noſtri Franciſci S. Laurentij in Damaſo Diaconi Cardinalis Barberini nuncupati, S.R.E. Vicecancellarij, noſtri ſecundum carnem ex fratre germano nepotis, dictique Ordinis apud nos,& Sedem Apoſtolicam Protectoris;in præfatæ Prouinciæ ſpecialem Commiſſariũ pro alienandis bonis immobilibus,ſi quæ fuerint extra Conuentum dictæ Prouinciæ ſumpta, ac alias ſub certis modo,& forma,ibi expreſſis conſtitutus, & deputatus fuit,prout in dicti Didaci Cõmiſſarij Generalis huiuſmodi deſuper cõfectis patẽtibus litteris tenoris ſubſequẽtis videlicet. Frater Didacus de Cea Ord.Min.Regularis Obſeruantiæ Lector Iu bilatus, almæ Angelorũ Prouinciæ,& Ordinis Pater, ac in Rom. Curia pro vniuerſa familia Vltramontana Cõmiſſarius Genera lis,& ſeruus;Dilecto nobis in Chriſto R.P.Fr.Eliæ Petiot eiuſdẽ Ord. & inſtituti;Prouinciæ verò Turoniæ Prouinciali Miniſtro ac Doctori Theologo Pariſienſi ſalutem,& pacẽ in Domino ſempiternam. Cum Eminentiſs. D. Card. Frãciſco Barberino S.R.E. Vicecancellario, necnon totius noſtræ Seraphicæ Religionis vigilantiſſimo Protectori, Correctori,& Gubernatori, exponi feceris vnà cũ omnibus,& ſingulis eiuſdẽ Prouinciæ Fratribus,ſuperioribus,& ſubditis,quod dicta Prouincia quondam Cõuentualium zelo ſuæ profeſſionis ducta, & deuotis accẽſa deſiderijs olim quidem Regulæ ſuæ Obſeruantiam amplexa fuerit,& formã viuen-

di

di,& diſciplinæ Patrum Obſeruantiæ acceptauerit, nuper verò à Sanctiſs. D.N. Vrbano VIII. in litteris ſuis Apoſtolicis ſub datis hìc Romæ 18. Iunij præſentis anni declarata fuerit, & de nouo incorporata Regulari Obſeruãtiæ cũ omnibus priuilegijs, Iuribus exẽptionibus, & immunitatibus, quibus dicta Prouincia cũ Prouincijs Franciæ, S. Bonauenturæ, & Conuentus Pariſienſis ab antiquo gaudere conſueuerunt. Propterea ad felicius regimen dictæ Prouinciæ, & Fratrum conſcientias ſeruandas, & Sanctæ Regulæ noſtræ Seraphicæ nitorem, & obſeruantiam reſtituendã, ſupplicaueris, quatenus concedamus tibi licentiam, vt cum conſilio Syndicorum Conuentuum reſpectiuè poſſeſſiones, prata, & alia immobilia (ſi quæ fuerint extra Conuentus ſepta) ſic vel alienes, vel diſponas, prout melius regimen dictæ Prouinciæ, & Conuentuum vtilitas poſtulauerint; quia autem dicta alienatio, & diſpoſitio non poteſt executioni mandari, abſq; ſingulari eiuſdem Eminentiſſimi Protectoris mandato, & modo ab illo aſſignando quod debitè, & congruè omnia, ſi quæ interuenerint impedimenta tollantur, & quatenus dicta huiuſmodi alienatio, vel diſpoſitio ſuum tandem integrum, & plenarium ſortiatur effectum. Hinc eſt, quod authoritate eiuſdem Eminentiſſimi Protectoris nobis in hac parte ſpecialiter commiſſa, præſentium tenore, & vigore, te, qui de Religionis Zelo, morum integritate, & prudentiæ claritate plurimum in Domino commendaris eiuſdem dictæ tuæ Prouinciæ ſpecialem Commiſſarium nominamus, & inſtituimus omni meliori modo, quo poſſumus, & opus fuerit; etiam cum plenitudine poteſtatis agendi, ſolicitandi, & procurandi per te, vel per alium, ſeù alios dictæ Prouinciæ benemeritos Patres, à te deputandum, vel deputandos, ad cuius, vel quorum nominationem, & ad facultatem eligendi, ſpecialem licentiam, & authoritatem concedimus, quatenus dictæ poſſeſſiones, prata, & alia immobilia, ſi quæ fuerint extra Conuentus ſepta intra vnum annum, vel ad ſummum duos à debita præſentium notitia computandum, ſic vel alienentur, vel diſponantur, vt dictæ Prouinciæ felicius regimen, & Religionis decor poſtulauerint; Et propterea eadem authoritate Eminentiſſimi Protectoris, &

earum-

earumdem ſerie noſtrarum prædictos Syndicos Conuentum reſpectiuè, tanquam Generales per ſanctiones Pontificias Procuratores, & Aeconomos Apoſtolicos hortamur in Domino, & quantum in nobis eſt iniungimus, & mandamus, quatenus dictam alienationem, ſeù diſpoſitionem, conſilio, & auxilio ſuo promoueant, vt ſcilicet fiat ſecundum requiſitas Iuris ſolemnitates, & debitum Seraphicæ noſtræ inſtitutionis modum, ſcilicet dictorum bonorum dominium, poſſeſſionem, & proprietatem puritati noſtræ Regulæ obſeruantiæ repugnantem in perpetuum abdicando, & ad quos de conſilio Fratrum cuiuſque Conuentus melius ſecundum Deum, & fructuoſius ſecundum licitam vtilitatem Conuentuum videbitur expedire, tranſmittendo, & alienando inſuper ad ſeruandas Fratrum conſcientias, eadem authoritate Eminentiſſimi facultatem tibi concedimus; quatenus Fratribus, & Conuentibus dictæ Prouintiæ vice noſtra declares; imo nos nomine, & authoritate dicti Eminentiſſimi Protectoris declaramus, dictos Conuentus, Fratreſque Minorum reſpectiuè licitè, valide, tuta, & ſalua conſcientia tenere poſſe annua, & perpetua legata, vel certos aliquos redditus, aut prouentus annuos, & perpetuos præfatæ puritati noſtræ Regulæ conſentaneos, per modum eleemoſynæ, aut iuxta primam, & præcipuam Sancti Patris noſtri Franciſci viuendi rationem eius conſilio, & exemplo firmatam, & roboratam pretij, ſeù mercedis vice pro ſpirituali dictorum Fratrum noſtrorum labore recipiendos, nempè pro miſſarum ſolemnium, priuatorumque ſacrificijs, alijſque diuinorum officiorum oneribus, ſecundum pias benefactorum, ſeù viuorum, aut defunctorum intentiones inſtitutis, ſiue pro fabricis, & reparationibus Eccleſiarum noſtrarum, ſiuè pro ſtudijs Sacræ Theologiæ, & bonarum diſciplinarum, necnon, & alijs Conuentuum vtilitatibus, ſiue pro prædictis omnibus cauſis, aut aliqua illarum diuiſim, vel coniunctim iam diu prædictos redditus, aut prouentus fundatos, & conſtitutos, vel fundandos, & conſtituendos ſuper huiuſmodi bonis cuiuſcunque ſint naturæ, nunc, & in perpetuum abdicandis, tranſmittendis, & alienandis iuxtà prædictos modos licitos, & puritati Regulæ noſtræ congruos reſeruando,

ſeruando, & retinendo, facta prius ex animo, & optimo corde dictorum redditum aut prouentuum, ſimili, vel efficaciori proteſtatione, & renuntiatione à Doctore noſtro Seraphico P. Bonauentura præſcripta, atque obſeruata, & quod dicti redditus, aut prouentus in vnoquoque conuentu non ſint in tanta copia, & exceſſiua quantitate, vt mendicitatem excludant, alijſque ſeruatis ſeruandis clauſulis, & circunſtantijs, necnon gratijs, & Iuribus contentis, & expreſſis in allegatione pro ſuſtinenda validitate fundationis, & perpetuorum legatorum Conuentus Victoriæ, Sancti Patris noſtri Franciſci Recollectorum in Hiſpania, alias per nos preſentata Eminentiſſimis Dominis Cardinalibus Sacræ Congregationis Concilij Tridentini, & ab eis approbata, & confirmata per eos decreta edita ſub datis hic Romæ vigeſima Iunij, & tertia decima Iulij, Anno Domini 1635. vt autem facilius, opportunius, & exactiùs iniunctum tibi munus abſoluere poſſis eiuſdem Eminentiſſimi Protectoris authoritate præcipimus omnibus, & ſingulis dictæ Prouinciæ Fratribus Superioribus, & ſubditis in virtute Sanctæ obedientiæ, & ſub pœna priuationis propriorum officiorum, necnon excommunicationis latæ ſententiæ, & etiam prædictis Conuentuum Syndicis Apoſtolicis, vt te, vel alium, ſeù alios intra prædictum, & præfixum tempus, velut legitimum, ſeù legitimos dictæ Prouinciæ Commiſſarium, aut Commiſſarios ad prædicta (vt fertur) ſpecialiter, & expreſſe deputatum, vel deputandum, aut deputandos cum omnibus gratijs, ac Iuribus alijs Commiſſarijs concedi ſolitis recipere, recognoſcere, & reuereri velint, & debeant tibi, aut illi, vel illis, quæ nec cultui diuino, aut animæ ſuæ, nec euidenti, & ſpirituali Conuentuum vtilitati contraria ſunt, promptè, & hilariter obtemperaturi; Monentes domum præfata authoritate, & in Domino exhortantes, vt in huiuſmodi muneris executione, nihil aliud penitus, niſi prædictorum cultus diuini augmentum, domorum Domini decorem, ſtudiorum neceſſitatem, & demum cuiuſcunque Conuentus vtilitatem ſpiritualem noſtro Minorum ſtatui, & Regularibus inſtitutis, dictaque Prouinciæ priuilegijs nuper confirmatis (vt præfertur) congruentem præ oculis habeas.

Vale Deumq; pro nobis exora. Datum Romæ in Conuentu Araceltano die decimo Iulij Anno 1637. In quorum fidem manuali noſtro Syngrapho, & maiori officij noſtri ſigillo præſentes muniuimus. Cum autem ſicut eadem expoſitio ſubiungebat præfati exponentes præmiſſa illorum firmiori ſubſiſtentia, & validitate Apoſtolica noſtræ confirmationis robore communiri ſummopere deſiderent. Nos dictum Eliam, alioſque præfatos ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, deputationem de perſona dicti Eliæ in ſpecialem Commiſſarium Generalem (vt præfertur) factam, ac deſuper confectas præinſertas litteras cum omnibus, & ſingulis in ea contentis, expreſſiſque Apoſtolica authoritate tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos, tàm Iuris, quàm facti, quantumuis ſubſtantiales defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint ſupplemus. Mandantes propterea omnibus; & ſingulis ad quos expectat, & pro tempore quomodolibet ſpectabit, vt dictum Eliam, alioſque præfatos præinſertarum, præſentiumque litterarum noſtrarum commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere ſinant, & faciant, nec illos deſuper à quoque quomodolibet moleſtari, perturbari, vel inquietari permittant, ac decernentes, eaſdem præinſertas, patenteſque litteras validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere ab omnibus, & ſingulis ad quos ſpectat, & pro tempore quomodolibet infuturum ſpectabit inuiolabiliter obſeruari, dictiſque exponentibus pleniſſimè in omnibus, & per omnia ſuffragari debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obſtantibus conſtitutionibus

bus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac prædictorum Ordinis, & Prouinciæ, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quauis firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum omnium tenore præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis babentes, illis alias in ſuo robore permanſuris hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die vigeſima ſeptima Iulij 1637. Pontificatus noſtri Anno decimoquarto.

M. A. Maraldus.

L'AVS DEO.

INDEX

RERVM NOTABILIVM, quæ in hoc Opere continentur.

A

ABſtinentia D. Franciſci admirabilis extitit. 99. *vbi de ipſius quadrageſimis agitur.*
Apoſtolos miraculorum gratia clarificauit. pag. 141.
Amor oculatus eſt, & myſticæ vineæ cuſtodem fecit ſponſam. 1
Amicitiæ pauperum firmiores ſũt. pag. 221.
Amoris perſeuerantiam plagarum retẽtio demonſtrat 189. & 190
Abnegatio S.Franciſci in contumelijs tolerandis eluxit. 93. 94. & 95. *Vnde inter contumelias ſicut Angelus Dei inconcuſſus permanſit.* 96.
Aues ad Frãciſci imperium ſiluerunt, & manſuetæ redditę ſunt. pag. 154.
Animalia etiam vt ranæ, formicæ, lupi ſicures reddebantur. 155
Aluerna mons tempeſtatibus liberatus. 154.

C

CAtenæ Petri Apoſtoli virtutem ſpirabant. 31.
Charitas pauperum ardentior eſt. pag. 222.
Conuentus Minorũ in Bethlebem. 25. *Conuentus Nazareth vbi verbum carofactum.* 25
Conuentus in loco, vbi domus Zachariæ fuerat. 26. *Item Baruthi, & in valle Ioſaphat vbi B.Virgo ſepulta.* 26.
Chriſtus plagarum foramina in ſuo corpore mirabiliter retinuit. 181. 182. & 183. *Quas ob cauſas.* 183. *vſque ad* 192.
Chriſtus plagas ſuas Franciſco cõmunicauit cui ſuam imitationẽ integram ante conceſſerat. 183.
Chriſtus vulnera retinuit, vt inde ſuæ pietatis viſcera panderẽtur. pag. 186.
Vt in cælis æternum paſſionis memoriale maneret. 187
Conſeruauit in corpore plagas, vt in die iudicij hoſtes cõfundat. 191 & 192.
Chriſtus in S. Franciſci manibus ſe deſcripſit. 190. & 191.
Chriſtus, quia in lateris foſſione dolorem non ſenſerat, vult poſt reſurrectionẽ Thomam in aper-

a tum

tum latus manum immittere, ac ſi noua apertione delectaretur. 188

D

Dominium rerum Fratribus Minoribus relictarum penes Sedem Apoſtolicam reſidet. pag. 229.
Didacus à S. Seuerino Guardianus Montis Sion laudatus. 261.
Diſcretio humilitate conquiritur. pag. 258
Diſcretio virtutũ moderatio. 255.
Diſcretio in virtutibus maximè in Prælato neceſſaria. 254. & 255.
Doctrina Franciſci admirabilis: non tantum hominibus, ſed feris prædicauit. 106. 107. & 108.
Ad doctrinam ſacrarum litterarũ intelligentia inſtructus fuit. 109 & 110.
Pro doctrina ſpargenda indefeſſa operatione laborauit, per totam Italiam, Palæſtinam, Caſtellam, Luſitaniam, aliaſque Orbis regiones diſcurrendo. à pag. 100. ad 106.

E

Sacra Euchariſtia ad victoriam nos armat. 149
Eleemoſyna quã Deo accepta. 289
Eleemoſynæ terræ ſanctæ, quam fideliter contrectandæ. 290. etiã infidelibus à Guardiano Hieruſalem erogatur. ibid. Nedum omnibus Chriſtiani Orbis peregrinis ad terram ſanctam confluentibus. 291.
Largæ eleemoſynæ erogandæ Fratribus Minoribus in terra ſancta degentibus. 291. & 292
Propter eleemoſynã Melchiſedech & Abraham maxima bona adepti ſunt. 292.
Eleemoſyna plus confert, quàm ieiunium. 292. & 293
Ad colligendas eleemoſynas in ſubſidium Eccleſiæ deſtinati ſunt Minores ab Innocẽtio IV. Gregorio IX. Clemente VII. & Iulio II. 223. & 224.
Exempla magis mouent, quàm verba. 250. & 251.
Exempla verbis reſpondeant. 251.
Eccleſiæ reparandæ S. Franciſcus, & S. Dominicus ſuſcitantur ſicut ad conuerſionem gentium Petrus & Paulus deſtinati ſunt. pag. 73.
Enoc & Elias Franciſci aduentum præſtolabantur. 86.

F

S. Franciſcus Chriſti transfigurationem fuit æmulatus. 133 134. & 135

S. Fran-

S. Franciſcus quid in terra ſanctâ operatus fuerit. 2. Et quomodo eandem hæredibus deſtinauit.
Franciſcus, quia Seraphicus, quia vigil Orietalis vineæ cuſtos diuina ordinatione. 1. & 2
Franciſcus quid in terra ſancta operatus fuerit & quomodo eãdem ſuis hæredibus deſtinarit. pag. 2
Franciſcus naſcitur quando à terra ſancta Christi fides expulſi. pag. 24.
Franciſci ad Sultanum Aegypti intrepidus acceſſus & ſermo. 37 & 39.
In ignem ſi conuerti voluiſſent ſe ingreſſurum & illæſum abiturũ promittit. ibid. Sultani feritas ad eius aſpectũ miteſcit & Chriſtianis beneuolentiæ ſigna demonſtrat. ibid. & 40. ac tandem fidem Chriſtianam ſuſcepit. ibid.
De Aegyptiaca muliercula eũdem ad carnis illecebram prouocantem ſparſis in pauimento viuis carbonibus & deſuper nudus & illæſus cubans victoriã & quoad illius conuerſionem reportauit. 41.
In Oriente prædicans, in ſuiſque filijs Mahumeticam ſuperbiam & libidinem ſuperaturus annos tranſegit. ibid.
S. Franciſci filiorum prædicatione conuertẽdos Mahumetanos Ioachimi Prophetia. 44.
Franciſcus ſtigmatibus inſignitu in die iudicij ad confundendos impios apparebit. 192.
Franciſci per terram ſanctã peregrinatio & ſancti Sepulchri duplicata viſitatio ibid.
Quomodo elegit Fratres, qui eum ad terram ſanctam comitarentur. 44. & 45
A Monachis S. Benedicti prope Antiochiam Deo reuelante recipitur & Monaſterium in ſuũ ordinem adſcripſit 45. 46
S. Franciſcus & S. Benedictus in carnis victoria æquales. ibid.
Quinque annos eo tempore natus quo Hieroſolymam Salhadinus occupauit, & quale in hoc quinquennio quinque plagarum myſterium. 46. & 47.
Franciſcus, eiuſque filij illudentes carni per ignem. 48. 99.
Franciſcus in Oriente Mahumetanam perfidiam inſectatur, & illius filij in Occidente Marrochium deſtinantur martyrium ex prædicatione ſubituri. 49.
Quibus verbis hos martyres abeuntes benedixit. ibid.
S. Franciſci natiuitatem, Ordiniſque inſtitutionem ſacri Vates cecinerũt. 51. vt Ioannes Euangeliſta ſub alterius Angeli ab ortu Solis aſcendentis figura. 52

53. 54. & *Aggæus in perſona Zorobabel vbi arctiſſimè Trinitatis myſterium hic ſanctus affectauerit, & quam mira in huiuſmodi myſterij nomine operatus fuerit fuſiſſimè oſtenditur à pag.* 54. *ad* 64.

S. *Franciſcus qua ratione fuerit Zorobabel.* 65. *Aſſumptus in locum ſupremi luciferi. ibid.*& 66. *Totus humilitate formatus, & ſeipſum in humilitate præceſſit vt Ioannes Baptiſta.* 66. & 67.

Clangor, ſignaculum, & triumphus victoris Chriſti in Franciſco. 67. & 67.

Franciſco & vulnera, & vulnerũ dolorem Chriſtus donauit quod ſuæ matri non conceſſit. 70.

Franciſcus à Zacharia ſub duarum virgarũ & funiculi aſſumptione præſignatus. 72.

S. *Franciſcus funiculo amoris mũdum cinxit.* 72. 73.

S. *Franciſcus conſeruatoris noſtri per omnia typum geſſit.* 77.

Natus in ſtabulo vt Chriſtus. 78. & 79.

Dum baptiſmate abluitur qui eum è ſacro fonte Angelus ſuſcepit in Altaris gradu marmoreo veſtigia impreſſa reliquit. 79.

Recens è fonte leuati humero crucis ſignum peregrinus impreſſit 80. & *quæ nutrici fatus fuerit. ibid.*

Franciſco naſcente lætantur cælites mærent inferi vnde dæmones in valle Spoletana Concilium conuocarunt. 81. 82. 83.

S. *Franciſcus ab aliquibus creditur in matris vtero ſanctificatus.* 83.

S. *Franciſcus ſimilis Chriſto in paupertate, eius paupertatis conſideratio.* 89. 90. 91.

S. *Franciſcus ſpiritus oris Chriſti cum Antechriſto pugnabit.* 201 *Et coniunctiſſimus Chriſti frater.* 202. 203.

S. *Franciſcus nudis pedibus terrã promiſſionis calcans illam ſuo contactu ſanctificat.* 9.

S. *Franciſco propter ſtigmata quilibet debet eſſe deuotus.* 218. & 219.

Franciſco iure fraternitatis Chriſti terra ſancta commiſſa eſt. 203

Chriſti Beniamin ſuper omnes dilectiſſimus. 204

Franciſcus Chriſtum cænantem expreſſit 193. 194. & 195

Franciſcus moriens Chriſtum morientem imitatur. 196. & 197

Mortuus nudus manens à quibuſcunq. cum ſtigmatibus cernitur. 198

Franciſci epitaphium, ac Marci Maruli elogium. 200

S. *Franciſcus Princeps inclitus regale ſignũ deferebat.* 156. *Vbi, &c. magno applauſu excipiebatur.*

tur. 156. 157. & 158. *Nec proinde gloriabatur, quia totum ad Deum referebat*. 158 & 159

S. *Franciſco mare obediuit*. 130 & 131.

Aquam in vinum pluries cõuertit. *tit*. 136. *panes multiplicauit à pag*. 136. *ad* 140.

Chriſti trãsfigurationem aliqualiter æmulatus. 133. 134. 135

Franciſcus virtute ex Chriſti ſimilitudine defluente cæcos illuminauit, & leproſos mundauit. 142. & 143

Triginta mortuos vita reddidit. 143. *in quibus mira eſt cuiuſdam Epiſcopi ſuſcitatio*. 144. *Et fœminæ à damnatione liberatæ* 146. & 147

Prophetiæ donum habuit corda penetrabat. 148. 149. 150. & 151

G

G*Vardianus mõtis Sion Paleſtinam Syriam, & Soriam gubernat in omnes Chriſti fideles iuriſdictionem exercẽs*. 243 & 244

Peregrinos vndique aduenientes, etiam hæreticos charitatiue recipit, receptionis modus exponitur. 245. 46. & 47

Sit forma gregis, & exemplis dicta cõfirmet. à pag. 248. *ad* 251

Diſcretionem teneat: 254 *Guardiani vnius imprudentia montem Sion nobis eripuit* 255. 256 & 257

Giardianus omnibus ſe accomodet vt omnes lucrifaciat. 258. & 259

Patiens ſit etiam ad martyrium. 160. 261. 262. 263

Guardiani montis Sion priuilegia à pag. 265. *vſque ad* 272

Guardanus montis Sion quas cerimonias faciat in Dominica Palmarum. 273. *ad* 277

Quas faciat feria 4. & 5. *Maioris Hebdmodæ à pag*. 777. *ad* 280

Quid faciat Guardianus Hieruſalem in Paraſceue, Sabbato Sancto, & Dominica Reſurrectionis à pag. 283. *ad* 286:

Græci fallacijs, & ingenti pecunia apud Turcam agunt pro occupatione ſanctorum locorum. *pag*. 232

Græcorum fallacias Minoritæ detegunt, & coacta a Regibus, & Principibus Catholicis eleemoſyna loca ſancta recuperant. 233. *ad* 238.

Exemplar ſententia contra Græcos à Sultano pronũciatæ refertur. 23x. 236. & 237

H

H*Ieruſalem vrbis copioſa deſcriptio, nominis Etymon, captiuitates, reſtaurationes; quando*

quando Chriſto nomen dederit. Quomodo à Saracenis poſſeſſa, liberata, in ſeruitute redacta à pag.10. ad 15.

Hieremias in quo loco Terra ſanctæ plorauerit. 3

Humilitas S. Franciſci extrema fuit propter quam ſupremam Luciferi ſedem in cælo obtinuit & ſtupenda operatus fuit 111 & 112

Heraclius Imperator vili tectus amictu, nudiſque pedibus Crucem geſtans Hieruſalem ingreditur 228

Hieroſolyma vinea eſt, quam huius temporis vulpes feræq. Saraceni deuaſtant. 1

Henrici VIII. Angliæ Regis de Fratribus Minoribus in Terra ſancta exiſtentibus elogium. 35 *Eorundem Cardinalis de Vitriaco ſententia.* 36

Helena Conſtantini Imperatoris mater in monte Sion templum extruxit. 17

I

IVdæis vt pueris paruam terræ promiſſionis partem Deus impertiuit 6

Iudæi à promiſſa ſibi terra ob Chriſti occiſionem eiecti. 6

Iuuenes duo ſimillimi. 216

Iudæ proditoris ſimilis eſſet, qui ſancta loca ad priuatum dominium traheret. 31

Ioannes à Capiſtrano Commiſſarius ad colligendas eleemoſynas tempore cruciatæ inſtituitur. pag. 213

Infidelium corda ſuauiter trahenda ſunt, Gregorij monitum. 259

Iacoba de ſeptem ſolijs, & B Clara Franciſcum mortuum contrectarunt. 199

Ioachimus Abbas de S. Franciſco, & S. Dominico prædixit futuros, & imagines eorum ad viuum expreſſas muſiuo opere Venetijs reliquit. à 73. *ad* 76

Ignem concupiſcentiæ alio igne Franciſcus extinxit. 153

L

LEgata Minores acceptare poſſunt. 307. *Non tamen de re immobili, niſi venderetur.* pag.308.

Et ad quid teneatur in hoc caſu hæres. 308. & 309.

Legatum ſub modo indifferenti relictum ad modum licitum trahendum eſt. 309. & 311.

Ad exigenda legata actione ciuili Fratres agere non poſſunt. 311

Legatum temporarium decennium non excedit. ibid.

Niſi centum attingat, nec perpetuum, nec longi temporis legatum

tum non dicitur. 312.
Legatum quod mendicitatem non tollit acceptari licitè poterit. pag.312.
Legata gratuita pegpetua quę Fratribus per modum eleemoſynæ conferuntur acceptari poſſunt. pag.312. ad 315
Proteſtari debent Fratres ante legatorum receptionem ſe eleemoſynæ titulo illa recipere. 316
Hæredes tamen illa ſoluere tenentur. 317. *Nec annui redditus dicenda ſunt.* 319. *Nec paupertati Minorum repugnant.* 318
Epiſcopi, & Iudices alij ex officio compellere poſſunt hæredes ad ſoluenda legata perpetua Fratribus relicta. 320. 321
Quod humiliter implorare poſſunt Fratres, vel Syndici Apoſtolici. pag.322.
Legata relicta perpetua cum onere Miſſarũ retineri poſſunt à Minoribus. 323. 324.
Sunt enim hæc laboritij, & laborum mercedes 325
Legata perpetua, & perpetuæ eleemoſynæ idem ſunt pro Minoribus. 326. 327. 328.
De legatis diſſeritur latè vſque ad finem libri. ibid.
Loca sãcta ſub dominio Sedis Apoſtolicæ à Minoribus cuſtodita ad omnes fideles ſpectant 230.
Si Loca ſancta à Minoribus ad alios tranſirent graue ſcandalum gentilibus daretur 239.240.
Lætitia Fratris Minoritæ in quo conſtituenda ſit. 88

M

Martyres à Beato Franciſco Marrochium miſſi, ibi, & qualiter prædicauerint, quibus tormentis vitam finierint, quæ miracula poſt mortem fecerint, vbi requieſcant. 50. & 51
Minorum in Terra ſancta degentium laus. 264
Minorum hęreditas eſt paupertas. pag.222
Minores quo tempore in monte Sion habitare cæperunt. 19.
Quibus inſtructi armis in parta poſſeſſione conſeruantur 20
Quomodo Chriſti Domini Sepulchri cuſtodes effecti 21. *Siciliæ Regum munificentia & Clemẽtis VI. authoritate in Sanctorũ locorum poſſeſſione firmantur. ibid. Apoſtolici diplomatis exẽplar.* 22. 23
Minores poſt 230. *circiter annos Turcarum auaritia à S. Saluatoris templo expulſi ſunt.* 25
Minores mærenti Hieroſolymitanæ Eccleſiæ ex ſanctorum locorum poſſeſſione ſuccurrunt. 27
Minores quanta patiuntur à Barbaris pro ſanctorum locorum manu-

manutentione. 34. quam alacriter ad Loca ſancta conuolēt, & ægrè reuertantur. ibid.

Minoribus omni iure Terra ſancta debetur. 104. ſex fines propter quos Minoribus Terra ſancta ad cuſtodiam tradita eſt. 206 à Saracenis plus alijs Religioſis Minores amantur. 207

Minores loca ſancta ab impijs polluta purgarunt. 209. per trecentos, & amplius annos eadem poſſederunt. 210

Minores ob paupertatem Turcis notam minora pendunt ſtipendia. 212. triginta aureorum millia tamen pendunt. ibid.

Minores in tractandis eleemoſynis fideliores, quia pauperiores ſunt. 221.

Minores, quia pauperes in colligendis eleemoſynis aptiores. 216 Maioratum ampliſſimum in paupertate fundatum à S. Franciſco, recipiunt. ibid.

Minoritæ paupertatis, & mortificationis Chriſti æmulatores iure optimo Terram Promiſſionis obtinent. 10

Minores ob altiſſimam paupertatem Terræ promiſſionis hæredes. 7.

Miſerius eſt amiſiſſe, quàm non recepiſſe. 6

Minores in ſuauiſsimo ſponſi oleo pedes religioſe intingunt. 7.

Mons Sion quis. 15. In illo cœnaculum fuit, in quo maiora Chriſtianæ Religionis myſteria celebrata fuere. 16. 17

Inſigni templo à S. Helena nobilitatus, Sanctiſſimæ Virginis habitatione ſanctificatus. 17.

In monte Sion ſepulchrū Dauidis. 17. Ibi domus Caiphæ. 18

Moyſes nudare pedes iubetur, vt terram ſanctificaret. 9

Propè montem Sion eſt ſepulchrum S Stephani Gamalielis, & Nicodemi. 18.

Martyrium tolerandum, non quærendum. 263.

Mahumetus beſtia aſcendens de terra. 214.

Mahumetani in armorum potentia, & carnis libidine gloriantur. 41. 42

Mahumetus aliquando victus, cū victoriam ſibi falsò promiſerat 42. latrociniū exercuit, ob quod Mecæ proſcriptus perhibetur, ibid.

Dæmonis filius creditur ſicut Merlinus, & Lutherus. Carnis luxuriæ deditiſſimus. 43. eius ſectatores, & qui Religioſiſſimi putātur ſupra modum turpes, & nefandi 43.

N

INter neceſſitates valetudinis, & indumentorum, aliæ etiam ſimiles continentur. 302

Neceſſi-

Neceſſitas conſeruandi loca ſancta & communis eſt, & propria Fratrum. 303. 304.

Numerus duodenarius frequēs, & myſticus in ſacra pagina. 122 123.

Numerus ſociorum S. Franciſci eorum merita, & qualitates ad Chriſti exemplū referūtur. 123 124 125.

Nox ſicut dies illuminatur obtenta Franciſci oratione claritate. 154.

P

Paleſtina ābitus, & partitio. 3

Peccata diuinas promiſſiones impediunt. 4. 5.

Prædicatores non debent prædicādi officium aſſumere, niſi mittantur. 2.

Plagæ Chriſti in carne retentæ, fidem, & reſurrectionem adſtruunt. 182. 183.

Porphyrius hæreticus Chriſti plagas criminatur. 181

Plagæ Chriſti ſicut victoriæ inſignia, ac trophæa. 184.

Plagæ Chriſti in corpore retentæ reſurrectionis ſuæ teſtimonium afferunt. 189

Patientia S. Franciſci admirabilis extitit in cuius abſequium ſtultus reputari gaudebat. 100

Paulus Apoſtolus officiū Commiſſarij Terræ ſanctæ exercuit. 287. & 288.

Perfectio eſſentialis in charitate conſiſtit accidentalis verò in Obſeruantia ſtatutorum 295.

Perfectionis ſtatum Epiſcopi, viā Religioſi aſſumunt. 195 296

Perfectio eſſentialis reperitur in martyrio quod multi Minoritæ perpeſſi ſunt. 296.

Poſſeſſionem ſanctorum locorū habere multi Religioſi inaniter tamen contenderunt. 24.

Pecuniæ cōtrectatio moralis interdicta Minoribus, non autē materialis ſeu naturalis. 305.

Pecuniam, quæ ad loca Terræ ſanctæ defertur comitari poſſunt Minores, & probatur S. Pauli exemplo. 306

Priuilegia à Chriſto conceſſa Minoribus & deuotis Ordinis Minorum 219

Prælatus ſit forma gregis. 249. 250

Prælatus ſe prius immutet, alios poſtmodū mutaturus. 251. 252

Patientia Mulieris captiuæ Georgianos ad fidem attraxit. 252 & 253

Priuilegia conceſſa peregrinātibus ad Mecam. 213 *ſuperſtitiones.* 214.

Antitheſes contra Chriſtianorum teporem 214. 215.

Plagarum aſpectu, & contrectatione Franciſci miles incredulus velut alter Thomas fidelis efficitur. 199

R

Recurſum ad pecuniam Minores habere poſſunt pro charitatis cõſeruatione, vel augmento 297.
Item pro ſanctorum locorum manutenentia. 298
Quas conditiones habere debet, qui ad pecuniam recurrit ibid. & 299.
Ad pecuniam recurrerunt Apoſtoli, vt fidelibus Terrę ſãctæ ſubuenirent. 300.
Regula S. Franciſci de ſubſtantia Euangelij expreſſa & à Chriſto dictata. 126. 127.
Cardinalis Sabinenſis apud Innocentium III. pro confirmanda perorauit. 127
Raptus mirabiles, & extaſes Sancti Franciſci in oratione recenſentur à pag 114. *ad* 120

S

Sancti maiora miracula, quã Chriſtus diuina ope effecerũt: *pag.* 129.
Stigmatizatio S. Franciſci admirabilis extitit. 160. *Singularis.* 161. *Modus quo peracta fuit recenſetur.* 162. 163. 164.
Niſi ſtigmatizatio Chriſti manibus facta fuiſſet benignitas Dei veluti vacuiſſet. 165.
Stigmatizatio à Chriſti artificio magnam dignitatẽ obtinuit. 166
Sacrorum ſtigmatum impreſſione caro. B. Franciſci Deificata 171. & 172.
Sacra ſtigmata biennio viuens detulit Franciſcus, & perpetuò retinebit ad Dominicæ, noſtręque reſurrectionis argumentum. 173
Stigmatibus velut Apoſtolica bulla ſigillatus. 147. *Iiſdem ſupernã Hieruſalem illuſtrabit. ibidem* & 175.
Sacra ſtigmata naturaliter imprimi, & ſine corruptione bienniũ durare non potuerunt. 176. 177
Quinque corporis vperturæ, vt ardens amoris exhalaret incendium. 177. & *quinque talenta. ibid.*
Stigmatum teſtes oculati, tam in morte, quàm in vita, 277. & 178. 179. 180.
Sibylla Erythræa quæ de S. Franciſco, & Dominico ſub tempore Romuli mira prædixit. 73.
Duodecim miracula ſtigmatũ. 69 & 70.
Stigmatum dolorem, & ſtigmata Franciſco donauit Chriſtus, quod Matri ſuæ non conceſſit. 70. & 71.
Sultani Sach ad Regem Franciæ ſuperba reſponſio. 211
Sultanus Turcarum duos aureorũ

milliones quotãnis elargitur, vt Mecæ deuotionem ſuſtentet. pag. 213

T

T*Erra promiſſionis quam ſalubris, quàm diues, quam omnibus bonis referta, etiã poſt Iudæorum expulſionem.* 7. 8. 9
Tera prmiſſionis ſpiritualiter eſt intelligenda. 6.
Terræ promiſſionis latitudo, & longitudo 3. & 4.
Teram promiſſam cur totam ſilij Iſrael non poſſederint. 4
Terra ſancta nudis pedibus calcanda. 227.
In diuiſione Terræ promiſſionis quæ pars cuilibet Tribui Iſraeliticæ contigerit. 3.
Terræ ſanctę captiuitas, ab Vrbano II. Pontifice deplorata. 28.
Terræ ſanctæ Sacraria, quando à Turcis polluta fuerint. 209.
Turcæ Chriſtum non verè paſſum fabulantur. 208.
Turcæ leui de cauſa templa noſtra in meſchitas conuertunt. 210
Tabernaculum Sion, vbi Dauid pœnitens Pſalmos cecinit. 18. *Nunc ab Indis Chriſtianis religioſè aſſeruatur. ibid.*
In Terra ſancta nulli alij Religioſi Eccleſiæ ſubditi, præter Minores inhabitant 26.
Turcarũ artes, vt nobis pecunias, vel ſancta Loca eripiant. 261.

F I N I S.